SELECTA CIRCA ARISTOTELIS DIALECTICAM SUBTILIORIS DOCTRINAE, QUAE IN...

Francisco Murcia de la Llana

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 F
11

~~XXVII D 3~~

n. A. 36.

Digitized by Google

Digitized by Google

SELECTA
CIRCA ARISTOTELIS DIALECTICAM SVBTILIORIS DOCTRINÆ, QVÆ IN COMPLVTENSI ACADEMIA VERSATVR, MIRO QVODAM ordine diſpoſita, & in dilucidam methodum redacta.

PER LICENCIATVM FRANCISCVM MVRCIA de la Llana in inſigni eiuſdem Academiæ Collegio Theologorum Collegam.

AD D. D. DIDACVM DE ALARCON SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS Senatus meritiſſimum Conſiliarium.



ANNO M. DC. XXI.

Cum gratia & Priuilegio Cæſar. Majeſtat.

JNGOLSTADII,

TYPIS WILHELMI EDERI.

Digitized by Google

CENSVRA PETRI SANZ A SORIA, IN CELEBERRIMA Pintiæ Academia facultatis Medicinæ primariam cathedram Regentis.

IVſſu Senatus Supremi Selecta in libros Ariſtotelis dialecticæ perlegi, accurateque reuolui: omniaque in eis ſunt adeò ſubtiliter diſputata, vt non dubitem quin, ſi typis mandentur, omnibus Philoſophis commodum magnum, & vtilitatem eximiam ſint allatura. Datum Pintiæ die 11. menſis Iulij, Anno 1604.

D. Petrus Sanz à Soria.

Digitized by Google

AD D. DOMINVM DIDACVM DE ALARCON SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS SENATVS MERITISSIMVM CONSILIARIVM.

LICENTIATVS FRANCISCVS MVRCIA de la Llana. S. P. D.

CVm Nil præſtantius, ac iucundius hominibus euenire poßit, perilluſtris vir, quam vitam ſilentio minimè tranſigere, vt pecora, quæ natura prona, vētrique ſolum obedientia finxit, ſuperare, atque excellere poßint, hoc animum meum, non tam auidum comparandæ gloriæ, quam publicæ vtilitati ſtudioſum inſeruiendi, quotidie inſtimulabat, & quibuſdam quaſi igniculis ipſi admotis, ad huiuſmodi prouinciam humeris ingenioli mei diſparem, capeſſendam incitabat ſæpißime. Placuit Deo Optimo, & Maximo, vt tanta grauitas operis. quæ non paucos perterruit, animum meum huc illuc fluctuantem.

Digitized by Google

antem, minimè detineret, imò potius, quò pondus tam ardui operis vires grauabat, eò animus aduerſus vrgentia obdurabat obnoxius. Ieci aleam, magnum aggreſſus ſum, perilluſtris vir, magnum quidem poſtulat auxilium, ſub cuius patrocinio ab obtrectantium animis liberetur. Non pauci mihi ob oculos proponebantur, quorum nobilitas; rerum cognitio, authoritas, vitæ integritas, hos labores, atque vigilias, ab omni reprehenſione videbantur continere. Tu tamen mihi occurriſti, cuius prudentia, facilitas morum, ſplendor ſummæ virtutis cæteros anteibat, maximèque præcellebat: nam ſi tuam nobilitatem intuear, Gotthicam proſapiam, tot, ac tantis facinioribus illuſtratam, quanta penè innumera vociferantur Hiſtoriographi, videor intueri: ſi prudentiam, teſtentur omnia ea, quæ in Flandria geſſiſti, tot ſeditiones pacando, effrenatam aliquorum libidinem compeſcendo: tandem nebulam illam inconſtantiæ animis multorum diu inueteratam, tanquam ſplendeſcens, ac irradians Sol diſcutiendo longè. Silentio prætermittam tuam integritatem morum, tuam probitatem, humanitatem, omnis ſplendoris virtutis præſtantiam? Prætermittam ne iſta? Prætermittam, cum tam exi-

guum

Digitized by Google

guum tempus ad tanta referenda concedatur, & ne videar rem per ſe nobilem ſermonis humilitate obſcurare. Quæ omnia, cum in te vno, tanquam in eorundem ornamento inſpicerem, ad te vnum, tanquam ad alterum Mecænatem confugi, vt hos meos labores, rudes ſane, & impolitos, meæ tamen in te obſeruantiæ, & voluntatis ſempiterna monumenta excipias, eosque pro tua ſapientia foueas. Spero enim, me tua humanitate, fide, & nomine, omnes aduerſariorum ictus intrepidè eluſurum, & ad maiora capeſſenda, omnes labores, & difficultates facillimè contempturum. Vale nobilitatis decus, prudētia, & literarum ornamentum, vitæ integritatis ſidus, ſummæ ſplendoris virtutis irradians Sol.

Typographus Lectori ſalutem.

EDitus fuit, amice Lector, Madriti Anno 1604. tribus voluminibus curſus diſputationum ſelectarum in Philoſophiam Ariſtotelis, à clariſſimo viro Franciſco Murcia collectus, qui quidem cum propter ſummam in eximia breuitate ſubtilitatem, tum propter ſingularem in ſubtilitate perſpicaciā, & commendatus fuerat ab ijs qui legerant, & ab alijs inſtanter expetitus. Verū quia vnicū in Germania ſuperiore, tam nobilis philoſophi extabat exemplar, in inclyto Collegio Societatis Ieſu Ingolſtadij, non poterat ſatisfieri tot hominum ſtudioſorum deſiderijs. Nunc autem ſtudiose lector, ijdem Reuerendi Patres Societatis, pro ſuo in vniuerſam rempublicā ſtudio, noluerunt hunc authorem apud ſeſe deliteſcere, ſed eum bono publico promulgandum mihi dedere. Quem ego laborem libenter ſuſcepi, tuâ gratiâ. accipe igitur tantiſper Logicas diſputationes, & ex illis Phyſicas propediem ſecuturas æſtima. Vale.

JNDEX

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM, quæ continentur in hoc volumine.

Diſputationes, & quæſtiones proœmiales.

DISPVT. I.

PRoœmialis. De natura, & proprietatibus Logicæ. *fol.2.*

QVÆST. I.

Vtrum Logica ſit neceſſaria. fol. 2.

QVÆST. II.

Quod ſit obiectum Logicæ. fol.4.

QVÆST. III.

Vtrum Logica ſit ſcientia. fol. 10.

QVÆST. IV.

Vtrum Logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua. fol. 15.

Diſputationes, & quæſtiones Vniuerſalium.

DISPVT. I.

De natura vniuerſali. *fol.22.*

QVÆST. I.

An ſit vniuerſale. & quotuplex. fol.22.

QVÆST. II.

Vtrum naturæ dentur vniuerſales à parte rei, an verò per intellectum. fol. 24.

QVÆST. III.

Vtrum natura fiat vniuerſalis per abſtractionem, vel potius per comparationem intellectus. fol.33.

QVÆST. IV.

Vtrum naturæ vniuerſales diſtinguantur ex natura rei à ſingularibus, in quibus ſunt. fol. 40.

QVÆST. V.

Vtrùm detur à parte rei vnitas formalis in natura vniuerſali, quæ eſt in ſingularibus, fol. 44.

QVÆST. VI.

Qualiter in naturis realibus prædicentur concreta de abſtractis, & abſtracta de concretis. fol.56.

DISP. II.

DISPVT. II.
De vniuerſalitate, & de ente rationis. *fol. 59.*
QVÆST. I.
An ſit ens rationis, & quid ſit. fol. 60.
QVÆST. II.
A qua potentia ens rationis fiat. fol. 67.
QVÆST. III.
An, & quomodo ſecundæ intentiones prædicentur de primis, & de ſe ipſis inter ſe. fol. 70.
QVÆST. IV.
Quid ſit vniuerſalitas, & prædicabilitas. fol. 74.

DISPVT. III.
De Vniuerſali, prout dicit concretum ex natura, & vniuerſalitate. *fol. 80.*
QVÆST. I.
Vtrum vniuerſale ſit genus ad quinque prædicabilia. fol. 80.
QVÆST. VNICVM.
Vtrum ſint tantum quinque prædicabilia, ſeu quinque ſpecies vniuerſalis. fol. 85.
QVÆST. III.
Vtrum vniuerſalia ſint corporea, vel incorporea, & an ſint corruptibilia. fol. 89.

Diſputationes, & quæſtiones prædicabilium.
Circa caput de genere.
DISPVT. VNICA.
De natura, & proprietatibus generis, quod eſt primum prædicabile. fol. 94.
QVÆST. I.
Quid ſit natura, & eſſentia generis. fol. 94.
QVÆST. II.
Vtrum genus ex natura rei diſtinguatur à differentijs, per quas contrahitur. fol. 96.
QVÆST. III.
Quod ſit definitum in definitione generis. fol. 98.
QVÆST. IV.
Vtrum definitio generis ſit exacta. fol. 106.
QVÆST. V.
Vtrum genus prædicetur vt pars, an verò vt totum. fol. 109.

Circa caput de ſpecie.
DISPVT. I.
De ſpecie prædicabili, & ſubijcibili. fol. 111.
QVÆST. I.
Vtrum genus, & ſpecies ſint relata. fol. 118.
QVÆST. II.
Quid ſit ſpecies prædicabilis, & ſubij-

DISPVTATIONES, ET QVÆSTIONES proœmiales pro Dialecticæ introductione.

PROOEMIVM.

LOGICA ſeu Dialectica (ſi nominis etymologiam ſpectes) dicitur à verbo Græco Logos, quod idem eſt, quod ſermo, vt dicemus in præfatione Summularum: vnde ſcientia hæc, quæ modò Logica appellatur, antiquitùs Dialectica nuncupata eſt, id eſt, Duorum Logos, & ſermo, quia docet duos adinuicem diſputare, & diſcurrere de re ſibi propoſita. Quamuis enim ex vi naturali intellectus homo diſcurrere ſciat, non tamen ita exactè, vt optimum, & concludentem diſcurſum ſemper efficiat: & ita ad hoc opus fuit aliqua ſcientia inſtitui. Vnde Iſidorus lib. 2. Etymolog. eam definit, quòd ſit ſcientia definiendi, & diſſerendi, vt vera, & falſa dijudicentur: & ſimilia habet Ariſt. 1. topic. cap. 2. dicens, eſſe ſcientiam inquiſitiuam, & quæ alijs ſcientijs præſtat modum perfectum diſſerendi, & Cicero in libris de fato dicit, eam eſſe diligentem rationem diſſerendi.

In huius ergo ſcientiæ traditione eam methodum obſeruabo, quæ omnium optima mihi viſa eſt, vt de ſingulis rebus pertractandis, diſputationem inſtituam, & in qualibet diſputatione per ſuas quæſtiones, & difficultates procedam, in quibus omnibus plura futilia ſanè, quæ ob-

ſcuritatem potius, quàm rerum cognitionem cauſare ſolent, vitare conabor.

Primo ergo diſputationem procemialium inſtituamus, in qua naturam, & quidditatem huius ſcientiæ explicemus, vbi obiter pertractabimus quatuor illas quæſtiones, quas Ariſt. docuit 2. poſt. c. 1. de qualibet re pertractanda, inquirendas eſſe, ſcilicet An res illa ſit, Quid ſit, hoc eſt, quàm habeat eſſentiam, & quidditatem, Qualis ſit, id eſt, quas habeat paſſiones, Propter quid ſit, id eſt, ad quid ordinetur, vel ad quid ſit neceſſaria talis res.

DISPVTATIO PRIMA PROOEMIALIS DE NATVRA, ET proprietatibus Logicæ.

QVÆSTIO I.

Vtrum Logica ſit neceſſaria.

IN hac quæſtione ſatis communis eſt diuiſio illa Logicæ in naturalem, & artificialem. Logica naturalis appellatur vis illa naturalis intellectus, qua omni arte ſeclusa diſcurrit circa rem aliquam, illamque definit, & diuidit: Logica verò artificialis appellatur res quædam, ſeu ſcientia inuenta ad hoc exactiùs præſtandum. De Logica ergo naturali non procedit præſens quæſtio; certum enim eſt illam eſſe neceſſariam, quia non eſt aliud, quàm ipſa potentia intellectiua, quæ neceſſariò ineſt homini, eo ipſo quòd habet animam rationalem, quæ eſt forma hominis: & ita communiter dici ſolet, Logicam hanc eſſe neceſſariam ratione formæ, id eſt, ratione animæ rationalis, quæ eſt forma hominis: loquimur ergo in præſenti de Logica artificiali.

Ratio dubitandi eſſe poteſt. Primò, quia ſi hæc ſcientia eſt neceſſaria, vt præbeat modum differendi alijs ſcientijs: ergo etiam erit neceſſaria, alia ſcientia vt ipſi Logicæ modum

Digitized by Google

dum diſputandi præbeat: & deinde illi erit neceſſaria alia ſcientia: & ſic procederetur in infinitum.

Secundò, quia abſq; cognitione Logicæ poſſunt aliæ ſcientiæ perfectè acquiri, plures enim ſunt Iuriſperiti, & Mathematici, qui abſque Logicæ cognitione, artem ſuam optimè nouerunt, non eſt ergo Logica ad alias ſcientias neceſſaria.

Jn hac re ſupponẽdum eſt in primis eſſe ſcientiam iſtam, quam Logicam appellamus, quòd præter authoritatem omniũ Philoſophorum, qui priùs huius ſcientiæ cognitionẽ tradunt, ratio ipſa euidenter demonſtrat: nam modus ſciendi, & diſcurrendi in quauis ſcientia habendus, quid ſcibile eſt, neque habet paruam difficultatem: oportet ergo ponere ſcientiam aliquam, & artem, quæ illud reddat facile.

Quo ſuppoſito, ſit concluſio in hac quæſtione. Scientia iſta, quam Logicam appellamus, eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias perfectè acquirendas. Eſt communis omnium ſententia, pro qua plurimum faciunt diffinitiones Logicæ ex Iſidoro, Ariſt. & Cicerone à nobis adductæ; illa præſertim Ariſt. 1. Topi. cap. 2. quòd *Dialectica eſt ſcientia præſtãs perfectum modum differendi alijs ſcientijs.* Et ratione probatur, quia reliquę ſcientię vtuntur definitione, diuiſione, & diſcurſu, per quæ, tanquã per inſtrumenta ſciendi, veram ſui obiecti cognitionem aſſequuntur; ſed Logica exactè tradit modum iſtum ſciendi per definitionem, diuiſionem, & ſyllogiſmos, docens qualiter hæc omnia fieri debeant: ergo Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad alias ſcientias perfectè acquirendas: neque in hac re oportet ampliùs immorari.

Vnde ad primam rationem dubitandi reſpondetur. Ad primam non ſequi proceſſum in infinitum in his ſcientijs, eo quòd non eſt neceſſaria alia ſcientia, vt præbeat modum ſciendi, & differendi ipſi Logicæ: nam Logica talem modum alijs ſcientijs præſtans etiam illum ſibi obſeruat: quod non habent aliæ ſcientiæ, quia non diſputant de modo ſciendi, ſed illum à Logica accipiũt, ſicut in Summulis diccmus, quod definitio, non ſolùm definit alias res, ſed etiam ſe ipſam.

Ad ſecundam reſpondetur verũ eſſe, ſcientias alias poſſe acquiri abſque cognitione Logicæ, non tamen ita perfectè, & ſine plurium fallaciarum admixtione: & ita Logica eſt ſimpliciter neceſſaria ad illas perfectè acquirendas. Et per hæc manet explicata illa prima quæſtio, ſcilicet An res ſit.

QVÆST. II.
Quod ſit obiectum Logicæ.

PErgimus iam ad explicandam quæſtionem, quid ſit Logica, quod non parum pendet ex cognitione obiecti illius, omnes enim ſcientiæ ſumunt ſuam eſſentiam, & diſtinctionẽ in ordine ad propria obiecta; & ita meritò ad inueſtigandam huius ſcientię naturam, priùs de eius obiecto diſputamus. Et quidem videtur quæſtio inutilis, quia ex Ariſt. 1. Poſter. cap. 1. omnis ſcientia præſupponit de ſuo obiecto, an ſit, & quid ſit; immeritò ergo quærimus obiectum huius ſcientię. Reſpondetur, quòd quando Ariſt. dicit ſententiam præſupponere de ſuo obiecto, an ſit, & quid ſit, ſenſus eſt, id eſt, non demonſtrat quidditatem, & eſſentiam eius à priori, & per cauſſam; quod verum eſt: nam cùm eſſentia rei ſit primum, quod in re aliqua inuenitur, non poteſt demonſtrari quod ſit, neque quid ſit per aliquid prius ipſa: non tamen dicit Ariſt. quòd nõ poſſit à poſteriori, & per effectum probari, & aliquo modo per diffinitionem explicari, qualiter ipſe Ariſt. 2. libr. de anima, capit. 1. & 2. definit animam, quæ eſt obiectum illius tractatus:

Jn hac ergo quæſtione anthores valde inter ſe diſſident, quidã enim iſſerũt. ſolas voces Logicas eſſe obiectum huius ſcientiæ. Sic tenet Villapand. q. 5. proœmial. ſequutus ferè omnes Nominales, Quam ſententiam, vt ridiculam, omnes alij authores reijciunt: Logicus enim non diſputat de voce hac. *Demonſtratio*, ſed de re ipſa ſignificata, qualiter diſputat de re ipſa, quæ eſt quantitas, qualitas, & relatio, & non de vocibus ſignificantibus has res.

Quare, hac ſententia omiſſa, alij ad rem confugientes aſſerunt obiectum Logicæ eſſe ſyllogiſmũ in cõmuni. Sic tenet Ægidius, & Scotus q. 2. Alij non quemlibet ſyllogiſmũ, ſed demonſtratiuum ſolùm, vt tenuit Amonius 3. Metaph. Alij aſſerunt ens rationis eſſe obiectum Logicæ: quæ ſententia hoc tempore ſatis cõmunis eſt inter Thomiſtas: in ea enim fuiſſe videtur S. Thom. 4. Met. ſect. 4. & opuſc. 1. q. 2. cap. 4. Tandem quartò alij aſſerunt, obiectum Logicæ eſſe triplicem operationem intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi, vel, vt alij loquuntur, obiectum Logicæ eſſe modum ſciendi. Tenet Fonſeca 2. Metaphyſi. cap. 3. quæſt. 1. ſect. vltim, Ægid. 1. lib. Poſterior. in princip. & 2. Metaphyſic. cap. 3. Caietan. in princip. Antepraedicamentorum.

Vt in tanta opinionum varietate veram ſententiam eligamus, nonnulla aduertenda ſunt. Primò notandum eſt, quòd obiectum appellatur illud, circa quod verſatur aliqua potentia, vel aliqua ſcientia,

qua-

Digitized by Google

qualiter potentia viſiua verſatur circa colores, & ſcientia habet pro obiecto ſcibile, quia circa res ſcibiles verſatur: dicitur autem obiectum, quia eſt id, quod obijcitur cognoſcendum à ſcientia, vel potentia: differt tamen obiectum ſcientiæ, & obiectum potentię, nam obiectum potentiæ non appellatur ſubiectum illius, vt color non appellatur ſubiectum potentiæ viſiuæ: tamen obiectum reſpectu ſcientiæ appellatur ſubiectum ſcientiæ, non quia ſcientia ſubiectetur in illo, qualiter ſcientia de plantis non ſubiectatur in illis, ſed quia eſt ſubiectum paſſionum, quas ſcientia demonſtrat de illo, tanquam de ſubiecto, qualiter ſcientia de homine demonſtrat de illo, quòd ſit riſibilis, admiratiuus, &c. & iſtæ paſſiones ſunt in homine, tanquam in ſubiecto.

Rurſus obiectum ſcientiæ, vel potentiæ duplex eſt, aliud materiale, aliud formale: obiectum materiale appellatur illud, quod cognoſcitur à tali ſcientia, vel potentia: illud verò, ſub cuius ratione cognoſcitur, eſt obiectum formale, vel (vt alij loquuntur) ratio, ſub qua, qualiter color dicitur obiectum formale potentiæ viſiuæ, quia quicquid percipit potentia viſiua, percipit ſub ratione coloris: quod obiectum alij appellant obiectum formale quo, propriùs tamen appellatur ratio ſub qua: inter quæ obiecta illud eſt diſcrimen, quòd obiectum materiale non ſpecificat, & diſtinguit ſcientias, vel potentias, qualiter tam Phyſica, quàm Metaphyſica agit de ente, tanquam de obiecto materiali: illæ verò rationes, ſub quibus conſiderant ens, appellantur obiecta formalia in illis ſcientijs, quia per illas rationes diuerſas, ſub quibus agunt de eodem obiecto materiali, diſtinguuntur, & ſpecificãtur: & quia ſpecies ſumitur à forma, ideò obiectum hoc, quod tribuit ſpeciem, appellatur obiectum formale: aliud verò appellatur materiale, quia eſt materia, circa quam verſatur talis ſcientia.

Rurſus obiectum materiale duplex eſt; aliud totale, & adæquatum, & eſt illud, quod continet omnia, quæ per ſe tractantur in tali ſcientia, & ideò adæquatum dicitur, quia adæquat totam potentiam, vel ſcientiam. Dixi autem, quæ per conſiderantur in tali ſcientia, nam quæ per accidens, & obiter attinguntur, non opus eſt contineri ſub tali obiecto adæquato, cùm per ſe non pertineat ad illam ſcientiam. Aliud verò eſt inadæquatum, & ſunt omnia obiecta inferiora contenta ſub obiecto adæquato, inter quæ obiecta inadæquata, id quod præſtantius eſt, & cuius cognitio præcipuè intenditur in tali ſcientia, appellatur obiectum principalitatis, vt in ſcientia de animalibus obiectum adæquatum eſt

animal, ſpecies verò inferiores ſub illo contentæ, ſunt obiecta inadæquata, inter quas homo, qui prçſtantior ſpecies eſt, dicitur obiectũ principalitatis in tali ſcientia.

Secundò tamen notandum eſt id, ꝙ in Summulis diccmus de operationibus intellectus, eſt enim triplex operatio intellectus, prima ſimplicium apprehenſio, & eſt intellectio, qua intellectus concipit rem aliquã ſecundum ſe, vt qua concipit hominem, vel lapidem: ſecunda eſt compoſitio, ſeu diuiſio, & eſt actio illa, qua intellectus, cognitis iam extremis per primam operationem, vnum de alio affirmat, & tunc dicitur componere; vel negat, & tunc dicitur diuidere: negare enim vnum de alio, eſt ſeparare vnum ab alio, Tertia operatio eſt diſcurſus, ſeu ratiocinatio, & eſt actio illa, qua intellectus diſcurrit, vnum ex alio inferendo.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio: Obiectum Logicæ eſt triplex operatio intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi, ita quòd Obiectum quaſi materiale, & adæquatum, ſit triplex operatio intellectus, eſſe verò inſtrumenta ſciendi ſit ratio, ſub qua Logica conſiderat illas. Eſt expreſſa ſententia ſancti Tho. 1. lib. Poſteriorum, in principio, vbi dicit Logicam verſari circa actionem rationis, quam deinde diuidit in triplicem operationem intellectus. Tenent etiam authores pro vltima ſententia citati, aſſerentes modum ſciendi eſſe obiectum Logicæ; idem enim eſt dicere modum ſciendi eſſe obiectum Logicæ, ac ſi dicamus eſſe triplicem operationem intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi.

Poteſt probari hęc concluſio. Primò ex toto progreſſu librorũ, quos Ariſt. de Logica edidit: nam in libris Priorum docet ſyllogizare abſolutè, in lib. Poſterior. docet conficere demonſtrationes, in lib. Topicor. docet conficere ſyllogiſmos probabiles, vbi etiam diſputat de modo inueniendi medium ad quamlibet cõcluſionem inferendam: in libr. Elenchorum explicat modos, quibus in ſyllogiſmis fallacię contingere ſolent, vt facilè ſit eas euitare: quę omnia pertinent ad tertiam operationem intellectus. In lib. verò de Interpret. diſputat de ſecunda operatione intellectus, quæ pertinet ad conficiendas propoſitiones: in lib. Prædicamentorum agit de prima operatione intellectus, ſcilicet de apprehenſione omniũ rerum, vt ſubſtantiæ, quantitatis, &c. vt illis cognitis, intellectus ſecundam, & tertiam operationem ſuam habere poſſit. Ex quibus ſatis colligitur, triplicem operationem intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi, eſſe obiectum Logicæ, quod alij appellant modum ſciendi: & hinc omnes authores

Digitized by Google

thores Logicam in tres partes diuiſerunt: prima pertinet ad primam operationem intellectus, & continet libros Prædicamentorum, vbi agitur de ſimplici apprehēſione omnium rerum. Secunda pertinet ad ſecundam operationem intellectus, & continet libros de Interpret. Tertia pertinet ad tertiam operationem intellectus, quæ eſt ſyllogizare, & cōtinet reliquos libros, ſcilicet Priorum, Poſteriorum, &c. liber verò Prædicabilium non eſt Logica, ſed introductio ad Logicam, vt eius author Porphyrius expreſsè fatetur.

Sed rationibus probari poteſt hęc ſententia. Primò, quia vt ſuprà vidimus ex ſententia omnium authorum, Logica eſt neceſſaria ad alias ſcientias, quod non ex alio capite omnes colligunt, niſi quia tradit alijs ſcientijs modum, & inſtrumenta ſciendi, & ita illam vocant directiuam operum rationis: ergo modus ſciendi, ſeu triplex operatio intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi, eſt obiectum Logicæ.

Secundò, quia modus ſciendi eſt quoddam obiectum ſcibile; neque paruam habet difficultatem: ergo ponenda eſt ſcientia aliqua, quæ circa illud verſetur; ſed hæc non eſt alia niſi Logica: ergo talis modus ſciendi eſt obiectum Logicæ.

Tertiò, quia de triplici operatione intellectus ſub ratione entis diſputat Metaphyſicus: quatenus verò ſunt operationes naturales, pertinent ad Phyſicum: ergo quatenùs ſunt inſtrumenta ſciendi, pertinent ad aliam ſcientiam, quæ non eſt alia, niſi Logica: ergo vt ſic ſunt obiectum eius.

Sit ſecunda concluſio, obiectum principalitatis in Logica eſſe demōſtrationem, ſeu modum ſciendi demonſtratiuè. Probatur concluſio, quia obiectum principalitatis eſt illud, quod pręcipuè intenditur in tali ſcientia, ſed quod præcipue intenditur in Logica, eſt modus ſciendi demonſtratiuè, eo quòd eſt perfectior modus diſſerendi: ergo demōſtratio eſt obiectū principalitatis in Logica.

Ex dictis infertur primò, falſam eſſe ſententiam Ægydij, & Scoti ſuprà relatam, aſſerētium ſyllogiſmum eſſe obiectum adæquatum Logicæ; & ratio eſt, quia Logica diſputat de modo, ſeu inſtrumentis ſciendi: ſed non ſolùm ſyllogiſmus, ſed etiam definitio, & diuiſio comprehenduntur ſub modo ſciendi, eo quòd ſunt inſtrumenta ſciendi: ergo obiectum adæquatum Logicæ non eſt ſyllogiſmus.

Et hinc etiam fit, falſam eſſe ſententiam Amonij, & aliorum aſſerentium, demonſtrationem eſſe obiectum adæquatum Logicæ, quia non ſolum demonſtratio, ſed etiam definitio, & diuiſio ſunt inſtrumenta ſciendi: ergo demonſtratio non eſt obiectum adæquatum Logicæ,

Digitized by Google

ſed ſolùm obiectum principalitatis.

Infero ſecundò, falſam eſſe Thomiſtarum ſententiam, aſſerentium obiectum Logicæ eſſe ens rationis, quia vt hactenus vidimus, obiectum Logicæ eſt triplex operatio intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi: ſed huiusmodi operationes, etiam prout ſunt inſtrumenta ſciendi, & ordinãtur ad ſcientiam, ſunt quid reale: ergo obiectum Logicę eſt quid reale. Probatur minor, quia in primis illæ operationes ſecundum ſe ſunt actiones reales, quamuis habeant eſſe ab intellectu effectiuè, quia intellectus eſt cauſa efficiens illarũ: tamen non habent eſſe fictum ab illo, quod eſt de ratione entis rationis, vt poſtea videbimus, ſed potiùs habent eſſe factum ab illo, quod eſt de ratione entis realis, vt infrà videbimus; ergo illæ operationes ſecundum ſe quid reale ſunt. Sed quòd etiam ſint entia realia, prout ſunt inſtrumenta ſciendi, & ordinantur ad ſcientiam, probatur; quia vt ſunt inſtrumenta ſciendi, ſunt cauſa ſcientiæ, quæ quid reale eſt, & ordinantur ad ſcientiam, ſicut cauſa ad effectũ, quem cauſat: ſed effectus realis debet habere cauſam realem, & ordo inter cauſam, & effectum realem eſt quid reale, quia à parte rei cauſa ordinatur ad ſuum effectum: ergo huiuſmodi operationes, etiam vt ſunt inſtrumenta ſciendi, & ordinantur ad ſcientiam, ſunt quid reale: atque adeò tam obiectum materiale, quàm formale, ſeu ratio ſub qua Logicæ ſunt quid reale. Idem etiam facilè probari poteſt de obiecto principalitatis, quia hoc in Logica eſt demõſtratio, vt vidimus; demonſtratio autem quid reale eſt, quia eſt quidã diſcurſus realis, certus, & euidens; & ita tam obiectum principalitatis, quàm formale, & materiale adęquatum Logicæ eſt ens reale. Per quod etiam excluditur modus dicendi aliorum, aſſerentium obiectum Logicæ non eſſe ens reale, ſed aliquid commune enti reali, & rationis; nam ens commune enti reali, & rationis, neque eſt ens reale, neque ens rationis, ſed aliquid abſtrahens ab illis, diuiſum enim debet abſtrahere à mẽbris diuidentibus: ſed oſtenſum eſt obiectum Logicæ eſſe ens reale: ergo non eſt ens abſtrahens ab ente reali, & rationis.

Sed objicies: Obiectum adæquatum eſt illud, quod continet omnia, quæ tractantur in ſcientia: ſed in Logica non ſolum tractatur de entibus realibus, ſed rationis etiam, vt de genere, ſpecie, &c. quæ formaliter important ens rationis: ergo obiectum Logicæ adæquatum eſt quid commune enti reali, & rationis. Accedit illud axioma Auicennæ, quòd Logicus agit de ſecundis intentionibus, adiunctis primis: vbi per primas intentiones (vt poſtea videbimus)

mus) intelliguntur naturæ reales, quibus deinde adueniunt denominationes rationis, vt eſſe genus, vel ſpeciem: ipſæ verò denominationes rationis, quæ adueniunt naturis realibus, appellantur ſæcundæ intentiones. Reſpondetur, quòd (vt ſuprà dixi) obiectum adæquatum alicuius ſcientiæ debet continere omnia, quę per ſe conſiderantur in illa ſcientia: at verò ens rationis per ſe non conſideratur à Logico, ſed à Metaphyſico: ſolùm conſideratur à Logico per accidens, inquantum per accidens cõſequitur ex operationibus intellectus, quas conſiderat Logicus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi: & ita liber Prædicabilium Porphyrij, vbi quodammodò latiùs agitur de entibus rationis, non eſt Logica, ſed introductio ad Logicam Ariſtot. vt ſæpè ipſe autor fatetur: & ita ens reale, quod eſt obiectum adæquatum Logicæ, non debet continere ens rationis, quia de hoc ſolũ diſputatur per accidens in Logica. Et eodem modo reſpondetur ad axioma illud, quòd Logicus agit de ſecũdis intentionibus adiunctis primis, per accidens tamen, & non per ſe.

Et ſi obijcias D. Tho. 4. Metaph. lect. 4. vbi aſſerit, quod ens rationis eſt proprium obiectum Logicæ: reſpondetur, intelligendum eſſe, non quòd ens rationis ſecundum ſe ſit obiectum Logicæ, ſed quatenus ſubſeruit modo ſciendi, & conſequitur ex operationibus intellectus: & ita non eſt obiectum per ſe conſideratum à Logica, ſed per accidens.

Sed contra iſtam ſententiam ſic explicatam adhuc ſunt duæ obiectiones, quæ habent difficultatem aliquam. Prima, quia inſtrumenta ſciendi, ſeu modus ſciendi, non ſolum comprehendit argumentationem, ſed etiam diffinitionem, & diuiſionem, quæ etiam ſunt inſtrumẽta ſciendi, neque parum conducunt ad modum ſciendi; ſed de his nullibi ex profeſſo diſputatur in Logica: ergo modus ſciendi, prout comprehẽdit omnem modum, non eſt obiectum adæquatum Logicæ.

Secundò, quia in libr. Topic. agit Ariſtot. de ſyllogiſmis probabilibus, qui non cauſant ſcientiam, ſed opinionem: imò in libr. Elenchorum diſputat de ſyllogiſmis falſigraphis, & ſophiſticis, qui potiùs errorem, quàm ſcientiam cauſant: ergo modus ſciendi non eſt obiectum adæquatum Logicæ.

Reſpondetur ad primum, definitionem, & diuiſionem, quæ etiam reuera ſunt inſtrumenta ſciendi, non tantam continere difficultatem, qualem continet argumentatio; & ita non opus fuit de illis ſpeciales libros ab Ariſtot. fuiſſe editos: ſufficit de illis, quia facilia ſunt, obiter egiſſe, qualiter 1. Topic. cap. 4. agit de definitione: de diuiſione verò obiter ſæpè alibi agit, & ita Logica diſputat de omni modo ſciendi. Addo tamen re vera Ariſtot. de

definitione, & diuiſione ſpeciales etiã libros edidiſſe; vt teſtatur Laërtius de vita Philoſophorum libr. 5. dum vitam Ariſt. enarrat, & Franciſcus Patritius libr. 2. diſcuſſionum peripateticarum, vt hic refert Maſius quæſt. 13. procem. concluſ. 8.

Ad ſecundum reſpondet Fonſec. 2. Metaph. cap. 3. quæſt. 1. ſect. 5. modum ſciendi poſſe ſumi dupliciter, vno modo ſtrictè, prout ſignificat modum diſſerendi ſcientificè, & hoc modo non eſt obiectum adęquatum Logicæ: vt argumentum oſtendit. Alio modo ſumitur latè, prout ſignificat modum diſſerendi abſolutè, ſiue ſit ſcientificè, ſiue probabiliter, & hoc modo, inquit, modus ſciendi, hoc eſt modus diſſerendi, eſt obiectum Logicæ, & comprehendit artem topicam, & ſophiſticam, in quibus etiam diſputatur de modo ſciendi topicè, vel ſophiſticè, tradit tamen Logica modũ diſſerendi topicè, vel ſophiſticè modo quodam ſcientifico, vt latius dicam quæſtione ſequenti.

QVÆST. III.

Vtrum Logica ſit ſcientia.

RAtio dubitandi eſt, quia ex Ariſtotele 2. Metaphyſic. cap. 3. abſurdum eſt ſimul quęrere ſcientiam, & modum ſciendi, ſed Logica eſt modus ſciendi: ergo non eſt ſcientia.

Secundò, quia ſcientia debet eſſe certa, & infallibilis; ſed Logica ſecundum partem topicam diſſerit de probabilibus, quæ certa non ſunt, & ſecundum partem ſophiſticam, vt in libro Elenchorum diſputat de deceptionibus, & ſyllogiſmis ſophiſticis, qui potiùs errorem, quàm ſcientiam cauſant: ergo non eſt ſcientia. Propter quæ fortaſſe argumẽta plures, quos referunt Fonſe. 2. Metaph. cap. 3. q. 1. ſect. 7. & Maſius quæſt. 5. procemiali aſſeruerunt, verè, & propriè non eſſe ſcientiam.

Verumtamen, vt rem hanc altiùs explicemus, notandum eſt, Logicam ab antiquis omnibus diuiſam fuiſſe in docentem, & vtentem: Logica docens appellatur hæc ſcientia, prout tradit modum ſciendi, & illum docet, vtens verò appellatur eadem Logica, prout vtitur in diſputando documentis ab ipſa traditis: vnde minùs benè plures exiſtimant Logicam vtentem diuagari per omnes ſcientias, ita quòd vſus, & exercitium conficiendi in qualibet ſcientia ſyllogiſmos, & demonſtrationes, appelletur Logica vtens.

Quod falſum eſſe ſic probatur, quia Logica docens eſt, quæ docet modum diſſerendi, ſed id non poteſt docere, niſi diſſerendo: ergo eadem ſcientia, quæ eſt Logica, ſimul eſt docens, & vtens: ergo eadem prorſus ſcientia eſt docens, & vtens: ſed Logica docens eſt diſtincta ab omnibus alijs ſcientijs: ergo & vtens;

vtens; & illa Logica, prout vtitur demonſtratione ad docendum modum diſſerendi, proculdubio diuerſa ſcientia eſt ab omnibus alijs.

Secundò notandum eſt, quòd ſcientia ſumitur dupliciter pro qualibet cognitione, qua ratione illud, quod cognoſcitur, ſciri dicitur. Secundò, non pro qualibet cognitione, ſed pro cognitione certa, & euidenti, & ſolùm hæc propriè appellatur ſcientia. Sed rurſus hæc duplex eſt, alia actualis, vt quandó actualiter cognoſco hominem eſſe riſibilem; alia habitualis, & eſt habitus quidam, quo intellectus poteſt, quando voluerit, elicere cognitionem ſcientificam: qui habitus etiam permanet, quando quis actualiter non conſiderat, vt patet in dormientibus, nam ex eo quòd quis dormiat, non amiſit ſcientiam.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio: Logica docens eſt vera ſcientia. Eſt communis ſententia inter authores, quam tenuit Plato 7. libr. de Repub. vbi illam omnium ſcientiarum apicem appellat, Iſidorus libro 2. Etymologiarum eam definiuit eſſe ſcientiam definiendi, & diſſerendi, vt vera à falſis dijudicentur. Tenet etiam S. Thom. 4. Metaphiſic. lectio. 4. quem omnes iuniores ſequuntur.

Et ratione probatur. Primò, quia (vt ſuprà dicebam) modus ſciendi eſt quoddam obiectum ſcibile plurimas continens difficultates: Debet ergo aſſignari ſcientia aliqua, quæ circa illud verſetur: ſed hæc non eſt alia, niſi Logica: ergò eſt verè, & propriè ſcientia. Secundò, quia illa eſt vera ſcientia, quæ conſiderat ſuum obiectum, & de illo demonſtrat paſſiones per certam, & euidentem demonſtrationem: ſed Logica eſt huiuſmodi: ergo eſt vera, & propria ſcientia. Probatur minor, quia de triplici operatione intellectus, vt ad ſcientiam ordinata plura probat per euidentem demonſtrationem: nam de diſcurſu certo, & euidenti demonſtrat quòd generet ſcientiam; de probabili, quòd generet opinionem; de falſigrapho, quòd generet errorem; de diuiſione, quòd mentis confuſionem auferat; de ſimplici apprehenſione, quòd ex terminorum cognitione concluſio aliquando innoteſcat, vt quòd omne totum ſit maius ſua parte, innoteſcit eo ipſo, quòd cognoſcimus terminos, nempe totum, partem, & maius: ergo Logica docens eſt verè, & propriè ſcientia.

Sit ſecunda concluſio: Logica vtens etiam eſt verè, & propriè ſcientia. Hanc concluſionem contra iuniores Thomiſtas ſtatuo, qualis eſt Card. Tolet. q. 3. procœm. Sot. q. 2. Maſ. q. 6. Et probatur efficaciter, quia Logica docens, & Logica vtens, ſunt vnus, & idem habitus ſecundum rem, ſolum diſtinguuntur formaliter in ratione docentis, &

vtentis; ſed Logica docens eſt verè, & propriè ſcientia: ergo etiam Logica vtens. Reſpondent iſti authores negando conſequentiam: nam quamuis ſint idem habitus ſecundũ rem, diſtinguuntur tamen ratione: & ita quamuis iſte habitus, in quantum eſt Logica docens, ſit ſcientia, non tamen in quantum eſt vtens.

Sed hæc ſolutio facilè impugnari poteſt, quia illa eſt verè ſcientia, quæ demonſtrat de ſuo obiecto paſſiones; ſed Logica vtens, in quantum vtens eſt, demonſtrat de ſuo obiecto paſſiones, quia exercet, & vtitur ipſa demonſtratione: ergo vt ſic eſt vera ſcientia vtens demonſtratione, atque adeò demonſtrat paſſiones de obiecto: nam demonſtrare, & vti demonſtratione, idem ſunt.

Secundò, quia Logica vtens, vt ſic, eſt quidam habitus intellectualis: habitus autem intellectualis, alij verſantur circa principia practica, vel ſpeculatiua determinatè, & Logica vtens non eſt huiuſmodi: nam etiam habet ſuum vſum circa concluſionem: præter hos autem habitus intellectuales ſolum aſſignantur à Philoſophis ſapientia, ſcientia, ars, & prudentia, fides, opinio, & error: Logica autem vtens in primis non eſt ars, quia ars verſatur circa factibilia externa, vt circa fabricandas domos, &c. Logica verò vtens habet ſuum vſum interiùs in operibus intellectus. Neque etiam eſt prudentia, hęc enim dirigit actiones voluntatis honeſtas, quod non habet Logica, vt patet, cuius vſus totus cõſumatur in intellectu. Neque etiam eſt ſapientia, vt authores oppoſiti fatentur, cuius probationem modò de induſtria prætermitto, pendet enim ex cognitione, quid ſit ſapientia: quod non eſt huius loci, neque paruam habet difficultatem. Neque etiam eſt fides, quia hæc procedit ex teſtimonio dicentis, & non ex ratione: Logica verò vtens vtitur ratione. Neque eſt opinio, quia opinio ſolùm procedit ex probabilibus, non verò ex certis, & euidentibus: Logica verò vtens habet demonſtrationes certas, & euidentes: ergo neque eſt opinio. Neque etiam eſt error, qui potius vtitur argumentis falſis, quam euidentibus, qualibus nõ vtitur Logica. Reſtat ergo, quòd Logica ſit ſcientia.

Nec valet quod reſpondet Maſi. habitus iſtos intellectuales connumeratos verſari circa aliquod obiectum determinatum; & quia Logica vtens non verſatur circa aliquod obiectum determinatum, ideò non eſt aliquis habitus ex prædictis.

Hoc non placet, quia nullus eſt habitus, qui non habeat determinatum aliquod obiectum, circa quod verſetur: nam ſicut omnis potentia poſtulat determinatum obiectum, circa ꝙ verſetur, vt potentia viſiua circa colores, ita omnis habitus poſtulat determinatũ obiectũ, ad quod ordi-

ordinetur. Cùm ergo ex ſententia ipſius, Logica vtens ſit quidam habitus intellectualis, oportet quòd habeat determinatum aliquod obiectum, & ita verſatur circa triplicem operationem intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi: nam de hoc obiecto differit, & circa illud exercet demõſtrationes: vt ſic autẽ appellatur vtens. Quare ex his concluditur, vtramque Logicam docentem, & vtentem eſſe veram ſcientiam, imò vnum, & eundem habitum, habentem illas diuerſas denominationes vtentis, & docentis: eadem tamen ſcientia, quæ docet, quatenus dum docet, differit, & demonſtrat vtendo ipſa demonſtratione, dicitur vtens.

Sed obijciunt primò authores contrarij, id quod re vera in illis fuit cauſſa deceptionis, quia vſus ſcientiæ non eſt ſcientia, qualiter vſus ſerræ non eſt ſerra: ergo Logica vtens non eſt ſcientia, ſed vſus ſciẽtiæ. Reſpondetur, aliud eſſe Logicã vtentẽ, aliud verò vſum huius Logicæ vtentis: nã aliud eſt vtens, aliud verò ipſe vſus: Logica ergo vtens eſt ipſe habitus ſcientificus, prout vtitur demõſtrationibus ad aliquid probandũ: vſus verò eſt ipſe actus demonſtrandi, & iſte vſus non eſt ipſa ſcientia habitualis, quæ vtitur illo, ſed eſt vſus eius.

Obijciunt ſecundò: Logica vtens aliquando ſolum vtitur ſyllogiſmis probabilibus: ergo non eſt ſcientia, quia ſcientia procedit per demonſtrationes. Reſpondetur, quòd ſi hoc argumentum aliquam haberet vim, etiam procederet contra illos, nam etiam multa docet Logica, quæ non probat demonſtratiuè: vnde Logica docens non eſſet ſcientia, quia non omnia docet demonſtratiuè. Quare reſpondetur, in qualibet diſputatione non omnes concluſiones probari ſemper demonſtratiuè; aliquæ enim ſolùm probantur argumentis probabilibus, vt videre eſt in Phyſica, in qua non omnia probantur demonſtratiuè, ſed etiam ſunt opiniones: vnde ſolùm propriè, & in rigore appellatur ſcientia habitus ille, qui demonſtrat concluſiones certò, & euidenter: aliæ verò concluſiones, quæ ſolùm probabiliter probãtur, non ſciuntur per habitum ſcientiæ, ſed per alium, qui vocatur opinio: & ita concluſiones illæ, quæ ſolùm probantur probabiliter, non pertinet ad ſcientiam, quæ eſt Logica, ſed ad opinionem. Et ita ad argumentum reſpondetur in forma, quòd Logica, quæ eſt ſcientia vtens, non vtitur ſyllogiſmis probabilibus, ſed euidentibus, ſolùm vtitur ſyllogiſmis probabilibus alius habitus, qui vocatur opinio.

Obijciunt 3. D. Tho. 4. Metaph. lect. 4. vbi dicit Logicam vtentem non eſſe ſcientiam; reſpondetur D. Thom. nomine Logicæ vtentis intelligere Logicam, prout vtitur argumentis probabilibus, vt videre eſt in contextu literæ: & hæc non eſt ſci-

entia, cùm ſcientia procedat ex demoſtratione, tamen re verâ impropriè appellat illam Logicam, cùm hæc non ſit ſcientia, ſed potiùs opinio de concluſione logica.

Sit tertia concluſio: Logica eſt vna ſcientia ſecundum ſpeciem ab alijs diſtincta. Eſt communis omnium, & probatur ratione, quia ſcientiæ ſumunt ſuam vnitatem, & diſtinctionem ab alijs per propriam rationem ſub qua, quam habent diuerſam ab alijs aliarū ſcientiarum; qualiter Phyſica, & Metaphyſica diſtinguuntur ſpecie, quia quãuis tractent de ente, tamen ſub diuerſa ratione: nam Phyſica diſputat de ente, prout mobile eſt, hoc eſt, prout ordinatur ad motum: Metaphyſica verò diſputat de illo, prout abſtrahit ab omni materia. Sed Logica diſputat de operationibus intellectus ſub vnica ratione diſtincta ab alijs, nempe prout ſunt inſtrumenta ſciendi, ſub qua ratione à nulla alia ſcientia conſideratur: ergo Logica eſt vna ſcientia ſecundum ſpeciem diuerſa ab alijs. Et per hoc obiter patet Logicam non eſſe partem Philoſophiæ, ſed ſcientiam prorſus ab illa diſtinctam, ex diuerſo obiecto, quod habet.

Vtrum verò iſte habitus ſcientificus habeat diuerſas entitates partiales iuxta diuerſas concluſiones, quas Logica conſiderat in ſuo obiecto, non eſt huius loci diſputare, eſt enim res difficillima, alibi propriam habens ſedem.

Vnde ad rationes dubitandi reſpondetur. Ad primam, Logicam non eſſe modum ſciendi: aliud eſt enim ſcientia, quæ diſputat de modo ſciendi, aliud verò eſt ipſe modus ſciendi, qui eſt obiectum eius: Logica ergo non eſt modus ſciendi, ſed ſcientia, quæ diſputat de modo ſciendi.

Et ad Ariſtotelem reſpondetur, quòd quando dicit, *Stultum eſſe quærere ſcientiam, & modum ſciendi*, intelligendus eſt de alijs ſcientijs à Logica, in quibus non traditur modus ſciendi, non verò loquitur de Logica, in qua talis modus traditur.

Ad ſecundam rationem reſpondetur, Logicam etiam ſecundū partem topicam, & ſophiſticam eſſe veram ſcientiam, quod immeritò plures hoc tempore negant: nam quãuis differat in his partibus de ſyllogiſmis probabilibus, & Sophiſticis, non tamen de modo probabili, aut ſophiſtico, ſed ſcientificè probando de illis paſſiones aliquas per veram, & euidentem demonſtrationē, qualiter demonſtrat, de ſyllogiſmo probabili, quòd generet opinionem, & quòd non ſit certus: de ſophyſtico verò, quòd generet errorem, & quod ſolùm ſit verum ſecundum apparentiam: vnde quia in his procedit ſcientificè, & demonſtratiuè etiam ſecundum has partes eſt vera ſcientia.

QVÆST. IV.

Vtrùm Logica ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua.

VT rem hanc à ſuis principijs exordiamur, examinandum eſt priùs, quid ſit ſcientia practica, vel ſpeculatiua. Notandum ergo eſt ſpeculationem poſſe ſumi duobus modis. Primo, latè, & impropriè, inquātum idem eſt ſpeculatio, quod cognitio alicuius veritatis; & hoc modo omnis ſcientia poſſet appellari ſpeculatiua, quia omnis ſcientia cognoſcit veritates de ſuo obiecto.

Secundò ergo, & propriè ſumitur ſpeculatio pro cognitione veritatis, in qua talis cognitio quieſcit, neque vlteriùs progreditur, mouendo ad aliquam operationem intellectus. Vnde Ariſt. 2. Met. c. 1. dicit finem ſcientiæ ſpeculatiuæ eſſe contemplari veritatem ſui obiecti: finē verò practicæ eſſe opus; ad ꝙ mouet, & dirigit, vbi nomine finis non debet intelligi finis operantis, id eſt, propter quem operans acquirit ſcientiam; nam contingere poteſt, quod operans acquirat ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam propter eundem finem, vt propter voluptatem, quam inde percipit: debet ergo intelligi de fine operis: finis autem operis non eſt aliud, quàm obiectum eius, vt finis viſionis eſt color, quia ad illum tendit.

Ex quibus ſecundò notandum eſt ſcientiam practicam, & ſpeculatiuā diſtinguendas eſſe per obiecta, quæ reſpiciunt, & ita ſcientia practica erit illa, quæ verſatur circa rem operabilem, qualiter Medicina eſt ſcientia practica, quia verſatur circa ſanitatem cauſandam: ſcientia verò ſpeculatiua eſt illa, quæ verſatur circa rem, contemplando illā, vt Metaphyſica.

Tertiò notandum eſt ad rationē ſcientiæ practicæ non ſatis eſſe quòd verſetur circa rem operabilem, vtcunque, aliàs Phyſica eſſet ſcientia practica, quia conſiderat multa entia naturalia, quæ operabilia, & factibilia ſunt; conſiderat enim operationes naturales, quæ quid operabile ſunt: requiritur ergo, quòd verſetur circa rem operabilem, vt operabilis eſt, id eſt, mouendo, & dirigendo ad operationem illius tradendo regulas, & præcepta, vt tales res fiant, vt dixi de Medicina.

Sed objicies: Omnis ſcientia mouet ad ſuam operationem, nam omnis ſcientia eſt habitus operatiuus ſuorum actuum: ergo omnis erit practica.

Reſpondetur, quòd mouere ad ſuam propriam operationem generale eſt omni ſcientiæ; tamen vltra hoc ſcientia practica mouet ad operationem, quam habet pro obiecto, verbi gratia, Medicina, quæ eſt ſcientia practica, ad duas mouet operationes. Primò, ad ſuum actum ſcientificum, nam omnis habitus ſcientificus eſt cauſſa ſui actus ſcientifici, & hoc generale eſt omni ſcientiæ.

Secun-

Digitized by Google

Secundò mouet ad aliam operationem diſtinctam, quam habet pro obiecto, nempe ad curationem: illa ergo ſcientia, quæ præter ſuum actũ mouet ad operationem, quã habet pro obiecto dirigendo ad illam faciendam per præcepta, & regulas, quas tradit, appellatur ſcientia practica: praxis verò appellatur illa operatio, quam habet pro obiecto, & ad quam mouet, qualiter curatio eſt praxis Medicinæ; & ita dici ſolet, quòd ſcientia practica habet pro obiecto praxim, id eſt, operationem, ad quã mouet, & dirigit.

Quartò notandum eſt duplicem eſſe ſcientiam practicam iuxta duplex genus actionis, ad quam mouet ſcientia practica: alia enim eſt actio tranſiens in externam materiam, qualiter domificatio tranſit ex artifice in externam materiam, & talis actio appellatur factio, ſeu effectio, & ſcientia, quæ dirigit ad huiuſmodi operationes, appellatur factiua.

Alia verò eſt actio immanens, quæ in præſentia ſumitur pro actione illa, quæ manet intra ipſum operans, qualiter intellectio dicitur actio immanens, quia manet intra intelligentem: ſcientia ergo illa, quæ dirigit ad huiuſmodi actiones immanẽtes, appellatur practica actiua.

His ſuppoſitis prima ſententia affirmat, Logicam eſſe ſimul ſcientiam practicam & etiam ſpeculatiuam, quam recentiores tribuunt Auicennæ, & Nominalibus, cuius ſententiæ fundamentum eſſe poteſt: nam in primis Logica dicitur ſcientia ſpeculatiua, nam ſcientia ſpeculatiuæ eſt, quæ contemplatur ſuum obiectum, & de illo demonſtrat ſuas paſſiones, vt patet de Metaphyſica, & Phyſica, & omnibus alijs ſcientijs ſpeculatiuis: ſed Logica contemplatur ſuum obiectum, & de illo paſſiones demonſtrat, vt diximus: ergo eſt ſcientia ſpeculatiua. Quòd verò etiam ſit ſimul practica, probatur, quia tendit ad obiectum operabile, ſcilicet ad triplicem operationem intellectus, prout ſunt inſtrumenta ſciendi, & modo operabili, ſcilicet mouendo, & dirigendo ad illud per regulas, & præcepta, quæ tradit ad rectè diſcurrendum, componendum, & diuidendum: ergo etiam eſt ſcientia practica, atque adeò vtrumque habet.

Secundò, quia hæc ſcientia, vt ſupra vidimus, eadem ſimul eſt docẽs, & vtens; ſed vſus idem eſt quod praxis, doctrina verò idem eſt quod ſpeculatio: ergo eadem ſcientia, quæ eſt vtens, & docens, ſimul eſt practica, & ſpeculatiua.

Secunda ſententia aſſerit, Logicam tantùm eſſe ſpeculatiuam, quã tenet Scotus. q.5. Prologi ſententiarum, Soncin. 6. Metaph. q. 6. Iauel. q. 7. & hoc loco Sotus, Card. Tolet. & Maſ. & videtur habere fundamentum in D. Thom. 1.2.q.57.artic.1.ad 1. vbi dicit, ſcientiam practicam dicere ordinem ad opus externum: ſed

Logi-

Logica ſolùm dicit ordinem ad operationes internas intellectus: ergo nullo modo eſt practica, ſed merè ſpeculatiua.

Tertia & vera ſententia aſſerit Logicã eſſe ſcientiam practicam, & non propriè ſpeculatiuam, quæ nobis placet, eamque tenet Fonſec. 2. Met. cap. 3. q. 2. Tenet S. Thomas opuſc. 71. q. 4. art. 1. vbi dicit cognitionem ſcientiæ ſpeculatiuæ quæri propter ſe ipſam: & ſubdit, Logicam non propter ſe ipſam, ſed propter aliud quæri: ergo ex ſententia ipſius non eſt ſpeculatiua. Tenet etiam Gregor. Arim. q. 5. prologi, & Paulus Venetus in procemio Logicæ.

Sit ergo prima concluſio in hac quæſtione: Logica non eſt ſimul ſcientia practica, & ſpeculatiua contra authores primæ ſententiæ. Probatur concluſio, quia nulla ſcientia, ſaltem naturalis, poteſt eſſe ſimul practica. & ſpeculatiua. Dico autem, ſaltem naturalis, quia de Theologia, quæ eſt ſcientia ſupernaturalis, exiſtimãt plures, quodammodò, & eminenter ſimul eſſe practicam, & ſpeculatiuam, quod etiam mihi difficile eſt, & modò non diſputatur: tamen in ſcientijs naturalibus nulla ſcientia eſt ſimul practica, & ſpeculatiua; ſed Logica eſt ſcientia naturalis: ergo non eſt ſimul practica, & ſpeculatiua. Maior, in qua eſt tota difficultas, probatur, quia (vt ſuprà vidimus, ſcientiam eſſe practicam, & ſpeculatiuam ex obiecto deſumendum eſt, & non ſolũ ex obiecto quaſi materiali, ſed etiã formali, ita quòd ſcientia practica ſit illa, quæ non ſolùm tendit in rem operabilem, ſed in illam, vt operabilis eſt; ſed ſcientia ſpeculatiua non conſiderat obiectum, vt operabile eſt, mouendo, & dirigendo ad illud: & ita habet diuerſum obiectum formale à ſcientia practica: ergo hoc ipſo, quòd altera eſt practica, & altera ſpeculatiua, ſunt diuerſę ſcientiæ, ita quòd practicum, & ſpeculatiuum ſint differentiæ eſſentiales in ſcientijs, cùm deſumantur ex obiectis formalibus, à quibus ſcientiæ ſumunt ſpeciem: ergo eadem ſcientia nequit eſſe practica, & ſpeculatiua, atque adeò nec Logica hoc habet.

Reſpondent quidam ex hoc ſolùm conuinci, ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam eſſe diuerſas formaliter, non tamen quòd idem habitus ſcientificus: idem, inq̃, ſecundũ rem, non poſſit eſſe practicum, & ſpeculatiuum ſub diuerſa ratione. Tamen friuola eſt hæc ſolutio: nam diſtinctio rationis in obiectis formalibus ſufficiens eſt cauſſare diſtinctionem realem in ſcientijs. Quod qualiter ſit verum, ſuo loco dicetur: qua ratione Phyſica eſt diuerſa ſcientia tantùm à Metaphyſica, quia quamuis vtraque diſputet de ente, tamen Phyſica diſputat de illo ſub diuerſa ratione ab illa, ſub qua diſputat Meta-

taphyſica: ſed (vt probatum eſt) ſcientia practica, & ſpeculatiua debent habere diuerſa obiecta formalia, ſaltem diſtincta in ratione, ſub qua: ergo ſcientia practica, & ſpeculatiua non ſolùm formaliter, ſed realiter debent diſtingui.

Sit ſecunda concluſio contra authores ſecundæ ſententiæ: Logica tantùm eſt ſcientia practica. Hæc concluſio, præter authores ſupra citatos, colligitur ex Ariſt. 2. Met. cap. 1. dicente finem ſcientiæ ſpeculatiuæ eſſe cognitionem, practicæ verò opus; ſed finis, ad quem mouet Logica, eſt opus rationis, tradendo regulas, & præcepta ad rectè diſſerendum: ergo eſt ſcientia merè practica. Et 1. Metaphyſic. capit. 2. dicit eam eſſe ſcientiam practicam, quæ non eſt gratia ſui, ſed Logica præcipuè eſt propter aliam ſcientiam, & ad dirigenda opera rationis: ergo eſt merè practica.

Et ratio poteſt breuiter ex dictis colligi, quia ſcientia practica eſt, quæ habet pro obiecto rem operabilem, vt operabilis eſt, mouendo, & dirigendo ad illam; ſed Logica habet pro obiecto operationes intellectus, vt ordinatas ad operandũ, nempe ad diſſerendum, & ad illas hoc modo operandas tradit documenta, & regulas, per quod dirigit, & mouet alias: ergo eſt ſcientia practica.

Ex quibus colligo primò, Logicam non eſſe ſcientiam accidentaliter practicam, vt quidam volunt, ſed eſſentialiter. Ratio eſt, quia ſpecies eſſentialiter in ſcientijs ſumitur ex ratione, ſub qua tendunt in obiectum: ſed ratio, ſub qua Logica conſiderat ſuum obiectum, nempe operabile, vt operabile eſt, pertinet ad ſcientiam eſſentialiter practicam: ergo eſt ſcientia eſſentialiter practica, ex quibus fit, accidentaliter non eſſe talem.

Infero ſecundò inanem eſſe eorum diſtinctionem, qui dicunt Logicam, vt vtentem, eſſe practicam; vt docentem tamen ſpeculatiuam: hoc enim ex ſuprà dictis facilè impugnari poteſt. Primò, quia repugnat eundem habitum ſcientificum eſſe practicum, & ſpeculatiuum, vt viſum eſt; ſed Logica vtens, & docens eſt vnus, & idem habitus, ſolùm ratione diſtinctus in ratione docentis; & vtentis ſuis præceptis: ergo cum iſte habitus ſit eſſentialiter practicus, nullo modo poteſt eſſe ſpeculatiuus, ſcilicet, ſi propriè de practico, & ſpeculatiuo loquamur.

Secundò, quia Logica adhuc vt docens, habet pro obiecto rem operabilem, vt operabilis eſt, nempe operationes intellectus, vt ordinatas ad diſſerendum, & dum docet regulas, & præcepta ad hunc finem conſequendum, mouet dirigendo ad illum: ergo adhuc, vt docens eſt, eſt practica.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò, quia docere generale quiddam eſt ad omnes ſcientias: ergo docere non tollit eſſe ſcientiam practicam.

Vnde ad rationes oppoſitas reſpondetur. Ad primam primæ ſententiæ reſpondetur, ad rationem ſcientiæ ſpeculatiuæ non ſatis eſſe contemplari ſuum obiectum, & de illo demonſtrare paſſiones, hoc enim quælibet ſcientia habet, eo ipſo quòd eſt ſcientia; ſed requiritur, quod illud obiectum, quod conſiderat, non ſit operabile, vt ſic, nec moueat ad illud per præcepta, & regulas practicas, ſed in eius mera cõtemplatione ſiſtat: quod quia non habet Logica, non eſt ſpeculatiua, ſed practica.

Ad ſecundam rationem reſpondetur, quòd doctrina non eſt idem, quod ſpeculatio, ſi propriè loquamur de ſpeculatione; nam vt dixi, docere generale eſt omnibus ſcientijs etiam practicis: vt ergo doctrina aliqua ſit ſpeculatio, non debet verſari circa obiectum operabile, vt operabile eſt: quod tamen in Logica inuenitur, & ita eius doctrina eſt practica, & non ſpeculatiua.

Ad authoritatem D. Thomæ, qua ſecunda ſententia vtebatur, reſpondetur, quòd cum dicit ſcientiam practicam dicere ordinem ad opus externum, intelligendum eſſe de ſcientia practica factiua, quæ verſatur circa actiones externas: Logica autem eſt ſcientia practica actiua, quæ verſatur circa operationes internas intellectus.

Poſſet tamen in hac diſputatione procœmiali diſputari, an Logica ſit alijs ſcientijs perfectior: quod petit difficultatem illam, vnde ſumatur maior, & minor perfectio in ſcientijs, quod non eſt huius loci, ſed pertinet ad libros Poſteriorum: & ideò hîc ſolum dicam, Logicam imperfectiorem ſcientiam eſſe Phyſica, & Metaphyſica, tum quia Phyſica, & Metaphyſica ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ, & gratia ſui: Logica verò eſt practica, & gratia aliarum: ergo Logica eſt imperfectior illis, tum quia tam Phyſica, quàm Metaphyſica habent perfectius obiectum, quàm Logica, nam Metaphyſica diſputat de omni ente ſub ratione entis: Logica verò ſolùm diſputat de operationibus intellectus: ſimiliter Phyſica diſputat de ente naturali, & de omnibus eius operationibus, & potentijs: Logica verò ſolùm de operationibus partis intellectiuæ, ſub illa ſpeciali ratione ſuprà iam tradita: ergo Logica imperfectior eſt Phyſica, & Metaphyſica.

Addo tamen, Logicam eſſe omnibus alijs ſcientijs naturalibus perfectiorem, nam in primis eſt perfe-

ctior Philoſophia morali, hæc enim diſputat per ſe primò de actibus voluntatis, qui non ſunt ita perfecti, ſicut operationes intellectus, vt communis tenet opinio. Eſt etiam perfectior Mathematica, quæ diſputat de quantitate, quæ cum accidens ſit corporeum, conſtat quòd ſit imperfectior operationibus intellectus, de quibus diſputat Logicus: & propter eandem rationem Logica eſt perfectior Medicina; quia hæc verſatur circa curationem, vel ſanitatem, quæ etiam ſunt accidentia corporea, & ita imperfectiora operationibus intellectus, de quibus Logicus diſputat. Et hæc de diſputatione procœmiali ſufficiant.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATVS DE DE VNIVERSALIBVS.

PROOEMIVM.

CVM in libro Prædicabilium diſputet Porphyrius, illius libri author, de quinque Vniuerſalibus in particulari, nempe de genere, ſpecie, & differentia, &c. meritò Logici omnes prius tractatum hunc de Vniuerſalibus in communi præmittunt, vt cognita natura vniuerſalis in communi ſingulæ ſpecies vniuerſalis in Prædicabilibus, facilè innoteſcère poſſint: & quamuis diſputatio hæc de quæſtionibus vniuerſalibus difficilis ſatis ſit, & metaphyſica, ita vt propter earum rerum difficultatem Porphyrius ſe illas omiſiſſe fateatur: ego tamen, qua potero, claritate procedam, tractatum hunc in tres diuidens diſputationes; nam nomen hoc, Vniuerſale, concretum nomen eſt: nomina autem concreta duo important, alterum de formali, alterum verò de materiali, qualiter hoc nomen album, quod concretum eſt, dicit pro formali albedinem, eo quòd eſt forma albi, per quam conſtituitur in eſſe talis: pro materiali verò dicit corpus, cui albedo ineſt: ex quibus tertium, nempe ipſum totum, quod album appellamus, integratur. Quæ nomina appellantur concreta, quia ſignificant formam concernendo ſubiectum: ad eundem ergo modum vniuerſale nomen concretum eſt, quod de formali dicit vniuerſalitatem, quidquid illa ſit, de qua poſtea: de materiali verò dicit naturam, quæ ab hac vniuerſalitate

B. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

vniuerſale denominatur, ſicut corpus denominatur album ab albedine: ex quibus duobus, nempe ex natura, & vniuerſalitate reſultat totum tertium, nempe vniuerſale: & ita claritatis gratia, iuxta hac tria tres etiam diſputationes in hoc tractatu inſtituemus; primam, de ipſa natura vniuerſali; ſecundam, de ipſa vniuerſalitate, vbi de ente rationis latius diſſeremus, nam vniuerſalitas quid rationis eſt; tertiam verò de ipſo vniuerſali.

DISPVTATIO PRIMA
DE NATVRA VNIVERSALI.

QVÆSTIO I.

An ſit Vniuerſale, & quotuplex.

VNIVERSALE, vt omnes authores tradunt, multiplex eſt, aliud enim eſt vniuerſale in cauſando, & eſt illud, quod plures effectus cauſat, qualiter Deus, & cœlum appellantur cauſæ vniuerſales, quia cauſant plures effectus. Aliud verò eſt in ſignificando, & eſt vox, vel conceptus, vel denique quoduis aliud ſignum, quod plura ſignificat, & hoc modo vox, Homo, appellatur vniuerſale in ſignificando, quia ſignificat plures homines, nempe Petrum, & Paulum, & idem eſt ſuo modo de conceptu, quem quis format de homine in communi. Aliud verò eſt in eſſendo, & prædicando, & eſt illud, quod eſt in pluribus, & de pluribus prædicatur, vt natura humana: debet autem eſſe in pluribus, non idem numero, & indiuiſum, ſed idem ſolum ſecundum ſpeciẽ, qualiter quamuis eſſentia diuina ſit in pluribus, non eſt tamen vniuerſalis, ſed ſingulariſſima, quia eadem numero, & ſingulariſſima eſt in pluribus: quod ſecus eſt in vniuerſali in eſſendo, & prædicando: nam quamuis eadem natura humana ſecundũ ſpeciem ſit in Petro, & Paulo, non tamen eadem numero, ſed potius diuerſa.

Secundò notandum eſt, quod ex his vniuerſalibus ſolum vniuerſale in eſſendo, & prædicando, propriè appel-

appellatur vniuerſale: reliqua enim potiùs ſunt ſingularia, qualiter vniuerſale in cauſando, eſt hæc numero, hoc eſt, ſingularis cauſſa, v. g. Deus plures cauſans effectus, & vniuerſale in ſignificando, v. g. hæc numero vox, Homo, vel hic conceptus hominis repræſentans plures homines.

Conueniunt ergo omnes, dari à parte rei vniuerſale in cauſando, & repræſentando, ſeu ſignificando, qualiter à parte rei datur Deus, & cœlum; quæ ſunt cauſſæ vniuerſales ad plures effectus, & datur hæc vox, Homo, quæ ſignificat plures homines.

Dubium ergo eſt, an detur vniuerſale in eſſendo, & prædicando. Heraclitus enim, & Cratilus, imò & Epicurei omnes nullum vniuerſale admittebant, ſed omnia ſingularia eſſe dicebant, & perinde corruptibilia, & caduca, ex quo ſcientiam è medio tollebant; hæc enim eſt de vniuerſalibus, quę illi non admittebant: authores verò Nominales, ideò ſic appellati, quia omnia ad voces, non ad res ipſas reuocabant, ſolùm vniuerſale in ſignificando, quale eſt in vocibus, admittebant, non tamen in eſſendo, & prædicando.

Contra quos ſit concluſio. Præter voces concedendum eſt, dari naturas vniuerſales in eſſendo, & prædicando: vtrùm verò iſtæ naturæ ſint à parte rei vniuerſales, vel ſolùm per intellectũ, poſteà videbimus. Concluſio hæc eſt communis omnium. Et probatur ratione, quia hæc vox, Homo, non ſignificat determinatè hanc naturam humanam Petri, neque illam tantùm: ergo ſignificat naturam humanam pluribus indiuiduis communem; ergo datur vniuerſale in eſſendo, & prædicando.

Secundò, quia ſcientia de homine, dum demonſtrat de illo quòd ſit riſibilis, & admiratiuus, non demonſtrat hoc de voce: nam vox, Homo, non eſt riſibilis, neque admiratiua: neque etiam hoc demonſtrat determinatè de ſingularibus, ſed de vniuerſalibus: ergo datur natura, quæ ſit vniuerſalis in eſſendo, & prædicando.

Sed dubitabis iam, quid ſit hoc vniuerſale in eſſendo, & prædicãdo, & qualiter ſe habeant inter ſe. Reſpondetur, quòd vniuerſale in eſſendo & prædicando ſe habent ſicut eſſentia, & paſſio, ad modum quo ſe habent homo, & riſibile, ita vt eſſentia vniuerſalis ſit eſſe in multis, prædicari verò de illis ſit paſſio conſequens eſſentiam. Quod ita eſſe dicendum, probatur hac ratione; nam illud eſt eſſentia rei, per quod primò illa res conſtituitur in eſſe talis, ab alijsque diſtinguitur; ſed per eſſe in multis conſtituitur aliquid primò in eſſe vniuerſalis, non verò per prædicari de multis, ergo eſſentia vniuerſalis eſt eſſe in multis, paſſio verò conſe-

Digitized by Google

quens eſt prædicari de multis. Probatur minor, quia prædicari vnum de alio, ſupponit eſſe in illo, qualiter ſi animal non eſſet in homine, non poſſet prædicari de homine: ergo prædicari de multis ſupponit eſſe in multis, ita vt hæc cauſalis ſit vera. Ideò vniuerſale prædicatur de multis, quia eſt in pluribus: ergo eſſentia, quæ primò conſtituit vniuerſale eſt eſſe in multis, prædicari verò de illis, eſt paſſio conſequens. Ex quibus colligo, quòd quandò Ariſt. definiuit vniuerſale per prędicari de pluribus, qualiter 1. de interpret. cap. 5. dicit: *Vniuerſale eſt, quod de pluribus prædicari natum eſt*, definitio eſt deſcriptiua. quia datur per paſſionē: quando verò illud definit per eſſe in pluribus, qualiter 7. Metaph. c. 13. dicit, vniuerſale eſſe, quod aptum eſt, vt de pluribus inſit, definitio ſit quidditatiua, quia datur per eſſentiam.

Circa vtramque definitionem illud aduertendum eſt, eſſentiam vniuerſalis non eſſe, quòd actu ſit in pluribus, ſed quòd aptum ſit eſſe in pluribus: & ſimiliter paſſio vniuerſalis non eſt actu prædicari de multis, ſed poſſe prædicari de multis: & ita meritò vtraque definitio datur per verba, quæ ſignificant potentiam, & non actum. Ratio verò huius eſt, quia quamuis actu nullum eſſet animal à parte rei, iſtæ propoſitiones eſſent veræ, Homo eſt animal, equus eſt animal, quia in illis verbum, eſt, non dicit exiſtentiam, ſed eſſentialem connexionem prædicati cum ſubiecto ſecundum eſſentiam: ergo quamuis animal actu non ſit in pluribus, eſt tamen vniuerſale, cùm prædicetur de illis.

Quòd verò prædicari actualiter non ſit paſſio vniuerſalis, probatur à ſimili: nam in homine non eſt paſſio hominis, ridere actu; hoc enim non ſemper ineſt homini, paſſio autem ſemper debet ineſſe: ſed potiùs paſſio hominis eſt riſibilitas pro potentia: ergo ſimiliter prædicari actu non eſt paſſio vniuerſalis, ſed prædicabilitas: actu verò prædicari, vel actu eſſe in pluribus, ſunt accidentia, quæ poſſunt adeſſe, & abeſſe, ſicut ridere in actu in homine.

QVÆST. II.

Vtrùm naturæ dentur vniuerſales à parte rei, an verò per intellectum.

REferri ſolet in hac re celebris illa ſententia Platonis, qui aſſeruit, dari à parte rei vniuerſalia, tamen ſecundum rem ſeparata à ſingularibus, ita q̀ à parte rei darentur ideæ omnium ſpecierum rerū perfectarum, v.g. ideā hominis eſſe quendam hominem immaterialem, & incorruptibilem, & à ſingularibus ſeparatum, à quo indiuidua hominis eſſentiam participabant. Cuius ſententiæ

Digitized by Google

tentiæ fundamentum erat. Primò, quia cum ſcientiæ ſint perpetuæ, debent eſſe de rebus perpetuis, & incorruptibilibus; ſed ſcientiæ ſunt de vniuerſalibus: ergo debent dari à parte rei vniuerſalia perpetua, & incorruptibilia: ſed ſi vniuerſalia eſſent coniuncta cum ſingularibus corruptibilibus, vt cum Petro, & Paulo, ipſa etiam corruptibilia eſſent ſicut ipſa indiuidua: ergo debent dari à parte rei vniuerſalia ſeparata à ſingularibus.

Secundò, quia vnumquodq; producitur à ſuo ſimili; ſed plura ſunt, quæ non producerentur à ſuo ſimili, niſi tales ideæ ponantur, vt quando generatur ignis ex non igne, ſolùm ex percuſſione corporum, vt patet in ſilice: ergo ponenda eſt idea illius ſpeciei, à qua, tanquam à ſimili generetur.

Tertiò, quia quando intellectus concipit eſſentiam hominis abſolutè, non determinatam ad Petrum, neque ad Paulum, concipit aliquod vniuerſale: ergo datur à parte rei vniuerſale ſeparatum; nam alias intellectus falleretur.

Hanc ſententiam tenuiſſe Platonem in tribus dialogis, nempe in Parmenide, in Phœdone, & in Timeo, communiter referri ſolet, cuius præcipuus author Ariſt. eſt 1. Metaph. c. 6. & libr. 7. c. 6. & ſæpè alibi; Seneca tamē li. 8. epiſt. 66. & Auguſt. li. 83. quæſt. q. 46. Platonē excuſant, dicentes, per ideas non intellexiſſe illas, quas falsò illi imponit Ariſt. ſed ideas, quæ ſunt in mente diuina, ad cuius imitationem Deus omnia operatur, quemadmodum artifex, mediante idea, quam in mente habet, domum illi ideæ ſimilem operatur: & reuera propter Auguſtini, & Senecæ authoritatem credendum eſt, ita ſenſiſſe Platonem, atque adeò eius ſententiam veriſſimam eſſe, vt omnes Theologi, dum de ideis tractant, ſine controuerſia admittunt.

Cuiuſuis tamen ſit illa, prior ſententia apertè falſa eſt, nam ideæ illæ, quæ à parte rei ponuntur, & ſeparatæ à ſingularibus, vel ſunt aliquid creatum, vel increatum: ſi increatum: ergo ſunt Deus, atque adeò non ſunt eiuſdem eſſentiæ, & eiuſdem ſpeciei cum ſingularibus creatis, vt cum Petro, & Paulo: ſi verò ſunt aliquid creatum: ergo ſunt aliquid ſingulare, atque adeò non vniuerſale.

Probatur hæc vltima conſequentia: Quidquid creatum eſt, à parte rei eſt per aliquam actionem productum: ergo ſingulare: omne enim, quod producitur, ſingulare eſt.

Secundò, quia ſi illæ ideæ dantur ſeparatæ à ſingularibus: ergo non ſunt de eorum eſſentia, vt illa ſententia aſſerit; nihil enim eſt magis intimum, & coniunctum cum re, quàm id, quod eſt de ſua eſſentia.

Hac ergo ſententia relicta, ad cuius

ius fundamentum poſtea dicemus, ſecunda ſententia in hac re eſt aſſerentium dari à parte rei naturam vniuerſalem negatiuè, id eſt, naturam de ſe indifferentem ad plura indiuidua, quæ indifferentia communiter appellatur vniuerſalitas negatiua. Tribuitur hæc ſententia Scoto 7. Metaph. quæſt. 36. & in 2. diſt. 3. q. 1. quem alij etiam excuſare conantur: mihi tamen de hac re dubius fuiſſe videtur, nam in ſecundo loco allegato modò in hanc, modò in illam ſententiam inclinari videtur, vt legenti integram illam quæſtionem patebit: in primò verò loco nil tale dicit. Cuiuſuis tamen ſit opinio hęc, videtur concedendam eſſe à parte rei aliquam vniuerſalitatem, ſeu cõmunitatem in natura, v. g. humana, aut equina.

Primò, quia quidquid natura habet de ſe, & ſecundum ſuam eſſentiam, habet à parte rei: ſed natura humana ex ſe, & ſecundum ſuam eſſentiam eſt indifferens ad ſingularia, nempe ad Petrum, & Paulum: ergo à parte rei eſt indifferens, atque adeò à parte rei eſt vniuerſalis negatiuè. Diſcurſus legitimus eſt. Maior probatur, nam tota eſſentia naturæ cum ſit quid reale, debet eſſe à parte rei, & nullo operante intellectu. Minor, nempe, quòd ex ſe ſit indifferens, probatur, quia natura humana ex ſe non eſt ſingularis, & determinata ad hoc indiuiduum; alias neque per intellectum poſſet eſſe vniuerſalis, quia quod conuenit alicui per ſe, eius oppoſitum neque per ſe, neque per accidens poteſt conuenire, qualiter quia per ſe conuenit homini eſſe rationalem, eius oppoſitum, ſcilicet irrationale, neque per ſe, neque per accidens poteſt competere: ſi ergo naturæ de ſe conueniret eſſe ſingularem, & determinatam ad aliquod indiuiduum, neque per accidens, nec per intellectum poſſet eſſe vniuerſalis, quod eſt falſum: ſignum ergo eſt, non eſſe ſingularem, & determinatam ad aliquod ſpeciale indiuiduum: eſt ergo indifferens, atque adeò communis negatiuè à parte rei.

Secundò, quia in communi modo loquendi dicimus, omnes homines eſſe eiuſdem ſpeciei, & omnia animalia eſſe eiuſdem generis: dantur ergo à parte rei genera, & ſpecies, atque adeò dantur à parte rei naturæ vniuerſales, quia genus, & ſpecies ſunt naturæ quędam vniuerſales.

Tertiò, quia obiectum debet pręcedere potentiam, eo quòd obiectum mouet potentiam ad ſui cognitionem, atque adeò debet pręcedere ante illam cognitionem, ad quam mouet; ſed vniuerſale eſt obiectum intellectus, & cognitionis eius: ergo debet præcedere ante omnem cognitionem intellectus: ergo eſt à parte rei.

Quar-

Digitized by Google

Quartò, quia ſingularitas eſt accidens naturæ: ſed omnis natura eſt prior ſecundum naturam ſuis accidentibus: ergo in illo priori talis natura non eſt ſingularis, atque adeò eſt indifferens. Maior probatur, quia natura humana dum eſt contracta in ſingularibus, eſt ſingularis, dũ verò eſt abſtracta per intellectum, eſt vniuerſalis: ergo eſſe ſingularem, vel vniuerſalem, ſunt accidentia naturę. Quòd verò natura ſit prior ſuis accidentibus, probatur, quia priùs eſt eſſe hominem, quàm eſſe album, vel nigrum.

Vltimò tandem, quia ſingulare, & vniuerſale ſunt relata, appellatur enim aliquid vniuerſale in ordine ad ſingularia, & è contra; ſed relata ſunt ſimul natura, tempore, & cognitione: ergo cum detur à parte rei ſingulare, debet dari à parte rei vniuerſale.

Vt in hac re veritatem ab omnibus receptam aperiamus, notandum eſt, quòd in qualibet natura quatuor ſtatus poſſumus conſiderare, v. g. in natura humana primus ſtatus eſt, in quo natura conſideratur præcisè ſecundũ prædicata eſſentialia, & quidditatiua, & ſecundum ſuas paſſiones, vt quòd ſit animal rationale, & riſibile, &c. Secundus eſt, quando conſideratur, prout eſt à parte rei contracta in ſingularibus. Tertius, quãdo per intellectum abſtrahitur ab indiuiduis, & conſideratur vt indifferens ad illa; & hoc modo natura appellatur vniuerſale Metaphyſicũ, quia Metaphyſicus hoc modo conſiderat naturas: appellatur etiam communis negatiuè, quia cum conſideretur vt indifferens ad omnia indiuidua, non magis reſpicit vnum, quàm aliud. Quartus eſt, quando non ſolùm intelligitur abſtracta ab indiuiduis, & ſine conditionibus indiuidualibus, ſed etiam ordinata ad illa indiuidua, & poſitiuè reſpiciens illa, vt inferiora; & hoc modo appellatur natura communis poſitiuè, vel, vt alij loquuntur, vniuerſale logicum, quia hoc modo conſiderat Logicus naturas vniuerſales: differt autem inter hos, nam prædicata, quę conueniunt naturæ in primo ſtatu, nempè prędicata eſſentialia, ſemper, & vbicunque conſideretur natura, illi conueniunt: & ita ſiue conſideretur vt ſingularis, ſiue vt vniuerſalis, ſemper natura importat ſua prædicata eſſentialia, nam quæ eſſentialia ſunt, nullo modo poſſunt ſeparari; & ita conueniunt rei ſemper, & vbicunque ſit: prædicata verò, quæ conueniunt naturæ ſecundum alios ſtatus, ſunt accidentalia, & non ſemper illi conueniunt: nam ſi ſumatur vt vniuerſalis, non conſideratur vt ſingularis, & è contrà.

His ſuppoſitis conueniunt omnes, naturam habere per intellectũ communitatem, & vniuerſalitatem, eo quòd conſideratur ab illo, vt cõ-

munis pluribus: & de communitate poſitiua, & Logica, omnes etiam cõueniunt non conuenire naturæ, vel vt eſt à parte rei, vel ſecundum ſe, quia naturam poſitiuè ordinari ad ſua inferiora, tanquam commune ad inferius, habet per comparationem intellectus, qua ad illa operatur, & ordinatur, vt latiùs poſtea dicemus.

Tertiò conueniunt omnes, naturas omnes, quæ ſunt à parte rei, eſſe ſingulares, vt iacent à parte rei, quod ratio ſuprà contra Platonem adducta euidenter demonſtrat; nam quidquid eſt in rerum natura, aut eſt creatum, aut increatum: ſi increatũ, eſt Deus, qui ſingularis eſt, & vnum tantùm: ſi creatum, ergo productũ per aliquam actionem; ſed omne, quod producitur, ſingulare eſt, neque enim homo in communi generatur, ſed hic homo: ergo quidquid eſt in rerum natura, vt iacet, ſingulare eſt: ſolùm ergo eſt dubium, an natura ſecundum ſe includat aliquam indifferentiam, ſeu communitatem negatiuam.

In qua re ſit prima concluſio. Natura ſecundum ſe, aut ſecundum ſuam eſſentiam, neque habet eſſe vniuerſale aliquo modo, neque ſingulare, ſed ſolùm habet ſua prædicata eſſentialia, & quidditatiua, v. g. natura humana ex ſe ſolùm habet, quòd ſit animal rationale.

Hanc ſententiam tenet S. Thomas de ente, & eſſentia, cap. 4. quem iam omnes ſequuntur. Et probatur ratione, quia vt habet commune axioma Ariſt. 1. Poſt. ca. 4. *Quod conuenit alicui per ſe, eius oppoſitum neque per ſe, neque per accidens poteſt competere*, vt ſuprà explicuimus: ergo ſi naturæ competeret per ſe, & ſecundum ſuam eſſentiam eſſe ſingularem, neque per accidens, & per intellectum poſſet eſſe vniuerſalis. Et ſimiliter ſi ſecundum ſuam eſſentiam illi competeret, eſſe vniuerſalem, eius oppoſitum, ſcilicet eſſe ſingularem, nullo modo poſſet illi competere: ergo natura ſecundum ſuam eſſentiam neque eſt ſingularis, neque vniuerſalis, ſed ſolùm habet ſua prædicata eſſentialia, quæ inſeparabiliter illam comitantur.

Secundò, de vniuerſalitate, ſeu cõmunitate poteſt fieri euidens etiam argumentum: nam quidquid eſt de ratione ſuperioris, etiam eſt de ratione inferioris, qualiter quia de eſſentia hominis eſt, quòd ſit animal rationale, hoc etiam conuenit ſuis inferioribus, nempe Petro & Paulo: ergo ſi de eſſentia hominis eſt, quòd ſit vniuerſalis, etiam Petrus eſſet vniuerſalis.

Secunda concluſio. Quamuis natura ſecundum ſe neque ſit vniuerſalis, neq; ſingularis, neutrum tamen illi repugnat. Probatur planè, quia ſi repugnaret cum eſſentia naturæ eſſe vniuerſalem, aut ſingularem, nullo modo

modo poſſet illi competere, neque per accidens, ſicut quia repugnat hominem eſſe irrationalẽ, hoc ipſo nullo modo poteſt competere.

Secundò, quia accidentia non repugnant cum eſſentia, ſicut ſalua eſſentia hominis, non repugnat hominem eſſe album; ſed ſingularitas, vel vniuerſalitas ſunt accidentia naturæ, vt probatum eſt: ergo non repugnant illi ſalua ſua eſſentia.

Sit tertia concluſio. Vniuerſale datur à parte rei fundamentaliter. Hanc concluſionem ſtatuo propter communem modum loquendi, quo dici ſolet, vniuerſale fundamentaliter eſſe in rebus: quod ſimul explicatur, & probatur, nam vniuerſale dari à parte rei fundamentaliter, nihil aliud eſt, quàm dari à parte rei naturam, quæ poteſt ab intellectu fieri vniuerſalis, ſi conſideretur, non prout eſt à parte rei ſingularizata, ſed abſtracta à conditionibus ſingularibus; ſed à parte rei dantur tales naturæ, quæ quamuis prout ſunt à parte rei, ſint ſingulares, poſſunt tamen ab intellectu conſiderari, vt vniuerſalis abſtractio à conditionibus indiuidualibus: ergo vniuerſale fundamentaliter datur a parte rei. Et ex hoc colligitur non repugnare eſſe aliquid ſimul vniuerſale fundamentaliter, & ſingulare formaliter, nam eadem natura, quæ prout eſt à parte rei, eſt formaliter ſingularis, fundamentaliter eſt vniuerſalis.

Reſtat, vt reſpondeamus ad argumenta in contrarium adducta. Ad primum primæ ſententiæ reſpondetur, ſcientias appellari perpetuas, quia diſputant de rebus non ſecundum exiſtentiam realem, quam habent à parte rei, nam ſi iam eſſent de ſingularibus, ſed præcisè ſecundum ſuas eſſentias, prout abſtrahunt ab exiſtentia, qualiter in hyeme eſt ſcientia de roſa, quamuis non ſit roſa: eſſentiæ autem rerum perpetuæ ſunt, & inuariabiles ſecundum eſſentias ſuas, quamuis ſecundum exiſtentias ſint corruptibiles, & variabiles.

Neq; valet conſequentia illa: Scientiæ ſunt à parte rei, ergo vniuerſalia, de quibus ſunt, etiam ſunt à parte rei, niſi fortè ſit ſermo de vniuerſalibus fundamentaliter, quod impropriè eſt tale. Cuius ratio à priori eſt, quia cùm ſcientia ſit habitus cognoſcitiuus, & cognitio intellectus poſſit ſe extendere ad ea, quæ non ſunt, poteſt fieri, ſcientiam eſſe à parte rei: ſecus verò obiectum eius, vt dixi de ſcientia, quam habemus de roſa; imò ſcientia de ente rationis eſt realis, & à parte rei, quamuis obiectum eius non ſit à parte rei, ſed per intellectum.

Ad ſecundũ, duobus modis poſſe intelligi, effectum aſſimilari cauſſę. Primo ſimilitudine vniuoca, quæ eſt, quando effectus eſt eiuſdem ſpeciei cum cauſſa, vt quando homo

Digitized by Google

producit alium hominem; & hæc ſimilitudo ſolùm eſt neceſſaria in cauſis vniuocis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei cum ſuis effectibus. Alia eſt ſimilitudo æquiuoca, & eſt quando effectus aſſimilatur cauſſæ, non in ſpecie, ſed in aliquo ſuperiori prædicato, qualiter Sol eſt cauſſa productionis hominis, & aliorum effectuum inferiorum, reſpectu quorum appellatur cauſſa æquiuoca, quia in aliquo prædicato ſuperiori, ſcilicet in ratione corporis illi aſſimilatur, & hoc modo eſt effectus ſimilis ſuæ cauſſæ, quando fit ignis ab agente, quod non ſit ignis, ſimilitudine, inquam, æquiuoca, quia ſaltem in aliqua ratione ſuperiori aſſimilatur.

Ad tertium reſpondetur, negando conſequentiam, quia quamuis intellectus concipiat vniuerſale, & illud non ſit tale à parte rei, non ſequitur, quod decipiatur intellectus, quia non affirmat hoc vniuerſale eſſe tale à parte rei, ſed ſolùm illud intelligit ſimplici apprehenſione, non affirmando, aut negando, an ſit tale: veritas autem, aut falſitas, propriè loquendo, non eſt in ſimplici apprehenſione, ſed in compoſitione, & diuiſione, qualiter quamuis nos apprehendamus Deũm per modum corporis, cùm tamen ipſe in ſe ſpiritualis ſit, non decipimur, quia per iudicium non affirmamus rem ita ſe habere à parte rei.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ (ex quorum ſolutione res hæc ampliùs elucidabitur) reſpondetur. Ad primum, negando minorem, nempe quòd natura ſit ex ſe indifferens ad inferiora. Et ad probationem reſpondetur, verum eſſe naturam ex ſe non eſſe ſingularem, inde tamen non probatur, quòd ex ſe ſit vniuerſalis, ſeu indifferẽs, quia neutrum habet ex ſe, ſed ſolùm ex ſe habet ſua prędicata quidditatiua, vt dictum eſt.

Sed inſtabis: Natura ſecundum ſe non eſt determinata: ergo ſecundum ſe eſt non determinata: ergo ſecundum ſe eſt indifferens, quia eſſe indifferentem, non eſt aliud, quàm eſſe non determinatam.

Pro ſolutione notandum eſt, ex Ariſt. 2. de interpret. cap. 1. nonnullas eſſe regulas obſeruandas, quando argumentamur variando in propoſitionibus negationem ex neganti in affirmantem, vel è contrà: nam ſi argumentemur ſine reduplicatione, ſunt duæ regulæ. Prima eſt, A negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinitante bene valet conſequentia, poſita in minori conſtantia ſubiecti, hoc eſt, exiſtentia ſubiecti: ſi verò non ponatur in minori talis conſtantia ſubiecti, non valet. v.g. non valet, Homo non eſt albus: ergo homo eſt non albus, quia ſi homo non ſit, illa prima eſt vera, Homo non eſt albus, quia non eſt: conſequentia

verò

verò eſt falſa, Ergo homo eſt non albus, quia homo non eſt: ergo vt conſequentia ſit bona, debet in minori affirmari exiſtentia ſubiecti, vt ſi dicamus: Homo non eſt albus, & homo eſt: ergo homo eſt non albus.

Secunda regula eſt, Ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam benè valet conſequentia ſine reduplicatione, vt bene valet, Homo eſt non albus: ergo homo non eſt albus: ſi verò argumentemur cum reduplicatione, vt cùm ponuntur iſtę particulæ, *In quantum*, *Ex ſe*, *Secundum ſe*, & ſimiles, quæ denotant reduplicationem, ſunt duæ aliæ regulæ. Prima eſt, Ab affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam benè valet conſequentia, vt cùm dicimus: Homo, inquantum Homo, eſt non albus: ergo homo inquantum homo, non eſt albus: eſt tamen antecedens falſum, & conſequens verum: quod contingere poteſt in bona conſequentia, vt in Summulis dictum eſt: illud verò antecedens, Homo, inquantum homo, eſt non albus, falſum eſt, quia facit hunc ſenſum, De intrinſeca ratione hominis eſt, quod ſit non albus, quod eſt falſum: aliàs neque per accidens poſſet eſſe albus per regulam illam traditam, quòd illud, quod conuenit alicui per ſe, eius oppoſitum neque per ſe, neque per accidens poteſt competere: illud verò conſequens eſt verum, ſcilicet; Ergo homo, inquantum homo, non eſt albus, quia in eſſentia hominis denotata per illam reduplicationem, *Inquantum*, non clauditur eſſe album, cum hoc ſit accidens.

Secunda regula eſt, A negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito non valet conſequentia, vt cum dicimus: Homo, inquantum homo non eſt albus: ergo homo inquantum homo, eſt non albus; antecedens enim eſt verum, & conſequens falſum, vt dictum eſt.

Ad obiectionem reſpondetur, conſequentiam illam, Natura ſecundum ſe non eſt determinata: ergo ſecundum ſe eſt non determinata, nullã eſſe propter hanc vltimam regulam, quia licèt argumentemur à negatiua ad affirmatiuam de prædicato infinito cum reduplicatione, quæ argumentatio eſt nulla, antecedens eſt verum, & conſequens falſum: nam illud antecedens, Natura ſecundum ſe non eſt determinata, verum eſt, quia natura ſecundum ſe non eſt ſingularis: illud verò conſequens, Ergo ſecundum ſe eſt non determinata, eſt falſum, quia facit hunc ſenſum: De intrinſeca ratione naturæ eſt, quòd ſit non determinata, & hoc eſt falſum; aliàs neque per accidens poſſet illi competere, eſſe determinatam, & ſingularem, per regulam illam traditam, quia illud, quod alicui conuenit per ſe, eius oppoſitum

poſitum neque per ſe, neque per accidens poſſit competere. Valeret autem conſequentia illa: ſi argumentaremur ſine reduplicatione, vt ſi dicamus: Natura non eſt determinata: ergo eſt non determinata: ex hoc tamen nihil ſequitur contra nos.

Sed inſtabis adhùc: Inter terminos contradictorios non poteſt dari medium, ſed determinatum, & non determinatum ſunt termini contradictorij: ergo alter illorum verificatur de natura ſecundum ſe; ſed non verificatur, quòd ſit ex ſe determinata, & ſingularis: ergo verificatur, quòd ex ſe ſit non determinata: atque adeò quòd ſit indifferens.

Reſpondetur, inter terminos contradictorios abſolutè non dari mediũ, vt homo abſolutè vel eſt albus, vel nõ albus, tamen cũ reduplicatione datur mediũ, quia ex ſe neq; eſt albus, neq; nõ albus. In primis ſecundum ſe non eſt albus, vt patet, neque etiam ſecundum ſe eſt non albus; quia ſi ſecundum ſe illi competeret eſſe non album, eius oppoſitum, ſcilicet eſſe album, neque per accidens poſſet illi competere: datur ergo medium inter album, & non album cum reduplicatione: ſimiliter ergo naturæ ſecundum ſe nec conuenit eſſe determinatam, nec non determinatam cum illa reduplicatione, *Secundum ſe*, quia tantùm habet ſua prædicata eſſentialia, & quidditatiua, quando ponitur reduplicatio illa. *Ex ſe*, vel, *Secundum ſe*.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, à parte rei non dari genera, & ſpecies, niſi tantùm fundamentaliter. Et ad probationem, quòd cùm dicimus, à parte rei eſſe omnes homines eiuſdem ſpeciei, & omnia alia animalia eſſe eiuſdem generis, etiam intelligendum eſt fundamentaliter, id eſt, habent naturam, quæ licèt à parte rei non ſit ſpecies formaliter, & aliquid illis commune, tamen eſt talis à parte rei, vt ſi intellectus illam abſtrahat à conditionibus indiuidualibus, poſſit illam conſiderare, vt vniuerſalis eſt, & ſpecies indifferens ad plurima indiuidua.

Ad tertium reſpondetur, quòd potentia eſt duplex, alia actiua, & eſt illa, quæ reſpectu ſui obiecti habet actionem, qua illud producit, qualiter potentia generatiua actiua eſt, quia reſpectu geniti, quod eſt ſuum obiectum, habet actionem, qua effectiuè illud producit. Alia verò eſt potentia paſſiua, & eſt illa, quæ potiùs patitur, & recipit aliquid ab obiecto, qualis eſt potentia viſiua reſpectu coloris, quia recipit ab illo ſpecies viſibiles.

Reſpondetur, quòd obiectum potentiæ paſſiuæ debet præcedere potentiam; nam cum agat in illam, priùs debet exiſtere, quàm operetur, tamen obiectum potentiæ actiuæ

potiùs

Digitized by Google

potiùs eſt poſterior illa, cum fiat ab illa, & quia vniuerſale fit ab intellectu, qui eſt potentia actiua illius, ideò non præcedit ante illum. Verum eſt, intellectum etiam eſſe potentiam paſſiuam, quia recipit ſpecies intelligibiles ad intelligendum ſua obiecta, tamen non patitur immediatè ab obiectis, ſed à ſenſibus internis, qui miniſtrant ſpecies, vt intelligat; & ita obiectum eius non debet præcedere illum: hoc tamen non eſt huius loci exactè examinare, ſed pertinet ad libros de anima.

Sed obijcies: A parte rei datur obiectum viſus; ſed obiectum adæquatum viſus non eſt hic color, neque ille, ſed color in communi; ergo vniuerſale datur à parte rei. Reſpondetur, quòd obiectum adæquatum viſus non eſt hic color determinatè, neque etiam color in communi, ſed hic, vel ille color vagè; & ſic eſt à parte rei.

Ad quartum reſpondetur, quòd prioritas eſt duplex, alia realis, & eſt illa, qua ſecundum realem exiſtentiam vnum præcedit aliud, qua ratione vna pars temporis eſt prior alia ſubſequente: alia verò eſt prioritas rationis, & eſt, qua vnum eſt prius alio, non quidem realiter, & à parte rei, ſed ſolum ſecundum rationem, & conſiderationem, qualiter animal eſt prius homine; quia quamuis à parte rei animal, quod eſt in homine, nunquam exiſtat ſine homine, tamen ſecundum rationem eſt prius illo, quia eſt vniuerſalius.

Reſpondetur, quòd natura eſt prior ſua ſingularitate ſecundum rationem, vt argumentũ probat, quia à parte rei nunquam datur natura ſine ſingularitate, & in illo priori rationis, in quo conſideratur ſine ſingularitate, non eſt indifferens, ſed ſolùm habet ſua prædicata eſſentialia, & quidditatiua.

Ad vltimum reſpondetur, quòd ſingulare poteſt ſumi dupliciter. Primò pro ipſa natura ſingulari præciſe, & hoc modo non eſt relatum ad vniuerſale, & datur à parte rei ſingulare: alio poteſt ſumi prout importat quendam ordinem rationis ad vniuerſale, qui ordo communiter appellari ſolet ſecunda intentio indiuidui; & ſic ſingulare eſt relatum ad vniuerſale: tamen vt ſic non datur ſingulare à parte rei, prout relatum eſt ad vniuerſale, quia illa relatio non eſt realis, ſed rationis, vt dicemus infrà, & ita non datur à parte rei.

QVÆST. III.

Vtrùm natura fiat vniuerſalis per abſtractionem, vel potius per comparationem intellectus.

DOcuimus hactenus naturam neque ſecundum ſe, neq; prout eſt à parte rei, eſſe vniuerſalem, ſed id habe-

habere per intellectum, & ita ſtatim examinandū reſtat, per quam actionem intellectus fiat vniuerſalis. Jn hac autem quęſtione neceſſariò plura ſupponenda ſunt, quorum diſputatio pertinet ad lib. de anim.

Primò ergo notandum eſt, duplicem eſſe intellectum, ſaltem ratione diſtinctum, alter vocatur intellectus agens, alter poſſibilis; intellectus agens eſt potentia quædam, quæ producit in intellectu poſſibili ſpecies intelligibiles omnium rerum, vt per illas, tanquàm per imagines rerum res ipſas intelligat, non ſecus quam viſus, & quilibet alius ſenſus recipit à ſuo obiecto ſpecies ſenſibiles, per quas, tanquàm per imagines percipit ſuum obiectum; ita munus huius intellectus agentis non eſt intelligere, ſed producere ſpecies intelligibiles in intellectu poſſibili immateriales, & ſpirituales, vt ſint principium, & cauſa intellectionis: intellectus verò poſſibilis eſt potentia quædam, quæ tales ſpecies in ſe recipit, & illis mediantibus intelligit, cuius potentiæ ſunt tres illæ operationes intellectus ſæpè numeratæ, ſcilicet ſimplicium apprehenſio, &c.

Secundò notandum eſt, quod in intellectu agenti duplex abſtractio aſſignatur à pluribus; alia reſpectu ſpeciei intelligibilis, alia reſpectu naturæ repræſentatæ per illam: ex quibus prima abſtractio ſine cōtrouerſia ab omnibus admittitur: nam cum ſenſus interni, v. g. imaginatio, aut memoria, habeant ſpecies quaſdam rerum, quas concipiunt materiales, & corporeas, quæ vocantur phantaſmata, quia phantaſiæ, ſeu imaginationi deſeruiunt ad imaginandū: intellectus agens abſtrahit ex his ſpeciem intelligibilem, & ſpiritualem, & à materia abſtractam, & ita ab omnibus talis productio ſpeciei, quæ eſt actio intellectus agentis, abſtractio nuncupatur. De ſecunda verò abſtractione, quæ eſt reſpectu naturæ, qua natura abſtrahitur à cōditionibus indiuidualibus, plures Thomiſtæ aſſerunt, etiam eſſe opus intellectus agentis, fingunt enim ſpeciem illam intelligibilem, productam ab intellectu agente, non repræſentare ſingularia directè, ſed ſolùm naturam vniuerſalem, & abſtractam à conditionibus indiuiduantibus, quia dicunt ſingulare non dari in intellectu per propriam ſpeciem intelligibilem, per quam repræſentetur, ſed ſolùm talem ſpeciem, ab intellectu agente productam, repręſentare directè vniuerſale, & ita dicunt, abſtractionem naturæ à ſingularibus eſſe opus intellectus agentis, penes hoc quòd producat ſpeciem intelligibilem, per quam repræſentetur natura abſtracta à ſingularib.

Nobis tamen dicendum eſt; ſecundam hanc abſtractionē nequaquam eſſe opus intellectus agentis: exiſtimo enim, ſpeciem illam intelligibi-

gibilé, ab intellectu agente productam, non repręſentare vniuerſale vt ſic abſtractum, ſed potiùs directè repræſentare ſingulare, & in eo omnia prædicata ſuperiora, quæ in ipſo ſunt, non tamen vt abſtracta, ſed prout in illo ſunt, ex quo intellectus poſſibilis habet vim, vt mediante hac ſpecie, vbi repræſentantur prædicata ſuperiora rei ſingularis, poſſit illa intelligere ſeorſum, & ſeparata, producendo conceptum, & verbum mentis, in quo vt ſic abſtracta repręſententur, cuius rei efficacem ſatis probationem in libris de anima adducemus; ideò nunc res hæc ſupponatur. Ex quibus rurſus fit, abſtractionem naturæ nullo modo eſſe opus intellectus agentis, nam neque fit mediante aliqua ſpecie intelligibili (vt dictum eſt) neque mediante aliqua cognitione, qua conſideret naturam abſtractam, quia intellectus agens non cognoſcit: ergo talis abſtractio, de qua in pręſenti quęſtione fit ſermo, nullo modo eſt opus intellectus agentis.

Quare tertiò notandum eſt, abſtractionē eſſe opus intellectus poſſibilis: nam abſtractio eſt opus intellectus, non agentis: ergo poſſibiles: & ita conſiſtit in cognitione, qua intellectus poſſibilis conſiderat naturam abſtractam à conditionibus indiuidualibus. Hæc autem abſtractio eſt duplex, alia eſt abſtractio pręciſiua, & eſt ſimplex apprehenſio intellectus, qua conſiderat naturam, non cognitis ſingularibus, & hæc abſtractio præciſiua pertinet ad primam operationem intellectus, cum ſolùm ſit ſimplex apprehenſio rei, vt ſic: alia eſt abſtractio negatiua, qua vnum negatur de alio, & hęc pertinet ad ſecundam operationem intellectus: & ad eundem modum etiam comparatio, quæ eſt actio intellectus poſſibilis, ſecundum omnes duplex eſt: alia, quæ pertinet ad primam operationem intellectus, & eſt cognitio illa, qua intellectus cognoſcit ſuperius in ordine ad inferius, vel è contra nihil affirmando, vel negando, ideoque appellatur ſimplex apprehenſio; quia licet plura apprehendat, ſcilicet inferius, & ſuperius, tamen abſque aliqua compoſitione, aut diuiſione: alia verò eſt comparatio, quæ pertinet ad ſecundam operationem intellectus, & eſt actio illa, qua intellectus ſuperius comparat ad ſua inferiora, vt prædicet illud de ſuis inferioribus; & quia prædicare eſt affirmare vnum de alio, talis comparatio pertinet ad ſecundam operationem intellectus.

Quartò notandum eſt, quod, vt ſuperius diximus, vniuerſale duplex eſt: aliud Metaphyſicum, & eſt ipſa natura abſtracta à conditionibus indiuidualibus: aliud logicum, quod vltra hoc addit relationem naturæ ad ſua inferiora, quæ relatio

non eſt realis, ſed rationis; nam relatio realis neceſſariò debet eſſe inter extrema realiter diuerſa, ſed eadem natura, quæ à parte rei eſt ſingularis, eadem per intellectum eſt vniuerſalis: ergo relatio naturæ vniuerſalis ad inferiora eſt eiuſdem ad ſe ipſum ſecundum rem, atque adeò eſt relatio rationis, quæ communiter appellari ſolet ſecunda intentio, quia aduenit naturæ, quæ appellatur prima intentio.

Hoc ſuppoſito omnes authores conueniunt, vniuerſale Metaphyſicum fieri per abſtractionem, quia per abſtractionem illam natura abſtrahitur à ſingularibus, & habet quandam indifferentiam ad illa; in quo conſiſtit ratio vniuerſalis Metaphyſici, quamuis inter illos diſſenſio ſit, an talis abſtractio ſit actio intellectus agentis vel poſſibilis, in quo iam diximus nullam abſtractionem naturæ fieri ab intellectu agente, ſed ſolùm à poſſibili.

Solùm hîc poſſet dubitari, quid ſit hæc vniuerſalitas Metaphyſica. à qua natura denominatur vniuerſale Metaphyſicum: quibuſdam videtur denominari vniuerſale, à negatione vniuerſalitatis Logicæ, quæ eſt ſecunda intentio vniuerſalis, ſeu relatio vniuerſalis ad inferiora. Sed non placet, quia aliud eſt, naturam per hanc abſtractionem eſſe vniuerſale Metaphyſicum; aliud verò eſt, non eſſe vniuerſale Logicum; nam hoc ſecundum ſupponit illud primum, quemadmodum hominem non eſſe equum, ſupponit eſſe hominem: ergo per negationem vniuerſalitatis Logicæ non conſtituitur primò, & per ſe vniuerſale Metaphyſicum, quamuis ſecundariò dicat illam negationem, ſicut ſecundariò homo dicit non eſſe equum.

Quare alij aſſerunt naturam appellari vniuerſale Metaphyſicum à negatione, ſeu carentia conditionum indiuidualium, quia naturam eſſe vniuerſale Metaphyſicum, nihil aliud eſſe videtur, quàm carere conditionibus indiuiduantibus, quibus erat contracta, & determinata ad ſingularia.

Dicendum tamen nobis eſt, neque talem carentiam eſſe id, quod primò dicit vniuerſale Metaphyſicum, ſed potiùs eſſe extrinſecam denominationem, qua, abſtractione intellectus denominatur abſtracta, ſicut color appellatur viſus extrinſeca denominatione à viſione. Et ratio eſt, quia illa negatio conditionum indiuidualium non conueniebat naturæ à parte rei, & modò conuenit per intellectum, ergo ratione alicuius, quod de nouo adueniat ei, cõuenit illi talis negatio, ſcilicet quia abſtrahitur à ſingularibus: ergo illa extrinſeca denominatio, qua denominatur abſtracta, eſt, per quod primò conſtituitur vniuerſale Metaphyſicũ: & in hac abſtractione

ne fundatur negatio illa conditionum indiuidualium, quam ſecundariò importat vniuerſale metaphyſicum: hæc autem extrinſeca denominatio nihil ponit in natura, ſicut neque eſſe viſum ponit in natura, ſicut neque eſſe viſum ponit aliquid in colore, & ideò appellatur natura extrinſeca denominatio.

Et ſi inquiras, an hæc extrinſeca denominatio ſit ens rationis, reſpondetur, certum eſſe, quòd ex vi huius actionis, quæ eſt abſtractio, non ſit ens rationis. Ratio eſt, quia totum eſſe entis rationis eſt cognoſci, cùm ſit ens fictum; ſed per hanc abſtractionem non cognoſcitur extrinſeca illa denominatio, quæ ex illa reſultat, ſed tantùm ipſa natura abſtracta, verbi gratia, homo præciſè, quia ſi præciſè ſolùm intelligam naturam indifferentem ad plura, nil amplius intelligendo, eſt abſtractio naturæ à ſingularibus: cum ergo illa extrinſeca denominatio non cognoſcatur per abſtractionem, non eſt ens rationis ex vi illius: an verò quando deinde per nouum actum cognoſcitur extrinſeca hæc denominatio per modum entis, ſit ens rationis, vel non, pendet ex quæſtione illa generali, vtrùm extrinſecæ denominationes ſint entia rationis, vel quid ſint, quam in ſecunda diſputatione tractauimus; hic enim ſolùm agimus de ipſa natura vniuerſali.

Solùm eſt difficultas in hac quæſtione de vniuerſali logico, an fiat per abſtractionem, vel potius per comparationem, in qua re plures ex recentioribus exiſtimant, vniuerſale logicum fieri per abſtractionem. Tenet Sotus quæſtio. 3. dub. 1. Cardinalis Toletus quæſtione 2. Maſius quæſtione 5. concluſ. 3. Cuius ſententiæ fundamentum eſt. Primò, quia natura ſic abſtracta eſt vna, & apta eſſe in multis: ergo vniuerſale logicum: quia (vt vidimus ex Ariſtotele) vniuerſale logicum eſt, quod aptum natum eſt eſſe in multis.

Secundò, quia hæc natura ſic abſtracta eſt communis, & reſpicit inferiora: ergo vniuerſale logicum. Quod reſpiciat inferiora, probatur, quia abſtrahitur ab illis: ergo reſpicit illa, tanquàm ea: à quibus abſtrahitur.

Tertiò quia ſi vniuerſale logicũ fieret per comparationem, ſequeretur dari vnum relatiuum ſine alio, quod eſt impoſſibile. Probatur ſequela, quia per illam comparationem ſolũ intelligitur ipſa natura cõparata, nõ verò intelliguntur inferiora, ad quæ refertur: ergo datur vnum correlatiuum ſine alio.

His tamen non obſtantibus ſit concluſio: Vniuerſale logicum fit per comparationem intellectus poſſibilis. Hanc ſententiam tenet Diuus Thomas de ente, & eſſentia, cap. 4. ad finem, & 1. part. quæſt. 28. Scotus in 2. diſtinct. 3. quæſtione 1. Soncin-

nas 1. Metaphy. c. 15. Ant. Andreas 7. Metaphyſ. c. 16. Et probatur ratione, quia vniuerſale logicum dicit naturã communem ſimul cum relatione ad inferiora; ſed hæc relatio ad inferiora non reſultat per abſtractionẽ, ſed per comparationem: ergo potiùs fit per comparationem. Probatur minor, quia per abſtractionem, vt vidimus, intelligitur natura præcisè, & ideò abſtrahi dicitur, quia pręcinditur à ſingularibus, cum quibus erat coniuncta; ſed vniuerſale logicum dicit vlterius relationem naturæ ad inferiora: ergo talis relatio reſultat ex comparatione, qua natura intelligitur relata, & comparata ad inferiora; & ita reſpectu huius comparationis non ſolùm natura, ſed ipſa relatio eſt obiectum cognitum; nam cognoſcitur natura, prout relata, cùm talis intellectio ſit comparatiua naturæ ad inferiora.

Ex quo intelligitur diſcrimen inter abſtractionem, & comparationem: nam illa extrinſeca denominatio, quæ reſultat in natura ex abſtractione, non cognoſcitur per abſtractionem, per quam natura præcisè conſideratur: at verò per comparationem, quamuis non intelligatur extrinſeca illa denominatio, qua natura appellatur cognita, ſed ad hoc opus ſit noua intellectione; tamen relatio rationis naturæ ad inferiora cognoſcitur, & ita ex vi huius actus illa relatio eſt ens rationis actu cognitum per ipſum.

Secundo probatur concluſio, quia ſi vniuerſale logicum fieret per abſtractionem, daretur vnicum relatiuum ſine alio, quod eſt impoſſibile. Probatur ſequela, quia vniuerſale logicum dicit ordinem ad inferiora, ſed per abſtractionem natura præcinditur à ſuis inferioribus, & ſine illis conſideratur: ergo ſi tale vniuerſale fit per abſtractionem, iam daretur vnum relatum ſine alio.

Neque valet, ſi reſpondeas, quòd quamuis talia inferiora non cognoſcantur ab intellectu, ſunt tamen à parte rei, & ita non datur vnum relatiuum ſine alio: nam contrà eſt, quòd vniuerſale logicum non refertur ad inferiora, prout ſunt à parte rei, ſed prout ſunt obiectiuè in intellectu ab illo cognita: nam quamuis à parte rei nullum eſſet indiuiduum hominis, natura humana eſſet vniuerſalis ad plures homines obiectiuè exiſtentes in intellectu, qualiter etiam natura Angelica denominatur vniuerſalis, non quia à parte rei ſint plura indiuidua ſub eadem ſpecie (vt videbimus cap. de ſpecie) ſed quia obiectiuè concipitur vt habens plura indiuidua: ergo vniuerſale logicum non refertur ad inferiora, prout ſunt à parte rei, ſed prout ſunt obiectiuè in intellectu ab illo cognita.

Sed ſtatim oritur difficultas, per quã comparationẽ ex duabus, quas ſuprà

ſuprà aſſignauimus, fiat vniuerſale logicum, an ſcilicet per ſimplicem comparationem, qua intelligitur natura ordinata ad inferiora, in quibus eſt, vel per comparationem, qua ſuperius comparatur ad inferius in actuali prædicatione, quam diximus pertinere ad ſecundam operationem intellectus.

Reſpondetur non fieri per hanc ſecundam, ſed per primam. Ratio eſt, quia actu prædicari vniuerſale de ſuis inferioribus, ſupponit eſſe prædicabile, & vniuerſale, nam hæc eſt vera, & cauſalis prædicatio: ideò actu prędicatur de inferioribus, quia prædicabile, & vniuerſale eſt: ergo ante iſtam ſecundam actionem ſupponitur eſſe vniuerſale, & prædicabile, quod eſt paſſio vniuerſalis: reſtat ergo, quòd tam vniuerſale logicum, quam prædicabile, fiant per illam ſimplicem comparationem, qua intelligitur relatio, & ordo naturæ ad inferiora; in quibus eſt, per quod fit eſſentia vniuerſalis, vel ad inferiora, prout de illis prædicabilis eſt, per quod fit prædicabile, quod eſt paſſio vniuerſalis, vt ſuprà.

Ad argumenta in contrarium reſpondetur. Ad primum, naturam abſtractam per abſtractionem fieri vnam, & communem, tamen per abſtractionē non eſt apta, vt ſit in multis poſitiuè, quia cùm non reſpiciat inferiora, non habet relationem ad illa, aptitudo verò ad eſſendum in multis, poſitiuè requirit ordinem, & relationem ad illa, ſolùm eſt natura per abſtractionem apta, vt ſit in multis negatiuè, id eſt, non repugnat illi eſſe in multis, tamen poſitiuè, & per relationem non eſt apta.

Ad ſecundum, communis ſolutio eſt, quòd natura abſtracta reſpicit inferiora, tanquàm ea, in quibus non eſt, ſed abſtrahitur ab illis, non verò tanquàm ea, in quibus eſt, quod habet per comparationem, & eſt requiſitum ad eſſentiam vniuerſalis. Sed non placet ſolutio, quia omnis relatio naturæ ad inferiora (vt ſuprà vidimus) eſt relatio rationis, cùm ſuperius, & inferius non diſtinguantur realiter: omne autem ens rationis tamdiu eſt, quamdiu cognoſcitur, ſed per abſtractionem, qua præciſè conſideratur natura non cognitis inferioribus, non cognoſcitur talis relatio rationis ad inferiora, ſed præciſè ipſa natura abſtracta: ergo ex vi abſtractionis nulla relatio ad inferiora oritur actualiter in natura. Quare ad argumentum reſpondetur, quod cùm natura per abſtractionem ſecundum ſe pręciſè conſideretur, nec reſpicit inferiora, tanquàm ea, in quibus eſt, nec tanquàm ea, in quibus non eſt, quia nullo modo reſpicit illa, ſed conſideratur præciſè, & ſecundum ſe ſine ſingularibus.

Ad tertium reſpondetur, negando dari vnum relatiuum ſine alio, nam

Digitized by Google

nam per comparationem non ſolùm intelligitur natura quæ comparatur, ſed etiam intelliguntur inferiora, non quidē, hæc & illa in particulari, ſed inferiora abſolutè; & ita non datur vnum relatum ſine alio. Nec mirum eſt, quòd vnica cognitione cognoſcantur plura, ſcilicet ſuperius, & inferius, nam ſunt obiecta veluti partialia, & inadæquata; & quia inter ſe ſubordinantur, eadem cognitione percipiuntur. Ex quo etiam ſequitur, per eandem comparationem reſultare relationem ſuperioris ad inferius, & aliam inferioris ad ſuperius, quin ſit opus alia comparatione.

Sed obijcies: Comparatio eſt actio realis: ergo debet habere terminum realem ex illa reſultantem: ergo non poteſt reſultare vniuerſale logicum, quod eſt ens rationis. Reſpondetur, quòd comparatio habet duplicem terminum, alterum intrinſecum, & per illam productum: & iſte eſt realis, nempe ipſum verbum mentis, quod eſt imago realis, repræſentans vniuerſale logicum: alius eſt terminus extrinſecus, & eſt obiectum cognitum; & talis terminus extrinſecus non opus eſt, quòd ſit ens reale, ſed poteſt eſſe ens rationis, quam etiam ens rationis poteſt eſſe obiectum cognitionis: neque debet reputari inconueniens (vt plures exiſtimant) quòd vniuerſale logicum, quod eſt ens rationis, repræſentetur per imaginem realem, quale eſt verbum mentis, quin potiùs neceſſariò hoc fatendum eſt; nam omne, quod intelligitur, in tantum intelligitur, in quantum repræſentatur in verbo: ergo cùm intelligatur ens rationis, neceſſariò debet repræſentari in verbo: vnde ſicut non eſt inconueniens intelligi intellectione reali, quæ eſt actio realis; ita non debet eſſe inconueniens, quòd repræſentetur in verbo, quod eſt imago realis.

QVÆST. IV.

Vtrùm naturæ vniuerſales diſtinguantur ex natura rei à ſingularibus, in quibus ſunt.

SEnſus quæſtionis eſt, Vtrum prædicata ſuperiora, vt eſſe hominem, vel animal, diſtinguantur à parte rei à ſingularibus, in quibus ſunt, ſcilicet à Petro & Paulo, ita quòd à parte rei ſit aliquid diuerſum in Petro eſſe hunc hominem, & eſſe hominem, ſeu animal.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd diſtinctio eſt duplex: alia realis, alia rationis; diſtinctio realis eſt illa, qua duo extrema à parte rei, & nullo operante intellectu diſtinguuntur: & ideò realis vocatur, qualis eſt inter Petrum, & Paulum. Alia eſt diſtinctio rationis, & eſt, quando extrema ſolùm per intel-

lectum.

Digitized by Google

lectum diſtinguuntur, qualis diſtinctio eſt inter actionem, & paſſionẽ, quæ cum à parte rei ſit eadem entitas, penes diuerſos reſpectus diſtinguuntur ab intellectu: nam actio dicit ordinem ad agens, paſſio verò eſt eadem entitas, dicens ordinem ad paſſum, in quo recipitur.

Secundò notandum eſt, inter has diſtinctiones nullam aliam mediam poſſe imaginari, quidquid malè Scot. in 1.d.2.q.7. & d. 8. q. 4. aſſignat diſtinctionem quandam formaliter mediam, quam dicit, neque eſſe realem, neque rationis, ſed mediam inter illas, quam formalem appellat. Cuius ſententiæ falſitas ex eo conuinci poteſt, quia eſſe vnum, & diuerſum ab alio, eſt paſſio entis; ſed tantùm eſt duplex ens, ſcilicet reale, & rationis; ergo tantùm eſt duplex diſtinctio realis, & rationis.

Secundò, quia vel illa diſtinctio media habet eſſe à parte rei, & ſic iam erit realis: nam quidquid habet eſſe à parte rei, eſt aliquid reale: vel tantum habet eſſe per intellectum; & ſic eſt diſtinctio rationis: ergo nulla eſt media inter realem, & rationis.

Tertiò, quia omnis diſtinctio, vel eſt relatio quædam diuerſitatis inter duo, vel ſaltem illam rationem conſequitur; ſed tantùm eſt duplex relatio, realis, & rationis: ergo tantùm eſt duplex diſtinctio realis, & rationis.

Ex quo fit, quòd diſtinctio illa formalis, quam Scotus ponit, vel ſit realis, vel rationis: nam diſtinctio formalis eſt diſtinctio per principia formalia, & eſſentialia: vnde ea, quæ habent eſſentias realiter diuerſas, vt homo, & equus, diſtinguuntur realiter: formaliter verò ea, quæ habent eſſentias ſolùm ratione diuerſas, vt actio, & paſſio, diſtinguuntur formaliter. Verum eſt in communi vſu diſtinctionem formalem potiùs appellari ab authoribus diſtinctionem rationis, quàm realem.

Tertiò notandum eſt, quòd diſtinctio realis eſt duplex: alia rei à re, vt qua diſtinguuntur Petrus, & Paulus, alia inter rem, & modum eius, qualis eſt diſtinctio inter Petrum, & eius ſeſſionem, quæ eſt modus eius. Et rurſus diſtinctio rei à re eſt duplex, alia eſt inter includens, & incluſum, qualis eſt inter Petrum, & ſuum caput, quod in illo includitur: alia verò eſt inter duas res totales, quarum vna non includit aliam, vt inter Petrum, & Paulum.

Relicta diſtinctione reali, diſtinctio rationis duplex eſt: alia eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, alia verò rationis ratiocinantis: diſtinctio rationis ratiocinantis eſt illa, quæ nullum habet fundamentum à parte rei; & ita appellatur diſtinctio rationis ratiocinantis, quia tota abſq; fundamento in re fingitur ab intellectu, vt quando intellectus diſtin-

guit Petrum à ſe ipſo in ratione ſubiecti, & prædicati in hac prædicatione; Petrus eſt Petrus. Alia eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ, & eſt illa, quæ habet aliquod fundamentum à parte rei: hoc autem fundamentum non eſt, quòd extrema à parte rei habeant aliquam diſtinctionem, iam enim potius eſſet diſtinctio realis, quàm rationis; nec etiam eſt, quòd ipſa extrema, inter quæ fingitur diſtinctio, ſint à parte rei, nam inter Petrum, & ſe ipſum eſt diſtinctio rationis ratiocinantis (vt dixi) & tamen vtrumque eſt à parte rei, nempe Petrus, & ipſemet. Quare dicendum eſt, habere hanc diſtinctionem fundamentum in re, nihil aliud eſſe, quàm quòd extrema à parte rei ſint talia, vt intellectus ob ſuam imperfectionem non poſſit illa intelligere proprijs conceptibus, ſed per ſpecies alienas rerum diuerſarum intelligit illa extrema, quæ à parte rei ſunt vnum, tanquam diſtincta inter ſe; & hoc modo diſtinguit intellectus inter actionem, & paſſionem, quia ob ſuam imperfectionem concipit hæc duo per ſpecies alienas rerum diuerſarum. Et quòd ita ſit dicendum probatur, quia, ſi intellectus cõciperet illa extrema, prout ſunt in ſe, proculdubio conciperet illa prout omninò indiſtincta, quia in ſe, & à parte rei idem ſunt prorſus: ergo ideò concipit illa vt diſtincta, quia concipit per alienas ſpecies rerum diuerſarum, & non prout ſunt in ſe.

Sed rurſus diſtinctio rationis ratiocinatæ duplex eſt, alia inter extrema non ſubordinata inter ſe, & quorum vnum non includit alterũ, qualis eſt diſtinctio inter actionem, & paſſionem, quæ adeò inter ſe differunt, vt pertineant ad diuerſa prædicamenta: & hæc diſtinctio eſt, de qua dici ſolet, ſufficere ad falſificandas propoſitiones, qualiter hæc eſt falſa formaliter loquendo: Actio, eſt paſſio, quia cum extrema inter ſe nullam habeant ſubordinationem, non poteſt vnum de alio formaliter prædicari. Alia verò eſt diſtinctio rationis, quæ eſt inter extrema inter ſe ſubordinata, & quorum vnum includit aliud, & ita non ſufficit falſificare propoſitiones, qualiter hæc eſt vera adhuc formaliter, Homo eſt animal, quamuis diſtinguantur ratione homo, & animal, quia animal eſt de formali conceptu hominis, & ita non facit hunc ſenſum. Ratio formalis, quæ eſt homo, eſt ratio formalis, quæ eſt animal; ſed quòd in ratione formali hominis includatur ratio formalis animalis, ita ꝙ homo, & animal diſtinguantur, ſicut includens, & incluſum, ratione ſolùm diſtincta: nam etiam in diſtinctione rationis eſt diſtinctio inter includens, & incluſum, vt homo, & animal, vt dicemus.

His ſuppoſitis, Scotus vbi ſuprà exiſti-

exiſtimat prædicata ſuperiora diſtingui ex natura rei, & nullo operante intellectu à ſingularibus, in quibus ſunt, imò & ipſa inter ſe, ita quòd in Petro ex natura rei differant ratio Petri, & ratio hominis, & ratio animalis. Cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia ea diſtinguuntur ex natura rei, quæ ex natura rei habent diuerſas diffinitiones, & eſſentias; ſed à parte rei diuerſam habet diffinitionem ratio animalis, & ratio hominis, quia animal definitur, quòd ſit viuens ſenſibile, homo verò quòd ſit animal rationale: ergo ex natura rei diſtinguuntur talia prædicata inter ſe.

Secundò, quia ea diſtinguuntur à parte rei, quorum vnum poteſt ſeparari ab alio à parte rei; ſed ratio animalis poteſt reperiri à parte rei ſine ratione hominis, vt ſi tantùm eſſet equus in rerum natura; & ſimiliter ratio hominis poteſt reperiri à parte rei ſine hoc ſingulari, quod eſt Petrus, vt ſi tantùm daretur Paulus in rerum natura; ergo prædicata vniuerſalia diſtinguuntur ex natura rei à ſingularibus, & inter ſe.

Contraria tamen ſententia nobis tenenda eſt, ſcilicet prædicata eſſentialia non diſtingui inter ſe ex natura rei, neque à ſingularibus, in quibus ſunt, ſed ſolùm ratione ratiocinata. Tenet S. Thom. 1. p. q. 5. art. 2. in corp. & quæſt. 76. art. 3. ad 4. Durand. in 2. d. 3. q. 2. Caiet. de ente, & eſſentia, cap. 4. q. 6. Soncin. 7. Met. q. 36.

Et ratione probatur, quia ſi prædicata vniuerſalia, & ſuperiora diſtinguerentur à ſingularibus, in quibus ſunt, & inter ſe, nõ poſſent prędicari de ſingularibus, neque inter ſe: vnde iſtæ eſſent falſæ, Petrus eſt homo, homo eſt animal. Probatur ſequela, quia ea, quæ à parte rei diſtinguuntur, non poſſunt prædicari vnum de alio: nam, quamuis natura includatur in homine, quia à parte rei diſtinguitur ab illo, hæc eſt falſa; Homo eſt natura: ergo ſi animal ex natura rei diſtinguitur ab homine, & homo à Petro, iſtæ eſſent falſæ; Homo eſt animal, Petrus eſt homo.

Secũdò, quia ſi prędicata ſuperiora, & inferiora diſtinguuntur ex natura rei: ergo in ſingulari, in quo coniunguntur, faciunt compoſitionem realem. Probatur ſequela, quia compoſitio nihil aliud eſt, quàm diſtinctorum vnio: vnde compoſitio realis eſt vnio diſtinctorum realiter: ergo in Petro, in quo coniunguntur prædicata ſuperiora, & inferiora, facerent realem compoſitionem: vnde nulla eſſet res ſimplex in rerum natura, adhuc ipſe Deus, ſed potius haberet compoſitionem: nam in eo inueniuntur prædicata ſuperiora, & inferiora inter ſe vnita: vnde ſi diſtinguuntur realiter, efficerent realem compoſitionem.

Digitized by Google

Secunda verò pars concluſionis, nempè quòd iſta prædicata ſolùm diſtinguuntur ratione ratiocinata, probatur, quia talis diſtinctio rationis inter hominem, & Petrum, habet quoddam fundamentum in re: ergo eſt rationis ratiocinatæ. Probatur antecedens, quia in ratione hominis Petrus, & Paulus aliquo modo ſunt vnum à parte rei, ſcilicet vnitate formali negatiua, vt dicemus in quæſtione ſequenti, id eſt, quòd à parte rei non diſtinguuntur in ratione hominis: vel ſaltem ſecundum alios ſunt vnum fundamentaliter, & etiam à parte rei inter ſe differunt: ergo à parte rei eſt fundamentum, vt intellectus diſtinguat hominem, & Petrum: ergo diſtinguuntur ratione ratiocinata.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur, prædicata, quæ ſunt in eadem re, verbi gratia in Petro, non habere à parte rei diuerſas definitiones: nam animal, quod eſt in homine, cum ſit prorſus idem homo, etiam eſt animal rationale; & homo, qui eſt coniunctus cum ipſo animali à parte rei, etiam eſt viuens ſenſibile, ſolùm talia prædicata habere diuerſas definitiones, prout recipiuntur ab intellectu ratione diſtincta.

Ad ſecundum optimè inferri diſtinctionem realem inter duo, ex eo quòd vnum ab alio ſeparetur, vt pluries tam in Logica, quam in Phyſica repetemus. Nego tamen minorem, ſcilicet quòd animal, quòd eſt in homine, poſſit reperiri à parte rei ſine homine, nam diuerſa ratio animalis entitatiuè eſt in homine, & in equo: vnde quamuis ratio animalis, quæ eſt in equo, poſſit reperiri ſine homine, non tamen ratio animalis, quæ eſt in homine, quia hæc eſt idem realiter cum homine: homo autem ſolùm eſt idem realiter cum rationes animalis, quæ eſt in ipſo, non verò cum ea, quæ eſt in equo.

QVÆST. V.

Vtrùm detur à parte rei vnitas formalis in natura vniuerſali, quæ eſt in ſingularibus.

IN hac quæſtione tria à nobis examinanda ſunt. Primò explicabimus, quid ſit vnitas formalis. Secundò, an detur à parte rei. Tertiò, an duo indiuidua eiuſdem ſpeciei ſint vnum formaliter à parte rei.

Circa primam difficultatem primò notandum eſt, quòd cùm vnum ſit paſſio entis, eo modo aliquid eſſe vnum, quo eſt ens: vnde cùm Petrus, verbi gratia, non ſolùm ſit ens, quatenus eſt Petrus, ſed quatenus, eſt homo, & quatenus eſt animal, &c. ita etiam eſt vnus non ſolùm quatenus eſt Petrus, ſed quatenus homo, & quatenus animal.

Secun-

Digitized by Google

Secundò notandum eſt, quod cùm vnitas ſit carētia diuiſionis, vt ſtatim dicam, tot eſſe vnitates, quot ſunt diuiſiones, quibus priuantur: diuiſio ergo duplex eſt, alia materialis, alia formalis: materialis eſt illa, quæ fit per principia materialia, qualiter Petrus diſtinguitur à Paulo, quia habent diuerſa principia ſingularia. Appellatur autem hæc diuiſio materialis, non quidem, quia materia eſt principium indiuiduationis, vt quibuſdam placet, hoc enim non eſt adeò certum, nec probabile, vt videbimus 1. libro Phyſicor. ſed quia conuenit rebus conſideratis, prout in indiuiduo, & ſingulari, quod quidem indiuiduum eſt ſubiectum prædicatorum ſuperiorum, & ita quodammodò habet rationem materiæ.

Appellatur etiam vnitas numerica, quia conuenit rebus, prout in ſingulari, ex quibus componitur numerus.

Diuiſio formalis eſt illa, quæ fit per principia eſſentialia pluribus indiuiduis communia, qualiter diſtinguitur homo ab equo per rationale, quod eſt principium eſſentiale hominis, conueniens omnibus eius indiuiduis: appellatur verò hæc diuiſio formalis, quia eſt per principia eſſētialia eſſētia autē habet rationē formæ conſtituentis rem. Duplex ergo eſt vnitas, alia materialis, ſeu ſpecifica, & eſt carentia diuiſionis materialis, & numericæ: & ita Petrus eſt vnus materialiter, quia non eſt diuiſus in plura indiuidua: vnitas verò formalis eſt carentia diuiſionis formalis, qualiter homo eſt vnus formaliter, quia non diuiditur in plura eſſentialiter diuerſa, ſed ſolùm diuerſa materialiter, & in indiuiduo, ſcilicet in Petrum, & Paulum; & ita eſt vnus formaliter, non verò materialiter.

Rurſus vnitas formalis eſt duplex, ſicut & diuiſio formalis: alia eſt diuiſio formalis per principia eſſentialia pluribus ſpeciebus communia, qualiter homo diſtinguitur à planta per rationem animalis, quæ eſt communis pluribus ſpeciebus; & carentia huius diuiſionis appellatur vnitas formalis, qualiter homo eſt vnus formaliter, quia non diuiditur in plura differentia per principia eſſentialia pluribus ſpeciebus communia, ſed ſolùm differentia materialiter, & in indiuiduo: alia eſt diuiſio formalis, quæ fit per principia eſſentialia, propria tamen vnius ſpeciei, qualiter diſtinguitur homo ab equo per rationale, quod eſt principium eſſentiale illi proprium, & non alijs: & carentia huius diuiſionis eſt, quæ propriè appellatur vnitas formalis, qualiter homo eſt vnus formaliter, quia non eſt diuiſus in plura differētia principia eſſentialia, quaſi ſpecifica, ſed ſolùm in plura numero differentia, ſcilicet quæ ſolùm differunt in ſingulari.

Tertiò notandum eſt, præter vnitatem formalem iam connumeratam dari etiam vnitatem ſpecificam, & genericam; vnitas quidem ſpecifica dicit naturam pluribus indiuiduis communem, & illa reſpicientem: nam ſpecies ſignificat naturam communẽ cum tali relatione ad indiuidua: vnitas verò generica dicit naturma communem pluribus ſpeciebus, & ad illas relatã: nam genus eſt natura communis ordinata ad ſuas ſpecies: vnitates autem connumeratæ ita inter ſeſe habent, quòd ea, quæ ſunt vnum vnitate inferiori, magis ſunt vnum, v. g. Petrus, & Paulus, quàm homo, & equus, quia Petrus, & Paulus ſunt vnum, ſaltem ſpecificè, quia pertinent ad eandem ſpeciem: homo verò, & equus ſolùm ſunt vnum genericè, ſcilicet in ratione animalis.

His ſuppoſitis conueniunt omnes, vnitatem ſpecificam, & genericam non eſſe vnitates negatiuas, ſcilicet quæ conſiſtant in carentia aliqua, ſed potiùs eſſe poſitiuas, ſcilicet quæ conſiſtant formaliter in aliquo prædicato poſitiuo, ita quòd vnitas ſpecifica ex parte ſpeciei pro materiali dicat naturam pluribus indiuiduis communem: pro formali verò dicat relationem huius naturæ communis ad ſua inferiora, quæ relatio ſolùm eſt rationis, quia ſuperius, & inferius ſolùm diſtinguuntur ratione, vt dictum eſt, Relatio autem realis requirit extrema realiter diſtincta. Et eodem modo vnitas generica dicit pro materiali naturam pluribus ſpeciebus communem, vt animal, quod eſt commune homini & equo: pro formali verò dicit relationem ad ſpecies inferiores, quæ propter eandem rationem eſt relatio rationis. Si verò ſumatur hæc vnitas ex parte inferiorum, qua ratione duo indiuidua dicuntur eſſe vnum ſpecie, & duæ ſpecies eſſe vnum genere, talis vnitas dicit pro materiali ipſas naturas inferiores: pro formali verò reclationẽ vtriuſque ad vnum, & idem prædicatum commune genericè, & ſpecificè.

Et quòd hoc ita ſit dicendum, probatur, quia ſi iſtæ vnitates eſſent negatiuæ, ita quòd formaliter conſiſterent in carentia diuiſionis ſpecificæ, aut genericæ, tam vnitas ſpecifica, quàm generica darentur formaliter à parte rei, quia à parte rei Petrus, & Paulus carent diuiſione ſpecifica, aliàs differrent ſpecie à parte rei. Et ſimiliter homo, & equus carent diuiſione generica, quia à parte rei non differunt genere: ergo ſi iſtæ vnitates conſiſterent formaliter in illa carentia, darentur à parte rei: quod eſt contra omnes, imò & contra rationem, quia ſicut à parte rei non dantur genera, & ſpecies formaliter, vt diximus, ita neque daretur vnitas ſpecifica, aut generica.

Solùm ergo eſt dubium apud au- thores

thores de vnitate formali, & materiali, an ſint negatiuè, an conſiſtant formaliter in carentia diuiſionis formalis, vel materialis, & qualis ſit illa carentia, vel potiùs conſiſtant in aliquo poſitiuo.

In qua re omnes illi authores, qui exiſtimant Vnum tranſcendentale, quod eſt paſſio entis, addere ſupra ens aliquid poſitiuum; nam etiam iſtę vnitates ſunt tranſcendẽtales, & reperiuntur in qualibet re. Sic ſentit Scot. 4. Metaph. q. 2. & in 2. d. 3. quæſt. 2. Antonius Andreas 4. Metaphyſ. quæſt. 2. Mirandulanus in concluſionibus philoſophicis conc. 64.

Vera tamen ſententia eſt, quam tenet D. Thom. 1. p. q. 11. art. 1, quem ferè omnes ſequuntur, vnitatem tranſcendentalem addere ſupra ens carentiam diuiſionis, ita quòd non ſit aliud, quam ens indiuiſum, & ita vnitatem formalem conſtitui per carentiam diuiſionis formalis, materialem verò per carentiam diuiſionis materialis. Quod breuiter ſic probatur, quia illud, quod addit Vnum tranſcendentale ſupra ens, vel eſt aliquid vel nihil, ſcilicet carentia diuiſionis, quæ carentia nihil eſt. Si addit huiuſmodi carentiam, habeo intentum: ſi verò addit aliquid: ergo eſt ens: ergo non ſuperadditum enti: ergo Vnum ſupra ens nihil poſitiuum poteſt addere.

In qua re non oportet ampliùs detineri: legatur Fonſeca 4. Metaph. cap. 2. q. 5. ſectione 5. ex quo ſic argumentor: Vnitas tranſcendentalis in communi dicit carentiam diuiſionis: ergo talis vnitas, ſcilicet materialis, dicit carentiam diuiſionis materialis: & dicit carentiam ſimiliter formalis diuiſionis formalis.

Probo conſequentiam, quia ſuperius negatiuum debet contrahi per differentias negatiuas, ſicut poſitiuũ per poſitiuas, v. g. Priuatio in communi non poteſt contrahi, niſi per hanc, & illam priuationem, quæ ſunt inferiora eſſentialiter ſub illa contenta.

Nec placet, quod alij dicunt, vnitatem pro formali non ſolùm dicere carentiã diuiſionis, ſed etiam entitatem, quia vnitas definitur quòd ſit entitas diuiſa, ita quòd conceptus formalis vnitatis integretur ex carentia, & ex vnitate poſitiua.

Hoc, inquam, non placet, quia in illo conſiſtit formaliter vnitas, quod addit ſupra ipſum ens; ſed non poteſt addere ſupra ens entitatem aliquam, vt vidimus: ergo entitas non intrat in conceptu formali vnitatis.

Secundò, quia conceptus formalis alicuius rei eſt conceptus vltimus, per quem vltimò conſtituitur. quia conceptus appellatur formalis, id enim, quòd conſtituit, ſe habet vt forma dans eſſe; ſed conceptus vltimus ſolùm eſt vnicus; quia inter ea, quæ

quæ ſunt ſubordinata, qualiter prædicata cuiuslibet rei ſunt ſubordinata, repugnat dari duo vltima: ergo cùm conceptus formalis vnitatis ſit illa carentia diuiſionis, quam Vnum addit ſupra ens, fit quòd entitas poſſit etiam eſſe, non conceptus vltimatus illius: vnde tota ratio entitatis reſpectu illius carentiæ habet rationem formæ, & ex vtroque integratur totum concretum, quod eſt vnum; quod eſt paſſio entis. Neque obſtat, quòd definiatur vnitas, quòd ſit entitas indiuiſa: nam illa propoſitio non eſt vera in ſenſu formali, nam cùm vnitas ſit carentia, quæ nihil eſt, non eſt entitas, ſolùm eſt vera in ſenſu identico, quia cùm illa carentia non diſtinguatur realiter ab ipſa entitate, ſed ſit ipſa entitas carens diuiſione in ſenſu identico, optimè datur, quòd vnitas eſt entitas indiuiſa.

Sed ſtatim inſurgit difficultas, nam carentia duplex eſt: alia priuatio, & eſt carentia formæ in ſubiecto apto ad habendam talem formam, qualiter cæcitas in homine eſt priuatio, quia eſt carentia viſus, ad quem habendum homo habet aptitudinem: alia verò eſt negatio, & eſt carentia formæ in ſubiecto non apto ad habendam talem formam, qualiter carentia viſus in lapide, negatio eſt, quia lapis non eſt aptus ad habendum viſum. Dubiũ ergo eſt, an vnitas formalis, & materialis ſit priuatio, vel potiùs negatio diuiſionis.

Jn qua re quibusdam videtur vnitatem formalem, aut materialem non dicere negationem, ſed priuationem, ducti ex eo, quòd negatio nullum determinat ſubiectum, qualiter non homo tam dicitur de lapide, quàm de equo, & de chimera: vnitas verò formalis determinat ſubiectum; nam vnitas formalis, quæ eſt in homine, à qua appellatur vnus formalis, non eſt in equo: ergo non eſt negatio.

Secundò ſequitur, quòd Petrus, inquantum eſt vnus materialiter, ſit vnus formaliter; atque adeò quòd vnitas formalis, & materialis confundantur inter ſe. Probatur ſequela, quia Petrus reduplicatiuè inquantum eſt vnus materialiter, eſt negatus diuiſione formali, quia repugnat illũ diuidi in plures: ergo adhùc in quantum eſt vnus materialiter, eſt vnus formaliter; atq; adeò confunduntur vnitas formalis, & materialis.

Vera tamen, & communis ſententia eſt, vnitatem formalem, & materialem dicere negationem diuiſionis materialis, & formalis. Et probatur, quia vnitas materialis, quæ eſt in Petro, eſt carentia diuiſionis materialis, & vnitas formalis, quę etiam eſt in illo, eſt carentia diuiſionis formalis; ſed Petrus non eſt aptus diuidi in plures neque materialiter, neque formaliter, & per principia formalia, & diuerſa: ergo tales carentiæ ſunt in ſubiecto non apto, atque adeò

Digitized by Google

adeò ſunt negationes, & non priuationes.

Reſpondent quidam, quòd quãuis Petrus ratione rei non ſit aptus diuidi materialiter, neq; formaliter, eſt tamen aptus diuidi ratione prædicati ſuperioris; nam inquantum homo eſt aptus diuidi materialiter, eo quòd ratio hominis eſt diuiſibilis materialiter in plures hõines diuerſos numero: inquantum verò eſt animal, eſt aptus diuidi diuiſione formali, ſcilicet per principia eſſentialia; nam ratio animalis poteſt diuidi in equũ, & hominẽ: hæc aũt aptitudo ratione prædicati ſuperioris ſufficit ad rationẽ priuationis. Quod probãt ex Ariſtot. 5. Met. 27. tex. vbi dicit quaſdam eſſe priuationes, quæ ſunt in ſubiecto apto ad habendum formã ſecundum rationem ſuperiorẽ.

Hæc tamen ſolutio falſa quidem eſt, quia talis carentia diuiſionis materialis, & formalis eſt à parte rei in Petro, & communis illi prout à parte rei: ergo hæc priuatio debet dicere aptitudinem, prout eſt à parte rei; ſed hanc non dicit: ergo eſt negatio, & non priuatio. Probo minorem, quia ratio hominis, & ratio animalis, prout eſt à parte rei contracta in Petro, non eſt diuiſibilis in inferiora, quia iam eſt diuiſa, & vltimò contracta per differentiam indiuidualẽ, ſolùm eſt diuiſibilis, prout eſt communis per intellectum: quod non ſufficit, vt a parte rei ſit priuatio; ſed debet eſſe talis aptitudo realis, & à parte rei: ergo cùm à parte rei nulla ſit talis aptitudo ad diuiſionem in Petro, vnitas materialis, & formalis, quæ ſunt in illo, dicunt negationem, & non priuationem.

Secũdò, quia ſi illa aptitudo ratione prædicati ſuperioris ſufficit ad rationẽ priuationis, ſequitur nullã eſſe negationẽ in rerum natura, quia etiã lapis ratione prædicati ſuperioris, quod eſt corpus, eſſet aptus ad habendum viſum; quia inquantum corpus non repugnat illi habere viſum: vnde carentia viſus in lapide eſſet priuatio, & non negatio contra omnes: ergo ad rationem priuationis requiritur, quòd res, prout iacet à parte rei, ſit apta ad habendam talem formam.

Neq; iſti calluerunt mentem Ariſt. loco allegato, qui attentè legendus eſt: nam Ariſtot. ibi non ſumit priuationem propriè, vt diſtinguitur contra negationem, ſed pro carentia, quęquid commune eſt ad negationem, & priuationem: quod ex eo patet, quòd diuidit priuationem in eam, quæ eſt cum aptitudine, quæ eſt priuatio, & in eam, quæ eſt non cum aptitudine, quæ eſt negatio; vnde non vtitur propriè nomine priuationis, cùm dicit, quaſdam eſſe priuationes in ſubiecto apto habere formam ſecundum rationem ſuperiorem. Neque Ariſt. vocat talpam cæcum, vt communiter video

plures narrare; ſed ſolùm dicit, aliter hominem cæcum eſſe priuatum viſu & aliter talpam: nam homo ita eſt priuatus viſu, vt poſſet ſecundum omnem rationem, etiam qua homo eſt, habere illum: talpa verò eſt aptus ratione prædicati ſuperioris, ſcilicet inquantum animal eſt, quod nõ habet intelligi de animali, prout eſt à parte rei contractum in talpa; ſic enim adhùc repugnat habere viſum, ſed de animali ſumpto ſecundum rationem genericam, qualiter non eſt à parte rei.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpõdetur. Ad primum, quòd negatio eſt duplex: alia, quæ tam dicitur de eo, quod eſt: quam de eo quod non eſt: & hæc non determinat ſubiectum, vt nõ homo, quæ tam dicitur de eo, quod eſt, nempe de equo, & lapide, quam de eo, quod nõ eſt, ſcilicet de chimera: nam etiam chimera eſt nõ homo. Alia verò eſt negatio, quæ determinat ſubiectum, quia dicit talem carentiam, connotando tale ſubiectum, qualiter eſſe à ſe in Deo dicit negationem non eſſendi ab alio: & tamen connotat determinatum ſubiectum, nempè Deum, quia nihil aliud præter Deum poteſt habere eſſe à ſe. Similiter ergo vnitas formalis, quæ v. g. eſt in homine, quamuis pro formali dicat negationem, tamẽ connotat determinatum ſubiectum, nempe hominẽ, quia oritur ex principiis eſſentialib. ipſius hominis, quibus repugnat diuidi diuiſione formali.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd Petrus, inquantum vnus materialiter reduplicatiuè non eſt vnus formaliter, quia vt ſic neque dicit negationem diuiſionis formalis, neque dicit ipſam diuiſionem formalem, ſed præcisè entitatem indiuiſam materialiter: formaliter verò neque eſt diuiſus, neq; nõ diuiſus, ſi loquamur reduplicatiuè, quia cum reduplicatione datur mediũ inter cõtradictoria, vt dictum eſt.

Secunda difficultas in hac quæſtione examinanda, erat, an vnitas formalis, & materialis, cuius eſſentiam hactenùs explicuimus, detur à parte rei: nam de vnitate generica, & ſpecifica conſtat non dari à parte rei, quia non conueniunt, niſi naturis, prout ſunt genera, & ſpecies; quę ſolùm habent per intellectum.

In qua re prima ſententia affirmat non dari à parte rei ſaltem vnitatem formalem. Tenet Soncinas 7. Metaphyſicor. quæſt. 4. Niphus 7. Metaphyſic. quæſt. vlt. Et fundamentum eſſe poteſt. Primo, quia vnitas formalis, & materialis ſunt negationes, vt vidimus; ſed negatio eſt ens rationis: ergo non dantur à parte rei.

Secundò, quia vnitas formalis eſt carẽtia diuiſionis formalis, ſed diſtinctio formalis nõ datur à parte rei, cũ ſit diſtinctio rationis; ergo neq; datur vnitas formalis.

Tan-

Digitized by Google

Tandem, quia Ariſtoteles 5. Metaphy. cap.6. tantùm enumerat quatuor vnitates, quibus aliqua dicũtur eſſe vnum, ſcilicet numericè, ſpecificè, & genericè, & analogicè: ergo vnitas formalis non datur à parte rei.

Cõmunis tamen, & veriſſima ſententia eſt, vnitatem formalem, & materialem dari à parte rei. Tenet Scotus in 2. diſt.3. quæſt.1. Caietanus de ente, & eſſentia, cap. 4. & eſt cõmunis omnium. Et probatur planè, quia vnitas formalis eſt carentia diuiſionis formalis, & vnitas materialis eſt carentia diuiſionis materialis; ſed Petrus à parte rei habet carentiã diuiſionis formalis, & materialis, q nõ eſt diuiſ⁹ in plures, neq; materialiter neq; formaliter diuerſos, imò neq; eſt aptus diuidi à parte rei, vt vidimus: ergo vnitas formalis, & materialis dantur à parte rei.

Sed dubitabis, an detur à parte rei vna vnitas communis pluribus indiuiduis. Reſpondetur, quòd nõ, quoniam vt ſupra vidimus, nihil eſt commune à parte rei; ſed omnia ſunt ſingularia: vnde diuerſa vnitas materialis eſt in Petro ab ea, quæ ſimul eſt in Paulo: & ſimiliter diuerſa vnitas formalis: nam quemadmodum non poteſt Paulus eſſe cæcus à cæcitate, quæ eſt in Petro, ſed habet aliam cæcitatem diuerſam numero à cæcitate illius, ita habet diuerſam vnitatem formalem, & materialem ab vnitate formali, & materiali Petri.

Secundò dubitabis, an vnitas formalis, & materialis, quæ ſunt, v. g. in Petro, diſtinguãtur realiter. Reſpondetur, quòd non. Et ratio eſt, quia vnitas materialis non diſtinguitur ab ipſo Petro, ſed eſt ipſe Petrus carens diuiſione materiali: & ſimiliter vnitas formalis non eſt aliud, quàm ipſe Petrus carens diuiſione formali; ſed quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadẽ inter ſe: ergo cùm vnitas formalis, & materialis ſint idem realiter cum Petro, ſunt idem realiter inter ſe, non quidem poſitiuè, tanquàm duæ entitates reales, quia negatio non eſt ens, ſed negatiuè, tanquàm duæ negationes non diuerſæ ex natura rei, niſi ſecundum rationem.

Ad rationes adductas reſpondetur. Ad primam, quòd negatio, vel priuatio poteſt conſiderari dupliciter. Primò ſecundum ſe, & ſecũdum ſuam eſſentiam, & hoc modo eſt à parte rei: nam à parte rei lapis eſt nõ videns, & homo nõ eſt equus, & hoc modo datur vnitas formalis, & materialis à parte rei. Secũdò poteſt cõſiderari negatio, vel priuatio, prout cõcipiuntur ab intellectu per modũ entis, cùm tamẽ à parte rei nihil ſint, & hoc modo ſunt entia rationis.

Ad ſecũdam, quòd diſtinctio formalis alia eſt realis, alia rationis: nam diſtinctio formalis prout nũc loquimur de illa, eſt diſtinctio eſſẽtialis, & tunc eſt realis, quãdo eſſentiæ diſtinguuntur à parte rei, qualiter homo

 non

nõ ſolũ materialiter, ſed etiã formaliter diſtinguitur ab equo à parte rei: quando verò tales eſſentiæ diſtinguuntur ſolùm ratione, vt actio, & paſſio, tunc diſtinctio formalis nõ eſt realis: & in hoc ſenſu ſolet communiter vſurpari diſtinctio formalis, quando illam vocant diſtinctionem rationis.

Ad tertiam, quòd quando Ariſt. ſub vnitate ſpecifica comprehendit formalem, quæ quodammodò ad illã reducitur, ex eo quòd vnitas ſpecifica fundatur in vnitate formali; nã quia homo caret diuiſione formali à parte rei, inde ab intellectu concipitur vt ſpecies communis pluribus indiuiduis.

Tertia difficultas in hac quæſtione examinanda, eſt; an duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, vt Petrus, & Paulus, ſint vnum formaliter à parte rei inter ſe: hactenùs enim oſtendimus, ſolum in quolibet reperiri ſuã vnitatem formalẽ reſpectu ſui: vnde reſtat videndum, an cum alio indiuiduo habeat à parte rei aliquam vnitatem. Et certum eſt, non habere Petrum, & Paulum inter ſe à parte rei vnitatẽ materialem, quia potiùs à parte rei diſtinguuntur materialiter, & numericè: ergo non ſunt vnum materialiter.

Secundò certum eſt, à parte rei nõ eſſe vnum ſpecificè, aut genericè, quia vnitas ſpecifica aut generica nõ datur à parte rei, niſi tantum fundamentaliter: ſolùm ergo eſt dubium, an indiuidua ſint à parte rei vnũ formaliter inter ſe. In qua re (ſatis profectò metaphyſica) quidam exiſtimant Petrum, & Paulum non eſſe vnùm formaliter à parte rei, ducti nõ leuibus argumentis.

Primò, quia ſi Petrus, & Paulus ſint vnum à parte rei, ſequitur dari à parte rei aliquid illis commune. Probatur ſequela, nam ſi ſint vnum: ergo in aliquo ſunt vnum: ergo illud vnum eſt commune vtrique: ergo iam datur à parte rei aliquid commune.

Secundò, quia ſicut effectus vnitatis eſt facere vnum, ita effectus pluritatis eſt facere plures; ſed Petrus, & Paulus habent plures vnitates formales, vt vidimus, quia in quolibet eſt ſua vnitas formalis: ergo ſunt plures formaliter: ergo non vnum formaliter.

Et confirmatur, quia ideò ſunt plures materialiter, quia habent plures vnitates materiales; ſed etiam habent plures vnitates formales: ergo non ſunt vnum formaliter.

Tertiò, quia vnum, eſt ens indiuiſum: ergo ſi Petrus, & Paulus ſunt vnum formaliter indiuiſum, ſunt vnum ens indiuiſum formaliter; ſed non ſunt vnum ens, ſed plura entia: ergo non ſunt vnum formaliter.

His tamen non obſtantibus, veriſſima eſt ſententia Caiet. de ente, & eſſentia, cap. 4. q. 6. aſſerentis, duo indi-

indiuidua eiuſdem ſpeciei, vt Petrũ, & Paulum eſſe à parte rei vnum formaliter ita etiam tenet Fonſeca 4. Metaph. cap. 2. q. 5. ſect. vltima.

Pro quo notandum eſt, duobus modis poſſe intelligi Petrum, & Paulum eſſe vnum inter ſe à parte rei. Primò poſitiuè, ita quòd habeant illi aliquid commune, ſiue illud ſit negatiuum, ſiue poſitiuum, ita quòd habeant aliquam negationem illis communem; & hoc modo non ſunt vnum à parte rei; quia à parte rei nihil commune eſt, vt vidimus. Secundò poteſt intelligi quod ſint vnum negatiuè ita quod quanuis nihil habeant commune, tamen non diſtinguuntur formaliter, neque eſſentialiter, ſed ſolùm numericè; & hoc modo Petrum, & Paulum aſſero eſſe vnum negatiuè à parte rei.

Et probatur primò ex Ariſ. 5. Metaph. cap. 15. vbi dicit relationem identitatis ſubſtantialis, & eſſentialis inter duo, fundari in vnitate: & ſimilia habet D. Thom. ſuper hunc locum. ex quo ſic argumentor: Ergo datur à parte rei vnitas aliqua inter duo, quia relatio realis, qualis eſt illa, de qua ibi agit Ariſt. requirit fundamentum reale à parte rei; ſed non ſunt duo à parte rei vnum ſpecificè, & genericè, quia iſtæ vnitates non dantur à parte rei, neque ſunt vnum numericè, vt vidimus: ergo ſunt vnum formaliter.

Nec valet dicere Ariſt. loqui de vnitate ſpecifica non formaliter, ſed fundamentaliter, qualiter datur à parte rei: quia contra eſt, quod vnitas ſpecifica fundamentalis nihil aliud eſt, quam vnitas formalis: nam ex eo quòd Petrus, & Paulus non differant à parte rei eſſentialiter, eſt fundamentum, vt intellectus fingat quandam naturam ſpecificam illis communem: ergo à patre rei datur vnitas formalis inter Petrum, & Paulum.

Secundo argumentor ratione, quia Petrus, & Paulus non diſtinguuntur formaliter, ſeu eſſentialiter à parte rei: ergo ſunt vnum formaliter. Probatur antecedens, quia Petrus, & Paulus ſolum diſtinguuntur materialiter, & numericè: ergo non diſtinguuntur eſſentialiter.

Reſpondent contrarij, etiam Petrum, & Paulum diſtingui eſſentialiter à parte rei, quia habent diuerſa principia eſsẽtialia materialiter diuerſa: quia diuerſa numero eſt eſſentia, quæ eſt in Petro, ab ea, quæ eſt in Paulo, licèt diſtinguantur eſſentialiter per principia eſſentialiter diuerſa.

Sed contrà argumentor. Petrus & Paulus non habẽt diuerſa principia eſſentialia eſſentialiter, diuerſa, ſed tantùm numericè: ergo aliquo modo ſunt vnum eſſentialiter, & formaliter.

Secundò, quia ad diſtinctionẽ eſſentialem, & formalem non ſatis eſt,

quòd illæ eſſentiæ differant numero, ſed requiritur, quod differant eſſentialiter: nã aliud eſt diſtinctio eſſentiarũ, aliud verò diſtinctio eſſentialis, ſicut aliud eſt vnio eſſentiarum, aliud verò vnio eſſentialis: nam cùm duo corpora penetrentur, vniuntur duæ eſſentiæ illorum corporum, & tamen non vniuntur eſſentialiter, ſed accidentaliter, quia non faciunt vnum corpus, ſed prorſus manent diſtincta inter ſe: ſic ergo aliud eſt diſtinctio eſſentiarum, aliud verò diſtinctio eſſentialis. Diſtinctio eſſentiarũ poteſt prouenire ex diuerſitate numerica; tamen diſtinctio eſſentialis debet prouenire à principijs eſſentialibus, non ſolùm materialiter, ſed formaliter diuerſis: quod attentè aduertendum eſt ad rectam huius rei intelligentiam.

Tertiò probatur eadem ſententia, quia procul dubio plùs diſtinguuntur à patre rei Petrus, & hic equus, quàm Petrus, & Paulus: tunc ſic: ergo Petrus, & Paulus aliquo modo ſunt vnum à parte rei.

Reſpondent contrarij, Petrum, & equum magis diſtingui à parte rei fundamentaliter, quàm Petrum, & Paulum, quia inter Petrum, & equũ eſt fundamentum à parte rei, vt intellectus fingat diuerſas ſpecies: quod non eſt inter Petrum, & Paulum.

Sed contrà eſt primò, quod hoc fundamentum diſtinctionis ſpecificæ eſt diſtinctio formalis, ſicut ſuprà dicebam, fundamentum vnitatis ſpecificæ eſſe vnitatem formalem: ergo à parte rei habent Petrus, & Paulus vnitatem formalem, aptam fundare vnitatem ſpecificam, quam non habet Petrus & equus, quia diſtinguuntur formaliter.

Secundò vrgeo, quia Petrus, & Paulus ſolùm differunt à parte rei per principia eſſentialia ſolùm materialiter diuerſa: Petrus verò & equus differunt per principia eſſentialia nõ ſolùm materialiter, ſed eſſentialiter diuerſa, vt etiam ipſi contrarij fatentur; eſt enim luce clarius: ergo magis diſtinguuntur Petrus, & equus, quàm Petrus, & Paulus: ergo magis vnum ſunt Petrus, & Paulus: ergo ſunt vnum formaliter actu.

Supereſt reſpondeamus ad rationes oppoſitas. Ad primam reſpondetur, Petrum, & Paulum non eſſe vnum in aliquo prædicato vtrique communi, hoc enim eſt eſſe vnum poſitiuè, quod nos negamus; ſed ſolùm ſunt vnum negatiuè, ſcilicet non diſtinguuntur formaliter: ex quò ſolùm licet inferre, quòd ſunt vnum formaliter, non verò quòd habeant aliquid commune à parte rei.

Ad ſecundam, verum eſſe, quòd effectus pluralitatis eſt facere plura, ſicut effectus vnitatis eſt facere vnũ. Et ad minorem dico, quòd Petrus, & Paulus habent plures vnitates formales, ſed non formaliter diuerſas,

ſed ſolum materialiter, & numericè: ex quo non licet inferre Petrum, & Paulum eſſe plures formaliter & eſſentialiter, quia diſtinctio eſſentialis debet eſſe per principia eſſentialia eſſentialiter diuerſa, & non ſolùm numericè, quia vt dicebam, aliud eſt diſtinctio eſſentiarum; aliud verò diſtinctio eſſentialis; & ita inter Petrũ, & Paulum reperitur diſtinctio eſſentiarum, ſaltem numerica, non tamen reperitur diſtinctio eſſentialis.

Ad confirmationem reſpondetur eſſe diuerſam rationem: nam Petrus, & Paulus ſunt plures materialiter, quia habent plures vnitates materiales, & materialiter diuerſas, vt vidimus: tamen Petrus, & Paulus non ſunt plures vnitates formales formaliter diuerſæ, ſed ſolũ numericè, & ita non diſtinguuntur formaliter, & per principia eſſentialia, ſed ſolùm materialiter.

Ad tertiam reſpondetur verum eſſe, quòd vnum eſt ens indiuiſum, & ita Petrus, & Paulus cùm ſint vnum, ſunt vnum ens indiuiſum, nõ quidem vnum ens numero, quia nõ ſunt vnum numericè inter ſe, ſed vnum ens formaliter negatiuè, id eſt, non habent entitates formaliter, & eſſentialiter diuerſas, ſed ſolùm numericè: quod veriſſimum eſt.

Ex dictis colligitur facilis ſolutio ad dubium illud, an vnitas materialis ſit maior vnitate formali; nam ſi loquamur de unitate formali & materiali, pro vt dicunt carentiam diuiſionis in plures materialiter & formaliter diſtinctos, non eſt vna maior alia; nam ita repugnat Petro à parte rei diuidi formaliter, ſicut repugnat diuidi materialiter: vtrumq; enim omninò repugnat, vt vidimus, ſi verò loquamur de vtraque vnitate in comparatione ad aliud indiuiduum, maior eſt vnitas materialis quã vnitas formalis: nam magis vnum eſſent Petrus & Paulus, ſi eſſent materialiter, ſeu numericè vnũ, quam ſi eſſent vnũ formaliter, vt de facto eſſe diximus; ergo reſpectu alterius indiuidui maior eſt vnitas materialis quàm formalis.

Obijcies: Vnitas eſt carentia diuiſionis: ergo illa eſt maior vnitas, quæ eſt carentia maioris diuiſionis: nam quemadmodùm illa eſt maior priuatio, quæ priuat maiori habitu, & ſicut illa eſt maior cæcitas, quæ priuat maiori viſu; ita illa eſt maior negatio, quæ negat maiori habitu; ſed maior eſt diuiſio formalis, quàm materialis: nam quæ diſtinguuntur formaliter, minus conueniunt, quàm quæ diſtinguuntur materialiter: ſolùm ergo eſt maior vnitas formalis, quàm materialis. Reſpondetur tamen, quod quia vnitas materialis eſſentialiter ſupponit vnitatem formalẽ, & vltra illam addit quandam vnitatem nouam, ideò eſſentialiter maior eſt vnitas materialis, quam formalis, inquantum eſſentialiter præſupponit illam. Et hæc de hac quæſtione.

Quæſt.

QVÆST. VI.

Qualiter in naturis realibus prædicentur concreta de abſtractis & abſtracta de concretis.

QVæſtio hęc ſub obſcuriori verborum ſerie ab alijs proponitur, quomodò ſcilicet primæ intentiones prædicentur de primis, vbi nomine primæ intentionis intelligitur ipſa natura realis, cui aduenit ſecunda intentio, quæ eſt ens rationis: de prædicationibus verò entiũ rationis in ſecunda diſputatione agemus. In præſenti ergo quæſtione notandum eſt, hoc differre concretum, & abſtractum: nam concretũ ſignificat ſubiectum vt habens formam, qualiter album ſignificat corpus pro vt habens albedinem: abſtractum verò eſt ipſa forma præcisè, vt albedo eſt: abſtractum verò dicitur, quia ſignificat præcisè ipſam formam, quæ eſt albedo. Rurſus tam concreta, quàm abſtracta ſunt in duplici differentia: alia ſunt ſubſtantialia, alia verò accidentialia. Concretum ſubſtantiale eſt, quod ſignificat ſubiectum, ſeu ſuppoſitum habens formam ſubſtantialem, vt homo, qui ſignificat ſuppoſitum habens humanitatem, quæ eſt forma ſubſtantialis: ipſa verò forma ſubſtantialis, ſcilicet humanitas, eſt abſtractum ſubſtãtiale, quod ſignificat formam ſubſtantialem, pertinentem ad prædicamentũ ſubſtantiæ. Concretum accidentale eſt ſubiectum habens formam accidentalem, vt album eſt habens albedinem: ipſa verò forma accidentalis, quæ eſt albedo, eſt abſtractum accidentale.

Secundò notandum eſt quod prędicatio aliqua & poteſt eſſe vera in ſenſu identico, & in ſenſu formali: vt prædicatio ſit vera in ſenſu identico, ſufficit quod prædicatum ſit idẽ realiter cum ſubiecto: qualiter hæc eſt vera: Actio eſt paſſio, quia ſunt idem realiter; tamen vt prædicatio ſit vera in ſenſu formali, neceſſariũ eſt, quod prædicatum non ſolùm ſit idem realiter cum ſubiecto, ſed etiã ſit de conceptu eſſentiali & formali illius; & ita hæc prædicatio: Homo eſt animal, eſt vera, non ſolùm in ſenſu identico, ſed etiam in ſenſu formali, quia animal eſt de conceptu formali, & eſſentiali hominis: nam quamuis diſtinguatur ab ipſo homine, tamen habent ſe ſicut includens, & incluſum, non realiter, ſed ratione diſtincta.

Tertiò notandum eſt quæſtionẽ hanc poſſe habere quatuor ſenſus ſecundum quatuor combinationes, quæ poſſunt intelligi inter abſtracta & concreta. Primus ſenſus eſt, vtrũ prædicentur concreta de concretis: ſecundus verò, vtrùm prædicentur abſtracta de abſtractis: tertius, vtrùm prædicentur abſtracta de concretis: quartus, vtrùm prædi-

centur concreta de abſtractis: & in quolibet ſenſu quæſtio tractanda eſt.

Sit prima regula in hac re. Quando duo concreta ſunt inter ſe idem realiter, prædicatur vnum de alio, ſaltem prædicatione identica: ſi verò ſe habeant ſicut ſuperius, & inferius, vel ſicut duo æqualia: ſuperius prædicatur etiam prædicatione formali de inferiori, & æquale de æquali. Hæc regula duas habet partes. Prima eſt, quod quotieſcunq; duo concreta ſunt idem realiter inter ſe, vnum prædicatur de alio identicè, quę probatˀ ex regula illa generali, quòd *Quæcunque ſunt idem realiter inter ſe, prædicantur identicè;* & ita hæc eſt vera, Album eſt dulce, quia quamuis abſtracta, quæ ſunt ipſæ formæ, diſtinguantur realiter, nempè albedo, & dulcedo, tamen concreta ſunt idē realiter, quia ſupponunt pro cōcreto habente illas formas, idem verò ſubiectum, quod habet albedinem, habet etiam dulcedinem, vt patet in lacte.

Secunda verò pars, ſcilicet Quando prædicatur concretum ſuperius de inferiori, aut æquale de æquali, prædicatio eſt vera etiam in ſenſu formali, patet in his: Homo eſt animal, vbi prædicatur ſuperius de inferiori: & Homo eſt rationalis, vbi prædicatur æquale de æquali: debet autem intelligi quando prædicatum eſt de conceptu formali ſubiecti; & ita hæc non eſt formalis, & directa prædicatio: Rationale eſt homo, quia homo non eſt de conceptu formali rationalis, ſed è contra, quamuis ſint æquales.

Sit ſecunda regula: Abſtracta, quę ſunt idem realiter inter ſe, prædicantur prædicatione identica: ſi verò ſe habeant ſicut ſuperius, & inferius, prædicatur ſuperius de inferiori prędicatione formali. Prima pars, ſcilicet, quod abſtracta, quæ ſunt idem inter ſe realiter, prædicentur identicè, probatur, ſicut diximus de concretis, quia ad prædicationem identicam ſatis eſt identitas realis extremorum; & ita hoc modo hæc eſt vera; Actio eſt paſſio, vbi prædicatur abſtractum de abſtracto.

Secunda verò pars, quòd abſtractum ſuperius prędicetur formaliter de ſuo inferiori prædicatione formali; & ita hæc eſt vera: Hæc humanitas, verbi gratia, Petreitas, eſt humanitas: & ſimiliter hæc eſt vera: Humanitas eſt animalitas, vbi prędicatur abſtractum genericum de abſtracto ſpecifico. Quam immeritò negat Scotus in 1. diſt. 5. quæſt. 2. nā ſicut comparatur abſtractum ſpecificum ad abſtractum indiuiduale, ita comparatur abſtractum genericum ad abſtractum ſpecificum; ſed abſtractum ſpecificum prædicatur de abſtracto indiuiduali in omnium opinione, vt hæc Humanitas eſt humanitas: ergo etiam abſtractum generi-

Digitized by Google

nericum debet prædicari formaliter de abſtracto ſpecifico: ergo hæc eſt vera: Humanitas eſt animalitas. Addo tamẽ huic regulæ quod inter abſtracta æqualia, illud, quod eſt de conceptu formali alterius, prædicatur de illo formaliter: & hæc eſt vera propoſitio, & formalis: Humanitas eſt rationalitas, nõ ſecùs quàm iſta: Homo eſt rationalis, quia rationalitas eſt de conceptu humanitatis, ſicut rationale eſt de conceptu hominis: è contrà verò: Rationalitas eſt humanitas, non eſt formalis, ſicut neque iſta: Rationale eſt homo, ſed ſolùm identica, quia prædicatum nõ eſt de conceptu formali ſubiecti.

Sit tertia regula: Abſtracta nullo modo prædicantur de concretis, etiam neque in prædicatione identica, & ita hæc eſt omninò falſa: Homo eſt humanitas, aut, Homo eſt animalitas. Ratio eſt, quia quando duo diſtinguuntur realiter, non poteſt vnum prædicari de alio, quantumuis prædicatum ſit pars ſubiecti, qualiter hæc eſt falſa: Homo eſt caput, aut, Homo eſt anima; ſed concretum & abſtractum diſtinguuntur realiter: ergo non poteſt prædicari vnum de alio.

Probatur minor, quia homo, verbi gratia, addit ſupra humanitatem entitatem quandam realiter ab illa diſtinctam: ergo diſtinguitur realiter ab illa. Probatur antecedens, quia homo addit ſupra humanitatẽ ſubſiſtentiam; ſed ſubſtantia diſtinguitur realiter à natura, qualis eſt ipſa humanitas (vt dicam in Phyſicis) & ita hoc modo ſupponatur: ergo concretum diſtinguitur realiter ab abſtracto; & ita non poteſt prædicari de illo.

Sit quarta regula. Concretum non poteſt prædicari de proprio abſtracto, benè tamen de alieno; & ita hæc eſt falſa: Albedo eſt alba, vbi prædicatur concretum de ipſo abſtracto proprio. hæc tamen eſt vera: Albedo eſt ſimilis, albedo eſt viſibilis, vbi prædicatur concretum de alieno abſtracto.

Ratio verò differentiæ eſt, quia concretum non verificatur de proprio abſtracto, vt hæc eſt falſa: Albedo eſt alba, poteſt tamen verificari de alieno, vt in hac: Albedo eſt viſibilis: ergo poteſt prædicari concretum de alieno abſtracto, vbi meritò dicimus quòd poteſt prædicari, non tamen quòd ſemper prædicetur, quia hæc eſt falſa: Albedo eſt dulcis, vel, Albedo eſt homo, quia hæc concreta aliena non verificantur de albedine: tunc verò ſolùm prædicantur, quando talia concreta verificantur de abſtractis alienis.

Huic tamen duas adiiciam limitationes. Prima eſt, quod intelligatur in prædicatis finitis, non verò in infinitis entitatiuè; & ita hæc eſt vera ſaltem identicè: Deitas eſt Deus.

Ra-

Ratio eſt, quia in Deo propter ſuam ſummam ſimplicitatem natura, & ſuppoſitum ſunt idem realiter: natura eſt Deitas, & ſuppoſitum, id eſt, Habens Deitatem eſt Deus; & ita hęc eſt vera: Deus eſt Deitas: & idem de his: Paternitas eſt Pater, Filiatio eſt Filius: quæ in Deo propter ſummam ſimplicitatem ſunt veræ, nã perſona, & relatio ſunt idẽ realiter in Deo.

Secunda limitatio eſt, vt non intelligatur in tranſcendentibus: nam in his concretum prædicatur de proprio abſtracto, vt in his: Entitas eſt ens, Exiſtentia eſt exiſtens. Ratio eſt, quia cùm tranſcendentia tranſcendant per omnia entia, etiam verificantur de his abſtractis; ita iſtæ ſunt veræ, Entitas eſt ens, Exiſtentia eſt exiſtens: debet ergo intelligi illa regula non in tranſcendentibus, ſed in his, quæ pertinent ad determinatum prædicamentum.

Sed contra hanc regulam adhùc hoc modo limitatam duo poſſunt obiici. Primò, nã hæc eſt vera, Quantitas eſt quanta; & concretum illud, *Quanta*, pertinet ad determinatum, ſcilicet ad prædicamentum quantitatis: ergo adhùc illa regula eſt falſa.

Secundò, quoniam hæc etiam eſt vera, vniuerſalitas eſt vniuerſalis: nam etiam eſt quid cõmune ad hãc, & illam vniuerſalitatem: atque adeò eſt vniuerſalis: ergo prædicatur ſaltem in entibus rationis concretum de proprio abſtracto.

Reſpondetur ad primum, illam prædicationem, Quantitas eſt quanta, eſſe veram: nam hoc habet ſpeciale quantitas inter reliqua accidẽtia, quòd ſuſcipiat denominationem ſui concretũ, & dicatur quanta: quia cùm eſſe quantum, ſit habere partẽ extra partem, & hoc habeat quantitas, quantumuis in abſtracto conſideretur, denominatur quãta, & hoc habet ſpeciale inter omnia prædicamenta, vt ſuo loco dicemus: nam albedo, quæ eſt qualitas, non eſt alba, nec relatio relata: vnde prædicta regula etiam nõ debet intelligi in prædicamento quantitatis.

Ad ſecundum, quod difficile eſt, reſpondetur, quòd in illa propoſitione abſtractum, & concretum non ſunt omninò eiuſdem rationis, nam cum dico, Vniuerſalitas eſt vniuerſalis, ibi abſtractũ vniuerſalitas, ſupponit pro vniuerſalitate in cõmuni: cõcretum verò illud, Vniuerſalis, ſupponit pro aliquo vniuerſali in particulari, vage tamen, quia facit hunc ſenſum, Vniuerſalitas facit aliquid vniuerſale. Vnde quia abſtractum, & concretum non ſunt omninò eiuſdem rationis, non prædicatur cõcretum de proprio abſtracto. Et hæc de hac quæſtione, & diſputatione.

Diſputatio II. De Vniuerſalitate, & de ente rationis.

HActenùs actum eſt de natura vniuerſali, iam de vniuerſalita-

te, à qua vniuerſalis denominatur, dicendũ eſt: quia verò illius ex acta cognitio pẽdet ex cognitione quid ditatiua entis rationis, de ipſo ente rationis diſputandum eſt.

QVÆST. I.

An ſit ens rationis, & quid ſit.

ENs rationis, vt nomen ipſum præ ſefert, ſignificat ens quoddam factum per rationem, ſeu per intellectum: ad intellectum autem tripliciter poteſt aliquid pertinere. Primò, ſubiectiuè, vt ſunt ſpecies intelligibiles, ſcientię, & alij habitus intellectuales, quæ in illo realiter inhęrent, non ſecus quàm albedo parieti inhæret. Secundò, effectiuè, vt ſunt oẽs intellectiones, quæ ſunt actiones ab illo factæ. Tertiò, obiectiuè, vt ſunt res ipſæ cognitæ, quæ appellari ſolent cõceptus obiectiui, quia ſunt obiecta ab intellectu cognita.

Secundò notandum eſt, ea, quæ ſunt obiectiuè in intellectu, poſſe eſſe in duplici differentia; nam ſi ita eſt obiectiuè in intellectu, quod habeat eſſe à parte rei, non eſt ens rationis, ſed ens reale, vt quando intellectus intelligit hominem, & lapidem, obiecta iſta, quæ ſunt obiectiuè in intellectu, non ſunt ens rationis, ſed ens reale.

Et ſi dicas, quòd quãuis iſta, prout ſunt à parte rei, ſint entia realia, tamen prout ſunt in intellectu, erunt entia rationis. Reſpondetur, aliud eſſe obiectum cognitum; aliud verò extrinſecam illa denominationẽ cogniti: obiectum cognitum; etiam prout eſt in intellectu, reale eſt, quia id, quòd intelligitur, reale eſt: ſi verò illa particula, prout, reduplicat illã extrinſecam denominationem, qua denominatur cognitũ, non eſt quid reale: vtrum verò ſit ens rationis, ſtatim dicam, dum determinemus, an extrinſecæ denominationes, quæ in ſe nihil ſunt, quando deinde cognoſcuntur ab intellectu per modum entis, ſint ens rationis: ſolùm ergo ſunt entia rationis ea, quæ ſolùm habent eſſe obiectiuè in intellectu, & ita meritò definiri ſolet, *Ens rationis eſt illud, quòd tantùm habet eſſe obiectiuè in intellectu.*

Tertiò notandum eſt, quòd iſta, quæ tantùm habent eſſe obiectiuè in intellectu, ſunt in duplici differentia: quædam enim ita ſunt obiectiuè in intellectu, vt nullum habeãt fundamentum in re, vt chimera, & hæc non ſunt entia rationis, ſed merum figmẽtum, quia ens rationis tantùm diuiditur in negationem, priuationem, & relationem rationis, vt dicemus: chimera autem nihil horum eſt. Alia verò ſunt, quæ ita habent eſſe obiectiuè tantùm in intellectu, vt habeant aliquod fundamentum in re, vt eſt relatio rationis ſuperioris ad inferiora, aut inferioris ad ſuperius cum fundamento aliquo in re ipſa; & idem eſt de negatione, & priuatio-

natione: nam quamuis à parte rei nihil ſint, ſunt tamen à parte rei non exiſtentia poſitiua, ſed negatiua, & deinde intellectus negotiatur de illis, tanquàm de quibuſdam entibus: atque adeò ſunt verè entia rationis, quia habent fundamentum aliquod in re.

Et ſi dicas: Ens rationis eſt, quod habet eſſe tantùm obiectiuè in intellectu; ſed negatio, & priuatio ſunt à parte rei: ergo non ſunt entia rationis. Reſpondetur, quòd cùm dicitur ens rationis eſſe, quod tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu, ſermo eſt de eſſe poſitiuo, & entitatiuo, & hoc eſſe non habet negatio, & priuatio à parte rei, ſed ſolùm per intellectum, ſolùm habet à parte rei negatiuum, tanquam carentiam entis realis.

His ſuppoſitis circa primũ, quod inquirit quæſtio, ſcilicet an ſit ens rationis, non deſunt, qui negent dari talia entia rationis. Sic ſentit Picus Mirandulanus in Commentariis ſuper Logicam, quæſtio, *Vtrum prædicamenta pertineant ad Logicam*, quẽ ſequitur Valeſ. in controuerſ. Phyſic. controuerſ. 10. Et probari poteſt. Primò, quia ſi dentur talia entia rationis, ſequitur dari actu genus ſine aliqua ſpecie: quod videtur impoſſibile. Probatur ſequela, quia totum eſſe entis rationis eſt cognoſci; ſed poteſt intellectus conſiderare ens rationis in communi, non conſiderando ſpecies eius: ergo dabitur genus ſine ſpeciebus. Et eadem ratione ſequitur dari actu paſſionem ſine eſſentia, & eſſentiam ſine paſſione: quod etiã videtur impoſſibile. Probatur ſequela, quia in vniuerſali eſt duplex relatio rationis ad inferiora, vt dicemus infrà: alia, qua refertur ad illa, tanquã in quibus eſt: alia prout refertur ad illa, tanquam ad ea, de quibus prædicari poteſt: ex quibus prima eſt de eſſentia vniuerſalis: ſecunda verò eſt paſſio eius, ſed poteſt conſiderare intellectus primam relationem ſine ſecunda, & ſecundam ſine prima: ergo poteſt dari eſſentia ſine paſſione, & paſſio ſine eſſentia: quod eſt impoſſibile.

Tertiò, quia ens rationis tamdiu habet eſſe, quamdiu cognoſcitur; ſed nihil tale dari poteſt. Et probatur, quia ſi cognoſcitur; ergo eſt cognoſcibile; ſed cognoſcibilitas ſupponit entitatem, quæ ſit cognoſcibilis, quæ eſt paſſio entis, paſſio autem entis ſupponit ipſum ens: ergo ante cognitionem erat cognoſcibile, & ens: ergo nullum eſt ens, quod ſolùm habeat eſſe, quamdiu cognoſcitur, atque adeò nullum ens rationis.

Vera tamen, & communis ſententia eſt, dari ens rationis, quòd tantùm habeat eſſe obiectiuè in intellectu. Eſt expreſſa ſententia Ariſt. 4. Metap. cap 2. & S. Thom. de veritate q. 2. ar. 2. quem omnes alij authores

 ſequun-

ſequuntur. Et probatur planè, quia obiectum intellectus eſt ens: ergo quidquid intelligit intellectus, habet rationem entis; & ita nihil, vt nihil, non poteſt intelligi ab illo, niſi quatenus aliquo modo eſt ens, ſed intelligit negationem, & priuationem: ergo negatio, & priuatio ſunt ens, non realia; ſed rationis.

Secundò, quia ſunt aliquæ propoſitiones veræ, & communiter ab omnibus receptæ, quæ non poſſunt ſaluari ſine ente rationis, vt iſtæ: Homo eſt ſpecies, Animal eſt genus, in quibus prædicatum ſolùm verificatur per intellectum: ergo ponendũ eſt ens rationis.

Quare ad argumenta in oppoſitum adducta reſpondetur. Ad primũ, reuera in entibus rationis poſſe dari genus ſine ſpecie, ſi non conſiderentur, prout relata ſunt, ſic enim neceſſariò ſunt ſimul, ſed tãtùm pro conceptu ipſo in communi, & inferiori, quia cùm totum eſſe entis rationis ſit actu cognoſci, cùm poſſit conſiderari ratio ſuperior entis rationis, non conſideratis inferioribus, poteſt actu dari genus ſine ſpecie: quod optimè vidit Onna hîc q. 1. a. 3. addit. 2. Addo non poſſe dari è contrà inferiùs ſine ſuo ſuperiori: nam ſuperiora ſunt de conceptu eſſentiali inferiorum: vnde qui intelligit aliquod ens rationis in particulari neceſſariò intelligit rationem entis rationis in communi, prout in illo particulari eſt incluſum: & ita ſimul cognoſcitur cum inferiori, atque adeò non poteſt dari inferius ſine ſuperiori.

Ad ſecundum de eſſentia, & paſſione reſpondeo, verum eſſe, vt argumentum probat, dari poſſe etiam eſſentiam ſine paſſione, ſi conſideretur præcisè ſine tali paſſione, & è cõtrà paſſionem ſine eſſentia, ſi conſideretur præcisè ſine illa, cùm totum eſſe entis rationis ſit cognoſci: quæ omnia, licèt in entibus realibus non contingant, tamen in entibus rationis, quæ ſunt entia ficta, & quorum totũ ſuum eſſe ſit cognoſci, neceſſariò ſunt concedenda: neque aliquod habent inconueniens.

Ad tertium quidam docent hoc tempore, intelligibile non ſolùm eſſe paſſionem entis realis, ſed etiam entis rationis, ita quòd ſit paſſio entis in communi, prout comprehendit tã ens reale, quàm rationis. Quæ doctrina prorſus falſa eſt, nam tota exiſtentia entis rationis eſt cognoſci: ergo cognoſcibile non poteſt eſſe paſſio entis rationis. Dicendum ergo eſt, quòd cognoſcibile ſolùm eſt paſſio entis realis, in quo priùs intelligitur ratio entis, quàm quòd ſit cognoſcibile, non tamen entis rationis, cuius tota eſſentia eſt actu cognoſci, & fingi, & ita, ſi verum, idem eſt quod intelligibile, vt reuera eſt, etiã verum, ſeu intelligibile, non eſt paſſio entis rationis, ſed tantùm entis

tis realis; & ita neque eſt paſſio entis in communi, prout comprehendit ens reale, & rationis.

Dico prætereà, intelligibile ſumptum pro potentia non eſſe eſſentiam, aut paſſionem entis rationis actualis, ſed ſolùm entis rationis poſſibilis: quia cùm tota eſſentia entis rationis ſit cognoſci, ens rationis actuale, eſſentialiter petit actu cognoſci, in quo conſiſtit ſua eſſentia: eſſentia verò entis rationis poſſibilis conſiſtit in ipſa cognoſcibilitate.

Quo ſuppoſito ad argumentum reſpondetur, totam eſſentiam entis rationis actualis eſſe cognoſci actu: & cùm inferunt: ergo priùs erat cognoſcibile, nego conſequentiam, ſi loquaris de ente rationis actuali, quia tota eſſentia huius eſt cognoſci; ſolùm erat cognoſcibile ens rationis poſſibile, quod eo ipſo, quòd cognoſcitur, iam fit actuale.

Et ſi inſtes: Potentia debet præcedere actum: ergo ens rationis actuale prius eſt cognoſcibile, quàm actu intelligatur. Reſpondetur, antecedens eſſe verum in entibus realibus, non tamen in entibus rationis, in quibus, cùm tota eſſentia ſit actu cognoſci, non ſunt ante ipſum actũ: quod ſecùs eſt in entibus realibus: nam antè quàm homo videat, præſupponit hominem actu eſſe potentem videre.

Circa ſecundum, quod inquirit quæſtio, ſcilicet quid ſit ens rationis, communis ſententia eſt, ens rationis ſolùm diuidi in negationem, priuationem, & relationem. Tenet S. Thom. de verit. q. 21. ar. 1. & cum eo Logici omnes. Ratio eſt, quia ens rationis, vt hactenùs vidimus, eſt illud, quod ſolùm habet eſſe obiectiuè in intellectu, & habet fundamentum in re; per quod vltimum excludebamus chimeram à ratione entis rationis, quia nullum habet fundamentum à parte rei; ſed tantum hæc tria connumerata habent eſſe ſolùm obiectiuè in intellectu, & fundamentũ in re ſolùm: ergo illa tria ſunt entia rationis. Probatur minor de ſingulis, quoniam priuatio, & negatio ſolùm habent rationem entis, quatenus concipiuntur ab intellectu per modum entis à parte rei, nam à parte rei homo habet carentiam viſus, quæ carentia in homine eſt priuatio, in lapide verò negatio: ergo priuatio, & negatio ſunt ens rationis.

De relatione verò etiam probatur, nam relatio ſuperioris ad inferiora aut inferiorũ ad ſuperius, ſolùm habet eſſe, dum cõcipitur ab intellectu per modũ relationis realis, ipſa verò in ſe nõ eſt relatio realis, vt ſuprà vidimus: habet tamẽ hæc relatio rationis fundamentũ in re, quia ex eo, quòd oẽs homines à parte rei participent rationẽ hominis, intellectus cum fundamento in re fingit in natura communi relationem quãdam ſuperioris ad inferiora, & inferiorũ

ad

ad ſuperiùs: ergo etiam talis relatio eſt verè ens rationis. Quòd verò nullum ſit aliud ens rationis, facilè patebit, ſi ſoluerimus argumenta, quæ probare videntur præter dicta entia rationis etiam eſſe alia ponenda.

Primò ergo argumentor: Ad probandum eſſe plures ſpecies entis rationis præter dicta, dantur aliqua, quæ ſolùm habent eſſe obiectiuè in intellectu, & habent fundamentum à parte rei: ergo ſunt plures ſpecies entis rationis, quia annihilatio, & corruptio ſunt quædam actiones negatiuæ, quæ à parte rei nullam habent entitatem, vt ſuppono, ex Phyſicis, ſolùm habēt à parte rei eſſe negatiuum, ſicut negatio, & priuatio in quantum ſunt quædam carentia in fieri rerum, quæ annihilātur, & corrumpuntur, & ita habent fundamēta à parte rei, eo modo, quo negatio. & priuatio, & tamen iſtæ actiones, quæ à parte rei nihil ſunt, concipiuntur ab intellectu per modum entis, atque adeò ſolùm habent eſſe eſſentitatiuum, quandiu concipiuntur ab intellectu: ergo ſunt ens rationis, non minùs quàm negatio, & priuatio, atq; adeò plura entia rationis.

Secundò idem probari poteſt de extrinſeca denominatione: hæc enim nihil eſt in ſe; nam ex eo quòd ego videam colorem, nihil reale ponitur in colore: ergo extrinſeca denominatio, qua color dicitur viſus, in ſe nihil eſt; & hoc modo, prout nihil eſt, reperitur à parte rei ſaltem exiſtentia quædam negatiua, vt in ſimili dixi de negatione, & priuatione: iam ergo habet extrinſeca denominatio, quæ in ſe nihil eſt, fundamentum in re, non ſecus quàm negatio, & priuatio: ſed extrinſeca denominatio, quæ in ſe nihil eſt, & habet fundamentum à parte rei, concipitur ab intellectu, vt ens quoddam, ſicut negatio, & priuatio: nam quidquid intelligit, intelligit per modum entis: ergo etiam extrinſeca denominatio eſt ens rationis præter connumerata.

Tertiò, quia ex eo relatio rationis ponitur eſſe ens rationis, quia intellectus fingit relationem, vbi à parte rei non eſt relatio realis, ſed etiam intellectus aliquando fingit quantitatem, vbi non eſt quantitas, vt quādo intelligit Deum ad modum corporis; & ſubſtantiā, vbi non eſt ſubſtantia, vt quando apprehendit chimeram per modum eiuſdem ſubſtantiæ mirabilis, & apprehēdit qualitatem, vbi nō eſt qualitas, vt quando hominem indoctum, vt doctum apprehendit: ergo datur ſubſtantia, & qualitas rationis, ſicut datur relatio rationis.

Sed propter hæc, quamuis difficilia ſint, non eſt recedendum à communi omnium ſententia, poſſunt enim euidenter ſolui. Ad primum reſpondetur, verum eſſe, vt argumentum probat, annihilationem,

nem, & corruptionem eſſe entia rationis, nego tamen eſſe plures ſpecies entis rationis, reducuntur enim ad negationem: nam corruptio eſt quædam negatio in fieri formæ corruptæ in ſubiecto incapaci ad habendam illam formam per naturam, hoc eſt, naturaliter: annihilatio verò etiam eſt negatio totalis rei, quæ non requirit ſubiectum, cui inſit: ſunt enim quædam negationes huiuſmodi, vt non homo, nam etiam non ens, non eſt homo.

Ad ſecundum reſpondetur, etiam extrinſecam denominationem eſſe ens rationis, in quantum intellectus negotiatur de illa, vt de quodam ente, quod benè probat argumentum, tamen eſt relatio rationis: nam intellectus concipit extrinſecã denominationem, qua color appellatur viſus per modum cuiuſdam relationis realis coloris ad viſum actu illum colorem videntem. Et ſimile quid dici poteſt de alijs extrinſecis denominationibus, quæ reuera apprehenduntur per modum cuiuſdã ordinis rei, quæ denominatur talis extrinſecè ad formam, à qua talis denominatur.

Ad tertium reſpondetur, illa, quæ in argumento connumerantur, potiùs eſſe in re figmenta, quàm ens rationis, de cuius ratione eſt, vt ſæpè dixi, habere aliquod fundamentum à parte rei; hoc tamen fundamentũ non inuenitur in exemplis adductis in argumento. nam quòd intellectus intelligat Deum per modum ſubſtantiæ corporeæ, & chimeram per modum cuiuſdam mirabilis ſubſtantiæ, nullum habet in re fundamentum, ſed ſolùm in defectu intellectus, qui propter ſuam imperfectionem taliter apprehendit huiuſmodi res, & ita non ſunt entia rationis, ſed merè figmenta.

Sed inſtabis: Nam vt ſuprà diximus, diſtinctio rationis ratiocinatæ habet fundamentum in re, & rurſus hoc fundamentum nihil aliud eſt quam quòd res ſit talis, vt propter imperfectionem intellectus nõ poſſit alio modo apprehendi: ſolùm ergo hoc fundamentum ſufficit. Reſpondetur negando conſequentiam: nam quamuis diſtinctio rationis ratiocinatæ magnum habeat fundamentum in imperfectione intellectus non potentis illa extrema, prout ſunt in ſe diſtincta, concipere; tamen præter hoc fundamentum datur aliud à parte rei, vt intellectus fingat illam diſtinctionem; nam quia actio à parte rei dicit ordinem ad agens; & paſſio ad paſſum, quod diuerſum eſt ab agente, hinc fundat diſtinctionẽ rationis inter actionem, & paſſionẽ: at verò propter ipſum defectum intellectus nullum eſt à parte rei, vt Deus concipiatur per modum corporis, & chimera pro modum mirabilis cuiuſdam ſubſtantiæ: & ita iſta potiùs ſunt mera figmenta, quam ens rationis.

Digitized by Google

Habemus ergò ex dictis, tres tantùm eſſe ſpecies entis rationis, negationem, priuationem, & relationem. Circa quas notandum eſt, non eſſe ſpecies infimas, ſed ſubalternas: nam negatio, & priuatio rurſus diuiduntur ſecundum ſpeciem, ſecundùm quod priuant diuerſis poſitiuis, nam diuerſa priuatio eſt cæcitas, & ſurditas, quia altera priuat viſu altera auditu. Similiter relatio rationis, alia eſt relatio vniuerſalis, alia prædicabilis, imò quælibet iſtarum eſt amplius diuiſibilis in ſuas ſpecies, vt videbimus in prædicabilibus.

Secundò notandum eſt circa relationem rationis, illam appellari communiter ſecundam intentionẽ, nam cum intellectus intelligat priùs naturam abſtractam, & communẽ, deindè verò relationem huius naturæ ad inferiora: quia id, ad quod primò intendit, eſt natura. Hinc fit, quòd natura ipſa realis appelletur prima intentio, vel vt alij loquuntur intentio obiectiua, quia natura eſt primum obiectum intellectus: & quia deinde intellectus intendit ad concipiendam illam relationem rationis in natura, ideò hæc relatio appellatur ſecunda intẽtio, quo nomine frequenter vtemur in prædicabilib⁹.

Tertiò notandum eſt, quod cum totum eſſe entis rationis ſit eſſe obiectiuè in intellectu, ens rationis nullibi eſt ſubiectiuè, id eſt nullibi inhæret, quia inhærere alicubi, eſt proprium accidentis realis, & ita ſpecies intelligibiles, actus & habitus, qui ſunt in intellectu ſubiectiuè potiùs ſunt entia realia, quàm rationis, quia non habent eſſe obiectiuè tantùm in intellectu, ſed ſubiectiuè: at verò ens rationis ſolum eſt obiectiuè in intellectu, nullibi verò ſubiectiuè.

Quartò notandum eſt has ſpecies entis rationis, ſcilicet negationem, priuationem, & relationem, non conuenire vniuocè in ente rationis, vt falsò exiſtimat Epiſcopus Onna q. vniuerſ. art. 3. dicens. ens rationis eſſe genus generaliſsimum prædicamenti entis rationis, quod falſum eſſe ſic probatur: nam ens reale non eſt vniuocum entibus realibus inferioribus, ſubſtantiæ, quantitati, &c. ſed potiùs eſt quid analogum. Probatur conſequentia, quia ideò ens reale non eſt vniuocum ad entia realia inferiora, quia clauditur eſſentialiter in vltimo conceptu differentiali: nam differentia, qua inter ſe omnia entia realia differunt, realis differentia eſt: ſed etiam ens rationis eſt de vltimo conceptu, & differentiali cuiuslibet entis rationis, quia illa talis differentia eſt ens non reale, quia in ente rationis nihil reale reperitur: ego eſt ens rationis, & ita clauditur in vltimo conceptu differẽtiali cuiuslibet entis rationis, atq; adeò eſt quid analogum: vnde cùm genus quodlibet debeat eſſe vniuocũ, inde

Digitized by Google

inde fit, quòd ens rationis in communi non ſit genus generaliſsimũ alicuius prædicamenti entis rationis, & ita potiùs ſint plura prędicamenta entis rationis.

QVÆST. II.

A qua potentia ens rationis fiat.

OMnes conueniunt in hac re ens rationis non habere cauſam efficientem phyſicam, quæ per actionem realem, & phyſicam illud efficiat: nam quidquid hoc modo fit, eſt verum ens reale: quærimus ergo in præſentia, à qua potentia fiat non per actionem realem, ſed per fictionem, id eſt, à qua potentia fingatur & formetur ens rationis.

Prima ſententia affirmat, ens rationis non ſolùm conſurgere per operationem intellectus, ſed etiam per operationem voluntatis. Quam ſententiam. Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. tribuit Scoto in 1. d. 4 5. q. 1. immeritò tamen, quia in ſolutione ad vltimum dicit, in re volita reſultare extrinſecam quandã denominationẽ à volitione voluntatis, illam tamen non eſſe relationem rationis, quouſque ab intellectu concipiatur, vt ens, & ita ſolùm ponit ens rationis vltimatè conſurgere ex cognitione intellectus. Cuiuſuis tamen ſit hæc ſententia, probari poteſt: nam ens rationis ſicut poteſt eſſe obiectum intellectus, ita & voluntatis: nam quidquid intellectus cognoſcit, poteſt voluntas appetere: ergo ſicut ens rationis, quia non habet eſſe à parte rei, ſed ſolùm obiectiue in intellectu, ita erit ens rationis, quod ſolùm habet eſſe obiectiuè in voluntate.

Secunda ſententia aſſerit, ens rationis non ſolùm fieri in intellectu, ſed etiam per ſenſum internum, v. g. per imaginationem, aut memoriam ſenſitiuam: quam ſententiam tueri tenentur, qui affirmant, ſenſum internum, vt imaginationem ſaltem imperfectè diſcurrere, & iudicare, quandocunque intellectus iudicat, & diſcurrit: nam ſi dum intellectus iudicat hominem eſſe cæcum, idem etiam præſtat imaginatio, iam negotiatur de illa priuatione, tanquàm de quodam ente, atque adeò facit ens rationis. Falſum tamen eſt huius opinionis fundamentum, ſcilicet quod in imaginatione reperiatur diſcurſus, aut iudicium (vt dicam 3. de anima.) Quare hoc relicto fundamento aliter videtur poſſe probari hæc opinio, nam memoria ſenſitiua cognoſcit negationes, & priuationes, vt patet, cùm quis recordatur ſe in tali occaſione non fuiſſe loquutum: non loqui autem eſt negatio, aut priuatio locutionis. Similiter imaginatio etiam habet ſua figmenta, dum imaginatur montem aureum, & alia huiuſmodi: ergo etiam ab huiuſmodi potentijs fit ens rationis.

Nihilominus tamen communis & vera ſententia eſt, ens rationis ſolùm conſurgere per operationem intellectus formaliter loquendo. Tenet D. Thom. q. 2. de malo, artic. 1. & ſæpè alibi. Caiet. 1. p. q. 28. ar. 1. Sotus hic q. 3. Soncin. 5. Metaphyſ. q. 18. & plures alij.

Pro cuius intelligentia notandũ eſt negari non poſſe, quin ex actibus aliarum potentiarum reſultent in obiectis extrinſecæ denominationes qualiter ab actu voluntatis res appellatur volita, & ab actu imaginationis dicitur imaginata, vt ita dicam: aſſerimus ergò has extrinſecas denominationes, quæ in ſe nihil ſunt, formaliter non eſſe ens rationis, donec intellectus negotietur de illis, tanquàm de quibuſdam entibus concipiens illas per modum entis.

Sit igitur concluſio in hac quæſtione: Ens rationis ſolùm conſurgit per operationẽ intellectus. Probatur concluſio. Et primò, quòd non poſſit conſurgere per operationem voluntatis, aut appetitus ſenſitiui, quia totum eſſe entis rationis eſt cognoſci cum à parte rei nihil ſit; ſed voluntas, aut appetitus ſenſitiuus non ſunt potentiæ cognoſcitiuæ, ſed appetitiuæ: ergo per illarum operationem non poteſt conſurgere ens rationis.

Secundò probatur, ens rationis non poſſe conſurgere per actionẽ alicuius ſenſus, ſiue externi, ſiue interni: nam in primis ſenſus externi non habent vim ad fingendũ ſibi aliquod obiectum, quia cùm ſolùm immutentur ab alio realiter exiſtente, & præſente, nihil reuera non exiſtens fingere poſſunt: de quo latiùs in lib. de anima diſſeremus.

De ſenſibus internis, vt de imaginatione, idem etiam probatur, quia ſenſus interni propriè non cognoſcunt ſubſtantiam, ſed ſolùm accidentia, vt latiùs in libris de anima repetemus: vnde quando imaginatio imaginatur montem aureum, nihil impoſſibile fingit, quia ſolùm concipit quantitatem magnam ſimilem quantitati montis, affectam rubro illo colore auri: & hoc non eſt quid impoſſibile exiſtere à parte rei, atque adèo non eſt verè ens rationis. Similiter dũ memoria ſenſitiua recordatur Petrum in tali occaſione non fuiſſe loquutum, non fertur in imaginationem, quæ eſt nõ locutio: hæc enim cùm nihil ſit, inſenſibilis eſt. Obiectum autem cuiuslibet ſenſus aliquid ſenſibile debet eſſe, ſed recordatur Petri, qui in tali occaſione nõ fuit locutus: quod in proprio loco, ſcilicet in 3. lib. de anima, magis elucidabitur. Et per hoc facilè ſolui poteſt fundamentum ſecundæ ſententiæ.

Sed ſtatim alia inſurgit difficultas ſuppoſito quòd ens rationis ſolùm conſurgat per operationem intellectus, an omne ens rationis poſſit

com-

cōſurgere per quamlibet eius operationem. Reſpondetur affirmatiuè, nam imprimis priuatio, & negatio per ſimplicem apprehenſionem apprehendi poſſunt per modum entis; & ſimiliter per iudicium, & diſcurſum poteſt intellectus de illis negotiari, tanquàm de quibuſdam entibus, tantam enim habet vim priuatio, & negatio, vt per quamlibet intellectus operationem fieri poſſint ens rationis.

Idem etiam probatur de relatione, hæc enim conſurgit per operationem vnius extremi ad aliud: comparatio autem (vt ſuprà vidimus) nō ſolum reperitur in iudicio, & diſcurſu (per quas operationes vnum in ordine ad aliud comparari poteſt, iudicando eſſe ordinē inter illa extrema, aut per diſcurſum illum ordinem inferendo) ſed etiam poteſt reperiri in mera ſimplici apprehenſione: quia per illam (vt dicebamus) vnū vt ordinatum ad aliud, cōcipi poteſt, cùm iudicemus eſſe ordinatum ad aliud, ſicut aliud eſt concipi hominem, vt album: quod fieri poteſt per ſolam ſimplicem apprehenſionem: aliud verò eſt hominem eſſe album, quod per primam intellectus operationē fieri non poteſt: ergo per quamlibet intellectus operationem poteſt conſurgere, & fieri relatio rationis.

Ex dictis ſequitur, quodlibet ens rationis habere duplex fundamentū: aliud proximum, aliud verò remotū. Fundamentum remotum eſt ipſa natura, quam denominat, qualiter negatio denominat naturam negatam, relatio relatam ad alterum & priuatio denominat illam priuatam. Fundamentum verò proximum, & ex quo immediatè habent eſſe, eſt illa intellectio, qua fingitur & intelligitur tāquam quoddam ens: & quia hæc actio, qer quam immediatè cōſurgit relatio rationis, eſt comparatio naturæ ad aliam, ad quam per operationē intellectus refertur: hinc optimè aſſeruerunt Logici, comparationem eſſe fundamentum proximum relationis rationis, quæ communiter appellatur ſecunda intētio.

Sequitur ſecundò, quòd cum ens rationis cognoſcatur, & fingatur ad modum cuiuſdam entis realis, reuera intelligitur per ſpeciem intelligibilem entis realis.

Sequitur tertiò, quòd cùm ens rationis non ſit verum ens, ſed fictum per rationem, non habet paſſiones entis in cōmuni verè, & realiter, ſed per rationem, ita quòd habeat bonitatem, ſeu perfectionem rationis, ſeu fictam, ſeu veritatem fictam: & ſic de aliis.

Vltimò ex dictis patet, qualiter dicatur ens de ente reali, & rationis, dicitur enim æquiuocè, ſicut homo de homine viuo, & picto: nam ens reale eſt verum ens, at verò ens rationis eſt ens fictum: & ita æquiuocè conueniunt in ratione entis.

Ex dictis facilè erit ſoluere rationes in contrarium adductas; & quidem ad fundamentum ſecundæ ſententiæ, nempè, qualiter imaginatio habeat ſua figmenta, iam diximus.

Ad rationem autem primæ ſententiæ reſpondetur verum eſſe, ens rationis poſſe eſſe obiectum voluntatis, vt argumentum probat, non tamen ens rationis, prout eſt obiectũ illius. Et ratio eſt quia nõ eſt obiectũ voluntatis, tanquàm aliquid factum ab illa, ſed tanquàm aliquid volitum: voluntas enim cùm non ſit potentia cognoſcitiua, ſed appetitiua, nihil fingere poteſt: & ita ſolum habet appetere illud ens rationis, quod ab intellectu fingitur, & illi proponitur; ipſa verò nihil fingit, ſed fictum ab intellectu appetit.

QVÆST. III.

An, & quomodò ſecundæ intentiones prædicentur de primis, & de ſe ipſis inter ſe.

TRia breuiter in hac quæſtione expedienda ſunt. Primum, qualiter prædicentur ſecundæ intentiones de primis. Secundum, qualiter prædicentur inter ſe. Tertium, qualiter ſupponant nomina primæ, & ſecundæ intentionis in talibus prædicationibus, quod per regulas generales, quas trademus, ſatis fiet manifeſtum.

Circa primum ſit prima regula: Secundæ intentiones in abſtracto nõ prædicantur de primis, neque in abſtracto, neque in concreto conſideratis: & ita iſtæ ſunt falſæ: Homo eſt ſpecieitas: Humanitas eſt ſpecieitas. Et ratio eſt, quia prædicatum debet aliquo modo continere ſubiectum, & ſignificare illud, vt in hac: Homo eſt albus, album quodammodò continet hominem, quia dicit id, quod habet albedinem, & hoc eſt homo; ſed abſtractum cùm dicat formam, non ſignificat ſubiectum illius: ergo non poteſt prædicari de illo. Addo etiam è contra primas intentiones neque in abſtracto, neque in concreto ſumptas poſſe prædicari de ſecundis intentionibus in abſtracto conſideratis, qualiter iſtæ ſunt falſæ: Specieitas eſt humanitas: Specieitas eſt homo.

Sit ſecunda regula: Secundæ intentiones in concreto poſſunt prædicari de primis in concreto ſumptis qualiter iſtæ ſunt veræ: Homo eſt ſpecies: Album eſt ſpecies: Animal eſt genus. Ratio eſt, quia illud prædicatum prædicatur de aliquo ſubiecto, quod ineſſe poteſt illi, & illud aliquo modo continet: ſed ſecundæ intentiones in concreto, v. g. genus, aliquo modo continet animal, de quo prædicatur, tanquàm ſubiectũ, & eſſe genus ineſſe poteſt animali, ſaltem denominatiuè: nam entia rationis nullibi ſunt ſubiectiuè, vt ſuprà: ergo ſecundæ intentiones in concreto poſſunt prædicari de primis

mis in concreto: dixi tamen poſſe prædicari, quia non quælibet ſecunda intentio in concreto prædicatur de qualibet prima in concreto ſumpta, ſed ſolùm de illa, quam denominare poteſt; & ita hæc eſt falſa: Homo eſt genus, quia homo non poteſt denominari genus.

Addo etiã è contra; primas intentiones in cõcreto poſſe prædicari de ſecundis intentionibus in concreto ſumptis, qualiter iſta eſt vera: Species eſt homo, ſicut hæc eſt vera: Album eſt homo. Et ratio eſt, quia ex communi modo concipiendi idem eſt dicere: Homo eſt ſpecies, &: Species eſt homo, licèt non ita ſit formalis, & directa, eſt tamen vera, ſicut iſta: Album eſt homo.

Sed dubitabis, vtrum hæc ſit vera: Homo, inquãtum homo, eſt ſpecies. Reſpondetur, quòd illa particula, Inquantum homo, poteſt ſumi reduplicatiuè, & ſpecificatiuè: ſi ſumatur reduplicatiuè, facit hunc ſenſum; Homo habet eſſentialiter, quòd ſit ſpecies, & ſic eſt falſa, quia eſſe ſpeciẽ, eſt denominatio, quæ illi conuenit accidentaliter, & per intellectum: ſi verò ſumatur ſpecificatiuè, facit hũc ſenſum: Natura, quæ eſt homo, denominatur ſpecies: & hæc eſt vera.

Sit tertia regula: Secundæ intentiones in concreto prædicantur de primis in abſtracto ſumptis, tam in abſtractis accidentiũ, quàm in abſtractis ſubſtãtiæ: quimmeritò quidã negant. Probatur, nam in abſtractis accidentium hæc eſt vera: Color eſt genus: Albedo eſt ſpecies: ſimiliter in abſtractis ſubſtantiæ hæc eſt vera: Humanitas eſt ſpecies: Animalitas eſt genus.

Et ſi obiicias, quod abſtracta ſubſtantiæ, vt humanitas, non ſunt naturæ completæ, eo quòd deficit illis complementum ſubſtantiale ſubſtãtiæ, & perſonalitatis, quam tamẽ dicunt concreta ſubſtantialia, vt homo, qui denominatur perſona ſubſiſtens, nõ tamen denominat talis humanitas, quia potiùs ſignificatur per modum partis ſubſtãtialis ſuppoſiti, aut perſonæ, quàm per modum perſonæ: ſed nihil, quod habet rationẽ partis, poteſt denominari genus, vel ſpecies: ergo iſtæ prædicationes ſunt falſæ: Humanitas eſt ſpecies: Animalitas eſt genus. Reſpondetur ſolùm probari, quòd non poſſit denominari genus, vel ſpecies completa, non tamen incompleta: nam quamuis ſint naturæ incompletæ, & partiales, animalitas cõcipitur, vt genus ad humanitatem, & equinitatem, & humanitas, vt ſpecies ad hanc, & illam humanitatem, ſicut anima rationalis, quamuis ſit natura incompleta, concipitur vt ſpecies ad hanc, & illam animam. Addo tamen huic regulæ è contrà, primas intentiones in abſtracto non prædicari de ſecundis in concreto ſumptis, qualiter hæc

eſt

Digitized by Google

eſt falſa: Specieitas eſt homo: Genereitas eſt animal.

Circa ſecundum, quod inquirit quæſtio, ſcilicet qualiter ſecundæ intentiones prædicentur de ipſis inuicem, notandum eſt, ſecundam intẽtionem poſſe duobus modis comparari ad alias ſecundas intentiones. Primo, tanquàm ad inferiora, in quibus eſt, qualiter comparatur ſpecies ad hanc, & illam ſpeciem, & genus ad hoc, & illud genus. Secundò, non tanquàm ad inferiora, ſed tanquàm ad ſubiecta, quæ denominant, vt in hac prædicatione: Genus eſt ſpecies vniuerſalis, vbi prædicatur ſpecies de genere accidentaliter, nam denominatio ſpeciei accidentaliter conuenit huic ſubiecto, quod eſt genus: quod eſſentialiter habet potiùs eſſe genus.

Hoc ſuppoſito, ſit prima regula in hac difficultate. Si comparentur ſecundæ intentiones ad alias, tanquàm ad inferiora, in quibus ſunt, prædicantur eodem modo, ac primæ intentiones prædicantur de primis, & ita eædem prorſus regulæ obſeruandæ ſunt, quas ſupra diſput. 1. de illis tradidimus, ita quòd in concretis concretum ſuperius prædicetur de inferiori, vt in hac: Hoc genus eſt genus, & æquale prædicetur de æquali, vt in hac: Genus eſt prædicabile de differentibus ſpecie, vbi prædicatur paſſio de ſubiecto, ſicut in hac: Homo eſt riſibilis, nam eſſe prædicabile de differentibus ſpecie, eſt paſſio generis: eſſe verò in illis, eſt eius eſſentia: in abſtractis verò abſtracta ſuperiora prædicantur de inferioribus, vt in hac: Genereitas eſt vniuerſalitas, quorum ratio eſt eadem, ac in primis intentionibus, ſcilicet, quia prędicatum eſt in ſubiecto, & aliquo modo illud continet, ſaltem ſicut ſuperius continet inferiora: ergo prædicatur de illo. Denique abſtracta non poſſunt prædicari de cõcretis, vt in hac: Genus eſt vniuerſalitas, poſſunt tamen concreta ſaltem accidentaliter prædicari de abſtractis, qualiter hæc eſt vera: Specieitas eſt ſpecies ad hãc, & illam ſpecieitatem, vbi ſecunda intentio ſpeciei, quę eſt ſpecieitas accidentaliter, denominatur ſpecies ad hanc, & illam ſpecietatem ab illa ſecunda intẽtione ſpeciei, ſicut homo denominatur ſpecies accidentaliter à ſecunda intentione ſpeciei; & ità ſicut hæc eſt vera: Homo eſt ſpecies, ita hæc eſt vera: Specieitas eſt ſpecies ad hanc, & illam ſpecieitatem.

Sed obiicies: Secundæ intentiones inter ſe ſolùm diſtinguuntur ratione ratiocinante: ergo poterunt prædicari de ſe inuicẽ, quomodocũque ſumãtur. Probatur antecedens, quia diſtinctio rationis ratiocinantis eſt illa, quæ nullũ habet fundamentũ in re, ſed tota fingitur ab intellectu, vt ſuprà; ſed tota diſtinctio inter ſecundas intentiones fingitur ab intellectu, neque habet aliquod fundamen-

Digitized by Google

damentum à parte rei: ergo diſtinguuntur ratione ratiocinante.

Reſpondetur, diſtinctionem, quę eſt inter ſecūdas intentiones, quamuis non habeat fundamentum à parte rei, tamen habere poteſt fundamentum in re ipſa, quæ eſt ſecunda intentio, quia in ea eſt fundamentū, vt intellectus diſtinguat in illa concretū, & abſtractum, ſicut in entibus, realibus, & in illis etiā eſt diſtinguere rationem ſuperiorem, & inferiorem; & ita diſtinguuntur ratione ratiocināta, & ex tali diſtinctione poſſunt reddi falſæ propoſitiones.

Sit ſecunda regula: Si comparentur ſecundæ intentiones ad alias, tāquàm ad ſubiecta, quæ denominātſi à parte prædicari ponatur abſtractū, prædicatio nequit eſſe vera, qualiter hæc eſt falſa: Vniuerſale eſt genereitas, vel: Vniuerſalitas eſt genereitas. Ratio eſt, quia accidens in abſtracto non prædicatur de ſuo ſubiecto, neque in abſtracto, neque in concreto cōſiderato. Cuius ratio eſt, quia cùm abſtractum dicat ſolam formā, nullo modo continet ſubiectum, & ita non prædicatur de illo, qualiter hæc eſt falſa: Homo eſt albedo: Humanitas eſt albedo.

Sed obiicies: Quia hæc eſt vera: Genereitas eſt vniuerſalitas, nam ſe habet ſicut hæc: Humanitas eſt animalitas, quam diximus eſſe veram ſuprà diſput. 2. Reſpondetur, in hac prædicatione illud prædicatum, Vniuerſalitas, non comparari ad genereitatem, ſicut ad ſubiectum, quod accidentaliter denominet, ſed ſicut ad inferius, nam genereitas eſſentialiter continetur ſub vniuerſalitate; & ita non mirum eſt, quòd illa prædicatio ſit vera, nūc enim loquimur, quando vna ſecunda intentio comparatur ad aliam, vt ad ſubiectū, quod denominat.

Sed obiicies: Si ergo vna ſecunda intentio poteſt denominari ab alia: ergo illa rurſus poterit denominari ab alia, & illa ab alia, & ſic in infinitū. Reſpondetur, in his entibus rationis non eſſe in cōueniens nullū dari terminum: nam intellectus poteſt ampliùs & amplius conficere prædicationes, ex quib. plures, & plures relationes rationis reſultabunt actu; tamen ſicut non dantur infinitæ intellectiones in actu, ita neque actu dantur infinita entia rationis; ſed ſicut poſſunt dari plures, & plures intellectiones (quod appellatur infinitum in potentia,) ita poſſunt dari plura, & plura figmenta, & entia rationis.

Addo tamen ſecundò huic regulæ, quòd quando à parte prędicati ſit concretum, prædicatio poteſt eſſe vera, ſiue à parte ſubiecti ponatur concretum, ſiue abſtractum, quando tale prędicatum aliquo modo cōuenire poteſt ſubiecto: vnde iſtæ ſunt veræ denominatiuè, & accidentaliter: Genus eſt ſpecies, Genereitas eſt ſpecies.

K Circa

Circa tertium, nempè qualiter ſupponant nomina ſecundæ intentionis in prædicationibus, ſit prima regula. Quando in propoſitione à parte ſubiecti ponitur nomen primę intentionis, à parte vero prædicati nomen ſecundæ intentionis, nomen primæ intentionis ſupponit immobiliter, ita vt ſub illo non liceat deſcendere deſcenſu copulatiuo, vt in hac: Homo eſt ſpecies, vt dicebamus in Summulis. Ratio eſt, quia illud prędicatum, Species, non conuenit homini, niſi prout in communi conſiderato; & ita non valet facere deſcenſum ad inferiora, atque adeò ſupponit immobiliter. Illud verò prædicatum, Species, ſupponit immobiliter determinatè, quia facit hunc ſenſum: Homo eſt aliqua ſpecies. Idem iudicium eſt de hac propoſitione: Animal eſt genus, & in ſimilibus; & loquimur, quando nomen illud primæ intentionis non eſt aliquo ſigno affectum: nam ſi afficiatur, tunc ſupponit alio modo pro diuerſitate ſigni, qualiter in hac: Aliquis homo eſt ſpecies, quæ quidem falſa eſt, & homo ſupponit determinatè.

Sit ſecunda regula. Quādo à parte ſubiecti, & prædicati ponuntur nomina ſecundæ intentionis, ſi prædicatū accidentaliter conueniat ſubiecto, tale ſubiectum ſupponit immobiliter, vt in hac: Genus eſt ſpecies vniuerſalis, & in hac: Vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia; & ita non licet facere deſcenſum, vt ſi dicas: Hoc vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia. Si verò prædicatum eſſentialiter conueniat ſubiecto, tūc ſubiectū ſupponit determinatè, vt in hac: Genus eſt vniuerſale: & licet facere deſcenſum ſaltem diſiunctiuum, vt ſi colligamus: ergo vel hoc genus eſt vniuerſale, vel hoc genus eſt vniuerſale.

QVÆST. IV.
Quid ſit vniuerſalitas, & prædicabilitas.

OMnia, quæ hactenùs de entib. rationis diſputauimus; cò tendunt, vt naturam vniuerſalitatis, & prædicabilitatis explicemus, quod in hac ſecunda diſput. præcipuè intentum eſt, in præſenti ergo quæſtione, cùm vniuerſale ſit illud, quod aptum natum eſt eſſe in multis, & prędicabile, ꝙ aptū natū eſt prædicari de multis, cōueniunt oēs, vniuerſalitatē eſſe aptitudinem quandam naturæ ad exiſtendum in multis, & prædicabilitatem eſſe aptitudinem naturæ, vt de multis prædicetur. Dubium tamen eſt apud authores, vtrùm ſint proprietates reales cōuenientes naturis à parte rei, vel potiùs ſint aliquid rationis ſolum illis conuenięns per intellectum.

Prima ſententia aſſerit, has aptitudines conuenire rebus à parte rei, omni ſecluſo intellectu. Ita iudicare vide-

Digitized by Google

videtur Paulus Venetus in ſua Metaphyſ. cap. 2. & quæſt. 1. Vniuerſalium: cuius ſententiæ fundamentum eſſe poteſt. Primò, quia aptitudo naturę vt ſit in multis, & prędicetur de multis, non eſt aliud, quam potentia ad hos actus; ſed potentia eſt quid reale, pertinet enim ad prædicamentum qualitatis: ergo talis aptitudo quid reale eſt.

Secundò, quia quando actus reperitur à parte rei, etiam aptitudo ad illum reperitur à parte rei, cùm neceſſariò requiratur ad illum actũ; ſed à parte rei natura humana eſt in multis indiuiduis: ergo de facto à parte rei habet talem aptitudinem: ergo talis aptitudo aliquid reale eſt.

Secunda tamen, & vera ſententia, & ſatis inter authores communis, eſt Vniuerſalitatẽ, & prædicabilitatem eſſe accidentia rationis cõuenientia naturæ per intellectum, ſcilicet relationes quaſdam rationis, ſeu ſecũdas intentiones. Tenet D. Thomas 1. part. quæſt. 85. artic. 2. adiectio. 2. Auicenna 4 capit. ſuæ Logicæ, Durand. in 2. diſtinct. 3. quæſtio. 2. Soncin. 7. Metaphyſ. quæſt. 36.

Pro cuius intelligentia ſupponẽdum eſt, quòd vt natura aliqua denominetur vniuerſalis, aut prædicabilis, non ſatis eſt, quòd ſit in multis, ſed quòd reſpectu illorum ſit vna, & communis, ita quòd ſit illis communis: nam primò hoc ſignificat nomen vniuerſale, & prædicabile. Secundò hoc planè colligitur ex definitione vniuerſalis ſuprà tradita, nempè quòd vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio: Vniuerſalitas, & prædicabilitas ſunt accidentia rationis conuenientia naturæ ſolùm per intellectum. Docuit expreſsè Ariſtot. 1. de anima, text. 8. vbi dicit, quòd *Vniuerſale aut nihil eſt, aut poſterius eſt*, id eſt, aut nihil eſt, aut eſt poſt res ipſas, nempè per intellectum, vt ibi Auerroes interpretatur; nam quod alij dicũt, verba hæc ſolùm ſignificare, quòd vniuerſalitas ſit poſterior, quã natura, id eſt, quòd ſit accidens eius, non tamen explicari poſſe per hæc verba, an ſit accidens, reale, vel rationis, non placet: nam Ariſtot. eo loco diſputat contra Platonem aſſerentem dari à parte rei naturas vniuerſales, nempè Ideas illas ſeparatas: ergo intendit contra illum vniuerſalitatem eſſe accidens rationis.

Et ratione probatur, quia natura, prout eſt à parte rei, eſt ſingularis: ergo eſſe vniuerſalem, & prædicabilem, ſunt accidentia, quæ ſolùm illi conueniunt per intellectum.

Sit ſecunda concluſio: Vniuerſalitas, & prædicabilitas, ſunt relationes rationis ex parte naturæ vniuerſalis, & prædicabilis ad inferiora. Probatur concluſio, quia relatio

latio rationis eſt illa, quæ reuera non eſt à parte rei, confingitur tamen, & fingitur ab intellectu ad modum relationis realis; ſed aptitudo ad exiſtendum in multis, & prædicandum de multis, quæ eſt vniuerſalitas, & prædicabilitas, non ſunt aptitudines reales, quæ exiſtant à parte rei, (vt vidimus) ſed potiùs concipiuntur ab intellectu per modum relationis ex parte naturæ ad inferiora, relatio quidem vniuerſalitatis ad inferiora, tanquàm ad ea, in quibus eſt; relatio verò prædicabilitatis ad inferiora, tanquam ad ea, de quibus prædicatur; ita ſunt diuerſæ relationes: ergo vniuerſalitas, & prædicabilitas ſunt relationes rationis.

Ex dictis ſequitur, prædicabilitatem eſſe paſſionem vniuerſalis: nam ex eo quòd aliqua natura dicat relationem ad inferiora, tanquàm ad ea, in quibus eſt, oritur tanquàm paſſio, quòd poſſit de illis prædicari: hæc tamen paſſio ſeparari poteſt ab ipſo vniuerſali: nam cùm relatio vniuerſalis, & relatio prædicabilis, ſint diuerſæ relationes rationis, poteſt vna intelligi, cùm alia nō intelligatur: & cùm totum eſſe entis rationis ſit intelligi, poteſt eſſe relatio vniuerſalis, cùm non ſit relatio prædicabilis.

Neque mirum eſt, paſſionem ſeparari ab eſſentia in entibus rationis, vt ſuprà dicebam: quia iſtæ paſſiones non dimanant ab eſſentia reali, ſed fiunt per conſiderationem intellectus, qui conſiderare poteſt eſſentiam ſine paſſione.

Vnde ad rationes dubitandi ſuprà factas reſpondetur. Ad primam, negando, quòd aptitudo naturæ ad eſſendum in multis ſit potentia realis, quæ eſt de prædicamento qualitatis, quia hæc debet eſſe potentia phyſica habens eſſe à parte rei: illa verò aptitudo ſolùm conuenit naturæ per intellectum: & ita potiùs eſt ens rationis, quàm potentia realis, & phyſica.

Ad ſecundam, quòd vt aliqua natura ſit vniuerſalis, non ſatis eſt eſſe in multis, & de multis prędicari: quāuis ergo natura, verbi gratia, humana, à parte rei ſit in pluribus: tamen quia à parte rei non eſt vna in pluribus, id eſt, communis pluribus, ideò non habet à parte rei actum illius aptitudinis, ſed ſolùm per intellectum.

Sed obiicies: Sequitur ergo, quod ſi vt aliqua natura ſit vniuerſalis, debet eſſe vna in pluribus, quòd eſſentia diuina ſit vniuerſalis, & non ſingulariſſima. Conſequens eſt falſum: ergo illud, ex quo ſequitur.

Sequela probatur, quia eſſentia diuina eſt vna, & eadem in tribus perſonis: nam eadē eſſētia, quæ eſt in Patre, eſt in Filio, & Spiritu ſancto, & è contrà. Reſpondetur, quòd ad

ad rationem vniuerſalis nõ ſatis eſt, quòd ſit vnum, & idem in pluribus quomodo cunque, ſed debet eſſe in pluribus, non idem numero, ſed vnum, & idem ſecundum ſpeciem: at verò eſſentia diuina eſt in pluribus perſonis diuinis eadem numero, atque adeò eſt ſingulariſsima, vt argumentũ probat: hoc tamen non ſufficit ad rationem vniuerſalis, vt dictum eſt.

Ad finem huius quæſtionis pro recta prædicabilium intelligentia, non nulla adijciam, primum, eam ſolam prędicationem pertinere ad prędicabilia, quæ eſt prædicatio vera, & affirmatiua. Ratio eſt, quia id, quod eſt prædicabile, debet eſſe vniuerſale: vniuerſale autem eſt, quod eſt in multis: ergo prædicatio debet verè affirmare prædicatum verè eſſe in ſubiecto, atque adeò talis prædicatio debet eſſe vera & affirmatiua.

Sed rurſus hæc prædicatio duplex eſt: alia directa, & eſt, quando forma prædicati aliquo modo recipitur in ſubiecto; & ideò talis prædicatio à pluribus dicitur formalis, vt iſta: Homo eſt animal: Homo eſt albus, & ſimiles: quia ratio formalis animalis & ratio albi reperitur in homine: è contra autem iſtæ ſunt indirectæ: Animal eſt homo: Album eſt corpus, quia ratio formalis hominis nõ reperitur in ratione animalis, ſed è contrà ratio albi reperitur in corpore ſubiectiuè vt ergo talis prædicatio p ſe pertineat ad prędicabilia, debet eſſe prædicatio directa: quia aliàs non eſt prædicatio formalis.

Secundò obſeruandum eſt, quòd ſi prædicatio ſit formalis, directè pertinet ad prædicabilia, ſiue prædicatum ſit natura completa, ſiue non: quod ſine fundamento plures communiter negant. Et ratio eſt, quia ratio vniuerſalis perfectè reperitur etiam in naturis incompletis, vt in natura in communi reſpectu huius, & illius animæ: ergo quanuis ipſa natura in ſe ſit aliquid incompletum: tamẽ ratio vniuerſalitatis perfectè illi conuenit: atque adeò etiam ratio prædicabilis, quæ ex illa oritur, & eſt paſſio illius. Verum eſt, illam naturam incompletam non pertinere ad prędicamenta, quia in prædicamentis ſolùm ponuntur directè naturæ completæ. Cuius ratio à poſteriori eſt, quia differentiæ eo quòd ſunt naturæ incompletæ, ponuntur ad latus.

Et ſi obijcias, quòd prædicabilia ordinantur ad prædicamenta; ſed in prædicamentis ſolum ponuntur naturæ completæ: ergo & in prædicabilib⁹. Reſpondetur, prędicabilia ſolũ in eo dici ordinari ad prędicamẽta q̃a prædicamenta ſunt diſpoſita per genera, & ſpecies, & differentias, quæ ſunt ad latus: vnde vt ſciam⁹ quæ ſint genera, & ſpecies, & differentię, opus eſt habere cognitionẽ prædicabiliũ, non tamen dicuntur ordinari ad

prædicamenta, quia naturæ omnes, quæ directè ponuntur in prædicabilibus, directè etiam ponuntur in prædicamentis.

Tertiò obſeruandum eſt, concreta accidentalia, etiam directè pertinere ad prædicabilia, qualiter hæc eſt prædicatio quinti prædicabilis: Homo eſt albus. Et ſi dicas, quòd hæc concreta dicunt vnum per accidens: ergo nõ pertinent per ſe ad prædicabilia; reſpondetur: relicto antecedẽti (de quo alibi dicam) negando tamen conſequentiam, quia ratio vniuerſalis ita propriè reperitur reſpectu ſuorũ inferiorum in natura, quæ una eſt per accidẽs, ac ſi ſit per ſe vna, quia ſemper ſaluatur, quod eſt vnum in multis, & eſt quid commune in multis; & ita etiam perfectè illi conuenit ratio vniuerſalis.

Poſſet tamen hoc loco inquiri, an vt aliqua natura ſit vniuerſalis, & prædicabilis, requiratur quòd poſſit habere plura inferiora, in quibus ſit, & de quibus prædicetur, ſaltem de potentia abſoluta, an verò abſque eo, quòd poſſit habere talia inferiora, etiam de potentia abſoluta, poſſit tamen denominari vniuerſalis, & prædicabilis. Quæ difficultas communiter tractari ſolet de naturis Angelicis, Sole, & Luna, & alijs ſpeciebus ſolùm habentibus à parte rei vnicum indiuiduum.

In qua re omnes conueniũt nõ requiri, vt aliqua natura denominetur vniuerſalis, & prædicabilis, quòd actu habeat à parte rei inferiora. Ratio ſumitur ex definitione vniuerſalis, quia vniuerſale eſt, quod aptum natũ eſt eſſe in pluribus: ergo ſufficit quòd poſſit habere plura indiuidua, in quibus, ſit, quin actu illa habeat, & ſit in illis.

Hoc ſuppoſito prima ſententia in hac re aſſerit, naturas Angelicas, etiamſi à parte rei non poſſint, etiam de potentia abſoluta habere plura indiuidua, nihilominus denominari ſpecies. Tenet Caietanus de ente, & eſſentia, capit. 4. & capite de ſpecie, quem Iuniores omnes ſequuntur.

Cuius ſententiæ fundamentum eſt quia quanuis naturis Angelicis à parte rei repugnet habere indiuidua, in quibus ſint; tamẽ quia concipiuntur ab intellectu, ad modum naturæ corporeæ, cui non repugnat habere plura indiuidua, ideò concipiuntur vt habentes aptitudinem ad eſſendum in multis, atque adeò poſſunt denominari vniuerſales, & prædicabiles.

Sed quanuis hæc ſententia vera ſit in eo quod aſſerit, naturas Angelicas denominari prædicabiles, & vniuerſales, eius tamen fundamentum falſum eſt: vnde dico primò in hac difficultate: Naturæ Angelicæ poſſunt denominari vniuerſales, & prædicabiles.

Ratio propria huius eſt, quia quan-

quanuis de facto ſub eadem ſpecie Angelica non ſint plura indiuidua, qualiter in ſpecie Michaelis tantùm eſt vnicum indiuiduũ, & ſic de reliquis, tamen de potentia Dei abſoluta poſſunt dari plura indiuidua ſub eadem ſpecie angelica, quòd tanquam veriorem plurium Theologorum opinionem ſuppono; ſed ad rationem vniuerſalis non requiritur (vt vidimus) actu eſſe in multis, ſed quòd poſſit eſſe in multis: ergo cùm naturis Angelicis non repugnet habere plura indiuidua, ſaltem de potentia abſoluta poterunt denominari vniuerſales, & prædicabiles.

Dico ſecundò, ſi iſtæ naturæ, ſaltem de potentia Dei abſoluta, non poſſunt habere à parte rei plura indiuidua, in quibus eſſent, nullo modo poſſent denominari vniuerſales, & prædicabiles.

Probatur efficaciter, quia ad rationem vniuerſalis requiritur, quod natura ſit apta nata eſſe in pluribus: ergo ſi non poſſet eſſe in pluribus; etiam de potentia abſoluta, non poſſet denominari vniuerſalis.

Reſpondent authores contrarij, quòd quanuis repugnet naturæ Angelicæ à parte rei habere plura indiuidua in quibus ſit, tamen prout concipitur ab intellectu ad modum rei materialis, & habentis plura indiuidua, ſaltem per intellectum illa habebit; & ita reſpectu illorum poteſt denominari vniuerſalis.

Sed hæc ſolutio nullius eſt momenti, quia longè aliud eſt apprehendi per ſpeciem naturæ aptæ eſſe in pluribus, aliud verò eſt, quòd ipſum, quod apprehenditur in ſe, poſſit eſſe in plurib⁹, ſicut aliud eſt, quòd Deus apprehendatur per ſpeciem corporis, aliud verò quòd denominetur corpus: vnde ſicut Deus non denominatur corpus, quanuis apprehendatur per modũ corporis; ita natura angelica in ſe non poterit denominari ſpecies, ex eo præcisè, quòd apprehendatur per modum ſpeciei corporeæ.

Secundò, quia aliàs Deus poſſet denominari vniuerſalis, & prædicabilis; quia apprehenditur per modũ naturæ corporeæ, cui non repugnat habere plura indiuidua: quod tamen meritò non admittunt authores contrarij.

Sed adhùc reſpondent eſſe diuerſam rationẽ, quia Deus nullã habet compoſitionẽ realẽ, quam tamen habent naturæ angelicæ, cùm componantur ex eſſe, & ſubſiſtentia, vel (vt alij volunt) ex eſſentia, & exiſtentia, quæ compoſitio vocatur ex eſſe & eſſentia.

Sed contra hoc eſt, quòd ad rationem vniuerſalis omninò impertinens eſt, quòd habeat natura compoſitionem realem, & phyſicam, eo quòd vniuerſale ſolùm petit eſſe aptum natum eſſe in pluribus, ſiue ſit ſimplex, ſiue compoſitum; aliàs ſequeretur, quòd natura Angelica, ſi pcindatur à ſua exiſtẽtia & ſubſiſten-

ſtentia; qua ratione nullam habet realem, & Phyſicam compoſitionē, non poſſet denominari vniuerſalis, & ita haberet eſſe vniuerſalem ab exiſtentia, & ſubſiſtentia illi adiuncta, quod gratis, & ſine fundamento dicitur. Satis ergo eſt ad rationē vniuerſalis compoſitio rationis ex conceptu ſuperiori, & inferiori, quæ etiam reperitur in Deo, cùm in Deo reperiatur ratio ſuperior ſubſtantiæ, vel entis, & talias ratio ſubſtantiæ, & entis; & ita in hac ſententia difficilè ſaluatur, quod Deus non poſſit denominari vniuerſalis.

Quare alij reſpondent, ideò Deum non poſſe denominari vniuerſalem, quia eſt intrinſecè, & eſſentialiter ſingularis, ſicut Petrus; & ita nullo modo poteſt denominari vniuerſalis: quod ſecus eſt de naturis Angelicis.

Sed hoc etiam friuolum eſt: nam ſi naturæ Angelicæ repugnaret de potentia abſoluta habere plura indiuidua, ſicut Petro, reuera eſſet ita intrinſecè, & eſſentialiter ſingularis, ſicut Petrus, ſi quidem etiam de potentia abſoluta illi repugnaret pluralitas indiuiduorum: neque enim poteſt aſſignari alia relatio, quare Petrus ſit eſſentialiter ſingularis, niſi iſta.

Et ex his ſequitur, quæ ſit propria ratio, quare Deus non poſſit eſſe vniuerſalis, quia cùm Deus idem numero, & eſſentialiter ſingularis ſit in pluribus, non eſt aliquid commune pluribus perſonis diuinis communitate vniuerſalitatis, tanquàm aliquid vniuerſale, cùm potiùs ſit eſſentialiter ſingularis, ſed potiùs eſt commune tribus perſonis communitate communicationis, quia eadem numero eſſentia diuina ſingulariſſima communicatur tribus perſonis diuinis & hæc de hac quæſtione. Et diſputatione.

Diſputat. III.

De Vniuerſali, prout dicit concretum ex natura, & vniuerſalitate.

EGimus hactenùs de natura vniuerſali, & de ipſa vniuerſalitate, nunc vero diſputandum reſtat de toto ipſo in concreto, quod eſt vniuerſale reſultans ex natura vniuerſali, & vniuerſalitate.

Quæſt. I.

Vtrùm vniuerſale ſit genus ad quinq. prædicabilia?

PRo intelligentia huius notandū eſt, quod ſicut naturæ reales denominantur genera & ſpecies per ſecundas intentiones illis ſuperadditas, ita ipſæ ſecundæ intentiones denominantur genera, vel ſpecies per alias ſecundas intentiones denominantes illas, qualiter ſecunda intentio ſpeciei reſpectu huius, & illius

lius ſecundæ intentionis ſpeciei denominatur ſpecies, & ita quanuis vniverſale inuoluat ſecundam intentionem, quærimus in præſentia, vtrùm poſſit denominari genus reſpectu quinq; prædicabilium.

Et ſi obijcias contra hoc fundamentum, quia totum eſſe ſecundæ intentionis eſt denominare naturã realem ſcilicet quæ ſe habet per modum naturæ realis: vnde quando vna ſecunda intentio denominatur, verbi gratia ſpecies ab alia ſecunda intentione, prima, & ſecunda intentio comparatur ad alteram, ac ſi eſſet quędam natura realis denominata ab illa, & non ſumitur vt quo, ſed vt quod.

Hoc ſuppoſito in præſenti quæſtione, prima ſententia affirmat, vniuerſale non eſſe genus ad quinque prædicabilia. Tenet Boetius, & Amonius ſuper caput de genere, Albertus Magn. tract. 2. in Porphyr. cap. 9. Canterus in Anteprædicamẽtis cap. 4. Et probari poteſt primò, quia genus non debet includi in differentijs contrahẽtibus harũ ſpecierum, qualiter animal non includitur in conceptu formali rationalis; ſed vniuerſale in cõmuni contrahitur ad eſſe generis, vel ſpeciei; &c. ergo vniuerſale non eſt genus ad quinq; prædicabilia.

Probatur minor, quia illa differentia per quã contrahitur vniuerſale ad eſſe generis, & qua conſtituitur ipsũ genus, non eſt ſingularis, & quia nihil ſingulare poteſt conſtituere aliqd cõmune: eſt ergo vniuerſalis: ergo vniuerſale clauditur in differentiis contrahentibus: atque adeò non eſt genus ad quinq; prædicabilia.

Secundò quia genus æqualiter debet participari ab ſpeciebus, ſed ratio vniuerſalis non æqualiter participatur à quinq; prædicabilibus, quia genus quid vniuerſalius eſt, quàm ſpecies: ergo vniuerſale non eſt genus ad quinq; prædicabilia.

Tertiò quia genus debet eſſe vniuerſalius, quàm ſpecies; ſed vniuerſale nõ eſt vniuerſalius genere, quod eſt prima ſpecies prædicabilium. Et probatur, quia gen', quod eſt primũ prædicabile, etiã ſe extẽdit ad genera generaliſſima prædicamentorum: ſed ſupra genus generaliſſimũ nullũ eſt aliud genus, vt author eſt Porphyrius cap. de ſpecie: ergo vniuerſale nõ eſt genus ad quinq; prędicabilia.

Quartò, quia ſi vniuerſale eſt gen' ad quinq; prædicabilia: ergo ipſa prędicabilia erunt ſpecies ſub illo contẽtæ: ergo etiã genus, quod eſt primum prædicabile, erit ſpecies, quæ eſt ſecundum prædicabile: & ita ſequitur, prædicabilia confundi inter ſe.

Vera tamen, & cõmunis ſententia eſt, vniuerſale eſſe genus ad quinque prædicabilia, Tenet Scotus quæſt. 8. Cardinalis Tolet' quæſt. 2. de ſubiecto quinq; prædicabiliũ, Sot' quæſt. 4. Maſſius ſect. 5. de vniuerſalibus

quæſt. 2. & probatur facilè, quia genus dicit quãdam rationem vniuerſalem vniuocè conuenientem ſuis ſpeciebus; ſed quinq; ſpecies vniuerſalis, quæ ſunt quinq; prædicabilia enumerata à Porphyrio, vniuocè conueniunt in ratione vniuerſalis: nam tam eſſentialis eſt iſta: ſpecies eſt vniuerſalis, quàm iſta: Genus eſt vniuerſale: ergo vniuerſale eſt genus ad quinq, prædicabilia.

Sed notandum eſt, quòd cùm dicitur vniuerſale genus ad quinque prædicabilia, non ſumitur vniuerſale pro natura, quæ denominatur vniuerſalis. Ratio eſt, quia cũ in quolibet prædicamento reperiantur naturæ genericæ, & ſpecificæ, non poteſt dari aliqua natura vniuerſalis vniuocè communis naturis inferioribus, quia rebus diuerſorum prædicamentorum nihil poteſt dari commune vniuocum: debet ergo ſumi vniuerſale in concreto, prout dicit totum reſultans ex natura & vniuerſalitate: & hac ratione eſt genus ad quinq; ſpecies vniuerſalis, quæ ſunt quinq; prędicabilia. Et hinc fit quòd ſicut vniuerſale, quod eſt concretũ, eſt gen' ad quinq; prædicabilia ſumpta in concreto, nempè ad genus, & ſpeciẽ; ita vniuerſalitas in abſtracto eſt genus ad quinque prędicabilia in abſtracto ſumpta, nempè ad genereitatem, & ſpecieitatem.

Dico ſecundò in hac quæſtione: Vniuerſale non eſt genus proximũ, & imediatũ ad quinque prædicabilia: in quo plures cõmuniter falluntur. Probatur planè, q a inter vniuerſale, & gen' & ſpeciem, & differentiã mediat quoddã pdicatũ his tribus prędicabilib' eſſentiale, ſcilicet, eſſe in multis eſſentialiter in quo uniuoce eſſẽtialiter cõueniũt. Similiter inter vniuerſale ex vna parte, & inter propriũ, & accidens ex alia, mediat quoddam prædicatum, in quo proprium, & accidens vniuocè conueniunt, & eſſentialiter, ſcilicet eſſe in multis accidẽtaliter, ſiue in quale accidentaliter: ergo vniuerſale nõ eſt gen' proximũ & immediatũ ad quinq; prædicabilia.

Et ſi inquiras, Quod ergo eſt genus proximum? Reſpondetur, quòd ad omnia non eſt dari aliquod genus proximum; ſed res hæc hoc modo eſt intelligenda, quòd ratio vniuerſalis, quæ eſt eſſe in multis, diuidatur in eſſe in multis eſſentialiter, & in eſſe in multis accidentaliter; & deinde eſſe in multis eſſentialiter, diuidatur in eſſe in multis in quid & in eſſe in multis in quale eſſentialiter, quod habet differentia: eſſe verò in multis eſſentialiter in q d diuidatur in eſſe in multis differentibus ſpecie, quod habet genus, & in eſſe in multis differentibus numero, quod habet ſpecies. Rurs' eſſe in multis in quale, diuiditur in eſſe in multis in quale eſſentialiter, quod habet differentia, & in eſſe in multis in quale accidentaliter: & hoc adhùc diui-

diuiditur in eſſe in multis in quale conuertibiliter; quod habet proprium, & in eſſe in multis non conuertibiliter, quod habet accidens: qui diuerſi modi eſſendi in multis, & prædicandi de multis, ſuis diuerſis locis explicabuntur.

Vnde ad Argumenta in contrarium adducta reſpondetur. Ad primum, negando quòd diuiſum in hac diuiſione claudatur in membris diuidentibus, quia diuiſum in hac diuiſione eſt vniuerſale, quod habet vniuerſalitatem completam: illa verò differentia diuidens hoc genus ad quinque prædicabilia, & conſtituens illa, non claudit in ſe vniuerſalitatem completam, ſed incompletam ſolùm, ſicut rationale, quod conſtituit hominem, non claudit in ſe rationē ſubſtantiæ completæ: quæ eſt genus prædicamenti ſubſtantiæ, ſed potiùs eſt ſubſtantia incompleta.

Sed inſtabis: Nam ſuprà diximus, etiam naturas incompletas habere vniuerſalitatem completam, reſpectu ſuorum inferiorum: ergo illa differentia diuidens vniuerſale, & conſtituens genus, vel ſpeciem, quantumuis ſit natura incompleta, & pars vniuerſalis completi reſpectu ſuorum inferiorum, erit completè vniuerſalis: ergo claudit in ſe rationem vniuerſalis completi.

Reſpondetur, illam differentiam cōſtituentem genus, verbi gratia reſpectu ſuorū inferiorū ſcilicet hui⁹, & illius differentiæ, eſſe vniuerſalem denominatiuè, & accidentaliter, quia denominatur vniuerſalis ab illa ſecunda intentione, ſicut homo accidentaliter denominatur ſpecies reſpectu Petri, & Pauli: & ita non probatur, diuiſum eſſentialiter claudi in membris diuidentibus, ſed ſolùm accidentaliter, & denominatiuè: tamen ſi illa differentia conſtituens, verbi gratia genus, non comparetur in ordine ad ſua inferiora, qua ratione completè eſt vniuerſalis, ſed in ordine ad genus, quod conſtituit, eſt vniuerſalis incompletè, id eſt, eſt pars vniuerſalis completi.

Ad ſecundum, verum eſſe genus æqualiter debere participari ab ſpeciebus, quantum eſt ex parte ipſius generis, & ita ſi genus perfectius obtinet rationem vniuerſalis, quā ſpecies, nō eſt ratione generis, inquantū vniuerſale eſt, ſed ratione differentiæ conſtituentis illud in ratiōe talis vniuerſalis, ratione autē differentiæ conſtituentis bene poteſt vna ſpecies eſſe perfectior alia, ſicut perfectior ſpecies animalis eſt homo, quàm equus in ratione animalitatis, ſed ratione rationalitatis, quæ eſt differentia conſtituens ipſū hominē.

Ad tertiū reſpondetur, concedēdo genus non debere eſſe vniuerſali qualibet ſua ſpecie & ita vniuerſal-

 quid

Digitized by Google

quid vniuerſalius eſt ad genus: & ad probationem verũ eſſe, genus, comprehendere genera generaliſſima: tamẽ quando dicitur, ſupra genus generaliſſimũ non eſſe aliud genus, ſermo eſt de natura ipſa id eſt, ſupra naturam, quæ eſt genus generaliſſimũ, non poteſt dari alia natura generica ſuperior, quæ, cum illa ſit communis rebus diuerſorum prædicamentorum, potiùs eſt analoga, quã vniuoca: quod tamen requiritur ad rationem generis. Si tamen ſumantur genera generaliſſima, non pro naturis præcisè, ſed pro concreto ex natura, & ſecunda intentione generis, hoc modo datur aliquid commune vniuocũ, ſcilicet uniuerſale, in quo omnia generaliſſima vniuocè conueniunt.

Sed inſtabis: vniuerſale eſt commune generibus generaliſſimis omniũ prædicamentorum: ergo iam in rebus omnium prædicamentorum datur aliquid commune vniuocum. Reſpõdetur quod genera generaliſſima quatenus inuoluunt ſecundã intentionem, non ponuntur in prædicamento, quia in prædicamento ſolũ ponuntur ipſe naturæ reales; nos verò ſolùm aſſerimus, vniuerſale eſſe genus ad genera generaliſſima, prout inuoluunt ſecundas intentiones vniuerſalitatis; & ita non probatur, quòd rebus diuerſorum prædicamentorum detur aliquid commune vniuocum, quia vt ſic non ponuntur in prædicamentis.

Ad quartùm verum eſſe, genus contineri ſub vniuerſali; & ita eſt ſpecies vniuerſalis, tamen eſt ſpecies accidentaliter, & denominatiuè per ſecundam intentionem ſpeciei ſuperadditam, ſicut homo denominatur ſpecies animalis accidentaliter, & denominatiuè.

Sed contra hoc inſtabis, quia vna ſpecies non poteſt prædicari de alia, qualiter hæc eſt falſa: Homo eſt equus, ſed genus, & ſpecies ſunt ſpecies vniuerſalis: ergo hæc erit falſa: Genus eſt ſpecies vniuerſalis. Reſpondetur, quod vna ſpecies, non poteſt prædicari de alia eſſentialiter, benè tamen accidentaliter, & denominatiuè, quia aliquando vna ſpecies accidit alteri, qualiter in genere qualitatis hæc eſt vera accidentaliter: Album eſt dulce in lacte, quia ſpecies dulcis accidit albo. Similiter ſpecies prædicatur de genere denominatiuè, quia accidit generi denominari ſpeciem à ſecunda intentione ſpeciei.

Sed inſtabis ad hùc: Quia genus eſſentialiter continetur ſub vniuerſali: ergo non ſolũ accidentaliter, & denominatiuè, ſed eſſentialiter debet eſſe ſpecies vniuerſalis. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia ex eo quòd genus eſſentialiter contineatur ſub vniuerſali, ſolũ probatur, quod eſſentiali-

tialiter ſit ſuum inferius: tamẽ quòd hoc inferius denominetẽ ſpecies, accidentaliter illi conuenit, ſicut non valet: Homo eſſentialiter continetur ſub animali, quod eſt genus: ergo homo eſſentialiter eſt ſpecies animalis. Conſequentia quidem nulla eſt, cùm eſſe ſpeciem accidentaliter conueniat homini, vt ſuprà vidimus: vnde ſicut hîc ſolùm probatur hominem eſſe quid eſſentialiter inferius ad animal, ita in obiectione ſolùm probatur, genus eſſentialiter contineri ſub vniuerſali, tamẽ quòd denominetur ſpecies illius, accidentale eſt.

Sed adhùc inſtabis contra ſolutionem, quia ſaltem ſi denominatiuè hæc eſt vera: Genus eſt ſpecies vniuerſalis, ſequitur quod ſpecies prædicetur de vniuerſali. Probatur ſequela, quia vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia; ſed omne genus eſt ſpecies vniuerſalis: ergo vniuerſale eſt ſpecies. Reſpondetur benè poſſe prædicari ſpeciem de genere accidentaliter, qualiter hæc eſt vera ſaltem accidentaliter: Animal eſt homo, quia accidit animali, quòd ſit homo: verum eſt, eſſe indirectam propoſitionem, tamen eſt vera accidentaliter. Ita ſimiliter accidẽtaliter hæc eſt vera: Vniuerſale eſt ſpecies, quia accidit Vniuerſali eſſe genus quod denominatiuè eſt ſpecies vniuerſalis, & ſicut genus accidentaliter denominatur ſpecies vniuerſalis, idẽ eſt proportionali modo dicendũ de quolibet alio prædicabili, v.g. de ſpecie, nam ſpecies quamuis eſſentialiter ſit prædicabile de pluribus differentibus numero, tamen quod denominetur ſpecies ſubiicibilis cõtenta ſub vniuerſali, accidentaliter illi conuenit, ſcilicet per aliam ſecundam intentionem ſpeciei ſubiicibilis.

QVÆST. II.

Vtrùm ſint tantùm quinque prædicabilia, ſeu quinq; ſpecies vniuerſalis.

Ratio dubitandi eſt, quia in primis videtur, quòd ſint plura, quàm quinq; prædicabilia, quia prædicamenta ſunt decem, ergo & prædicabilia. Conſequentiam probo, quia prædicamentum non eſt aliud, quam prædicabilium coordinatio: ergo ſi ſunt decem prædicamenta, etiam debent eſſe decem prædicabilia.

Secundò, quia omne prædicamẽtum eſt prædicabile, quia prædicamentum non eſt aliud, quàm prædicabile poſitum in actuali prædicatione; ſed definitio eſt prædicatum topicum: vt docuit Ariſt. 1. Topic. c. 4. & non connumeratur inter prædicabilia: ergo ſunt plura, quàm quinque.

Tertiò, quia indiuiduum vagum eſt prædicabile, ſcilicet quidam ho-

mo, eo quòd prædicatur de pluribus, vt in his: Petrus eſt quidam homo: Ioannes eſt quidam homo; ſed indiuiduum vagum ad nullum ex quinque prædicabilibus ſpectat: ergo ſunt plura quàm quinque. Ex alia verò parte videtur, quòd ſint pauciora; quia, vt dicebam, omne actuale poſitum in actuali prædicatione, eſt prædicatum; ſed ſolùm ſunt quatuor prædicata topica, ex Ariſt. loco citato: ergo ſunt quatuor prædicabilia.

Vera tamen, & communis ſententia eſt, tantum eſſe quinq; prædicabilia, nec plura, nec pauciora, ſcilicet genus, differentiã, ſpeciem, proprium, & accidens: Tenet Porphyr. lib. prædicabilium, quem omnes interpretes ſequuntur: & ratio eſt, quia vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis prædicatur: ergo quot ſunt modi in multis, tot erunt ſpecies vniuerſalis, & quot ſunt modi prædicandi de multis, tot erunt prædicabilia, quæ ſunt paſſiones vniuerſalis. Sed tantùm ſunt quinque modi eſſendi in pluribus, & prædicandi de pluribus: ergo tantùm ſunt quinq; ſpecies vniuerſalis, ſeu quinque prædicabilia. Probatur minor, quia illud, quod eſt in multis, vel eſt in illis eſſentialiter, vel accidentaliter: ſi eſſentialiter, aut eſt in quid, nempè tanquàm aliquid contrahibile, qualiter animal eſt contrahibile ad hominem, & homo ad Petrum: aut eſt in pluribus in quale, nempè tanquàm aliquid contrahens, qualiter rationale eſt in homine, tanquàm aliquid contrahens animal ad eſſe hominis. Et ſi hoc modo eſt in pluribus, ſcilicet in quale eſſentialiter, eſt differentia: illud autem, quod eſt in pluribus eſſentialiter in quid, aut eſt in plurib. differentib. numero, & tunc eſt ſpecies; aut eſt in pluribus differentibus ſpecie, & eſt genus. Rurſus illud, quod eſt in pluribus accidentaliter, aut dimanat ab eſſentia, tanquam proprietas illius; & ſic eſt proprium: vel ſolùm dimanat tanquam aliquid cõmune, & ſic eſt accidens: ergo tantùm ſunt quinque prædicabilia, ſeu quinque ſpecies vniuerſalis.

Sed obiicies: Prædicamenta accidentium diſtinguuntur penes diuerſum modum eſſendi in alio, nempè in ſubſtantia; ſed ſunt nouem prædicamenta accidentium: ergo ſunt nouem modi eſſendi in alio: ergo nouem ſpecies vniuerſalis, ſeu prædicabilia. Reſpondetur, eſſe diuerſam rationem, nã prædicamenta accidentiũ diſtinguuntur per diuerſos modos eſſendi in ſubſtantia, tanquàm in ſubiecto, cui realiter inhærent: & verum eſt, tales modos afficiendi ſubſtantiam eſſe plures quàm quinque: at verò prædicabilia ſolùm diſtinguuntur per diuerſos

ſos modos eſſendi in multis, ſicut ſuperius eſt in ſuis inferioribus, ſiue eſſentialiter, ſiue accidentaliter; & quia tantùm ſunt quinque modi reſpiciẽdi inferiora, ideò tantùm ſunt quinque ſpecies vniuerſalis.

Idem etiam facilè probari poteſt de prædicabili, quod eſt paſſio vniuerſalis, ſcilicet quòd tantùm ſint quinque prædicabilia, quia tantùm ſunt quinque modi prædicandi diuerſi: ergo tantùm ſunt quinque prædicabilia. Probatur antecedens, nam quidquid prædicatur, aut prædicatur eſſentialiter, aut accidentaliter: ſi eſſentialiter, aut in quid, aut in quale: ſi in quid, aut de pluribus differentibus ſpecie, & ſic eſt genus: vel de pluribus differentibus numero, & ſic eſt ſpecies: ſi verò prædicatur in quale, & eſſentialiter, eſt differentia: ſi verò prædicatur accidentaliter, aut prædicatur conuertibiliter, & ſic eſt proprium: aut non conuertibiliter, & ſic eſt accidens: ergo tantùm ſunt quinque prædicabilia.

Vnde ad argumenta ſuprà adducta reſpondetur. Ad primum, verum eſſe, quòd prædicamentum eſt prædicabilium coordinatio; quia prædicamentum dicit ordinationem quandam, in qua collocantur genera, ſpecies, & indiuidua: inde tamen non ſequitur, quòd ſicut ſunt decem prædicamenta, ſint etiam decem prædicabilia. Ratio eſt, quia quamuis in diuerſis prædicamentis ponantur diuerſa prædicabilia, non tamen diuerſa ſpecie, ſed numero: nam, verbi gratia, genera omnium prædicamentorum in ratione generis ſolùm differunt numero, & continentur ſub eadem ſpecie vniuerſalis, quod eſt genus: & idem eſt ſuo modo de ſpeciebus prædicamentorum; & ita non probatur, quòd ſint decem prædicabilia ſpecie diuerſa.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd prædicatum topicum eſt illud, quod prædicatur de ſubiecto communi, verbi gratia, animal rationale prædicatur de homine in communi, ideò ab Ariſtot. enumeratur definitio inter prædicata topica: tamen definitio non eſt prædicabile, quia prædicabile propriè debet eſſe aliquid incomplexum: definitio autem, cùm conſtet genere, & differentia, quæ ſunt duo prædicabilia, nõ eſt aliquid incomplexum, ſed inuoluit in ſe duo prædicabilia, ſcilicet genus, & differentiam; & ita non conſtituit aliquod prędicabile, quod ſit verè vnum.

Ad tertium, ſunt quidam, qui dicant, quòd in his prædicationibus: Petrus eſt quidam homo: Ioannes eſt quidam homo, vbi prædicatur indiuiduum vagum de indiuiduis determinatis, non prædicari aliquid reale, ſed ſolùm quandam vocem illis communem; & ita tale indiuiduum

Digitized by Google

duum vagum non conſtituere aliquid prędicabile, quia ſolùm eſt vox, & non res communis pluribus.

Hæc tamen ſolutio planè falſa eſt, nam indiuiduum determinatum, ſcilicet Petrus, dicit non ſolùm vocem, ſed rem aliquam poſitiuam, ſcilicet hanc differentiam indiuidualem Petri: Ergo etiam indiuiduum vagum dicit differentiam indiuidualem poſitiuam, vagam tamen, & non determinatam, ad Petrum, & Paulum.

Secundò, quia ſi indiuiduum vagum diceret ſolam vocem, non poſſet prædicari de Petro, & Paulo in his prædicationibus: Petrus eſt quidam homo: Paulus eſt quidam homo, quod falſum eſt. Probatur ſequela, quia vox non poteſt prædicari, v. g. de Petro, quia Petrus non eſt vox: ſed res quędam diſtincta à voce.

Quare ſecundò alij dicunt indiuiduum vagum non ſignificare ſolam vocem, ſed rem aliquam poſitiuam, & communem omnibus indiuiduis determinatis: dicunt tamen hanc rationem communem non eſſe vniuerſale, aut prædicabile, quia non eſt ratio vniuoca, ſed analoga reſpectu indiuiduorum, quia ſignificat differentiam indiuidualem communem omnibus differentiis indiuidualibus indiuiduorum determinatorum: & quia iſtæ differentiæ indiuiduales ſunt primò diuerſæ, ideò aſſerunt nihil poſſe illis aſſignari cōmune vniuocum, ſed potiùs analogum; & ita quidam homo dicit quãdam rationem analogam ad omnia indiuidua determinata, atque adeò non eſt prædicabile, quia prædicabile debet eſſe vniuocum, & non analogum. Ita tenet Maſius cap. de ſpecie, ſect. 2. quæſt. 3.

Sed neq; hæc ſolutio placet, quia hæc vox, *Quidam homo*, non ſignificat aliquam ſingularitatem communem ſingularitatib. indiuiduorum, ſed potiùs ſignificat ſingularitatem vltimatè contractam, aliquam tamē ex his vagè; hoc enim denotat illa particula, *Quidam homo*: ergo nullò modo ſignificat aliquem cōceptum præciſum ab inferioribus, quod ſignificat immediatè plura ſingularia determinata ſub diſiunctione, ſcilicet Petrum, vel Paulum, qui nullò modo dicere poſſunt rationem aliquam præciſam ab inferioribus.

Secundò, quia omnis conceptus communis poteſt explicari per aliquod ſignum vniuerſale; vt cum dicimus: Omnis homo: Omne animal; ſed non dicimus: Omnis quidam homo: ergo ſignum eſt, quòd quidam homo non ſignificat rationem aliquam præciſam, & abſtractã à ſingularibus, ſed potiùs ipſa vltimata ſingularia ſub diſiunctione.

Vnde ad argumentum reſpondetur negando quòd indiuiduum vagum ſit vniuerſale, aut prædicabile, quia nō ſignificat aliquam rationem

com-

communem, quaſi abſtractam, & præciſam à ſingularibus, ſed immediatè ipſa ſingularia ſub diſiunctione, qua ratione quidam homo dicit Petrum, vel Paulum, vel Fräciſcum, qui prorſus ſingulares ſunt.

Et ad probationem dico, quòd in his prædicationibus, Petrus eſt quidam homo: Ioannes eſt quidam homo, non prædicatur aliquid commune præciſè à ſingularibus, ſed aliquid vltimatè contractum, & ſingulare, quod quantumuis ſingulariſſimum ſit, tamen quia non eſt aliquid determinatum, ſed vagum, de pluribus prædicari poteſt, v. g. iſte terminus complexus, Petrus, vel Paulus, quantumis aliquid ſingulariſſimum ſit, poteſt de pluribus prædicari: nã Petrus eſt Petrus, vel Paulus: & Paulus eſt Petrus, vel Paulus, quia tamen terminus ſingularis vagus de pluribus dici poteſt, quantumuis ſingularis ſit; ad rationem autem vniuerſalis, & prædicabilis, requiritur, quòd ſignificet aliquam rationem verè communem, & præciſam à ſingularibus.

Ad vltimum argumentum reſpõdetur, tantùm eſſe quatuor prædicata topica, nego tamẽ, quòd tantùm ſint quatuor prædicabilia, quia prædicatum topicum neceſſariò requirit dici, & prædicari de ſubiecto cõmuni, & huiuſmodi prædicata tantùm ſunt quatuor: prædicabile verò non requirit prædicari de ſubiecto communi, ſed de pluribus inferioribus, quãtumuis ſingularia ſint, vt patet de ſpecie, quæ ſolùm de pluribus differentibus numero prædicatur, & ita plura ſunt prædicabilia, quam prædicata topica.

QVÆST. III.

Vtrùm vniuerſalia ſint corporea, vel incorporea, & an ſint corruptibilia, vel incorruptibilia.

HAnc vltimam quæſtionem in hoc tractatu propono, vt quæſtionibus à Porph. adductis in procem. lib. prædicabil. ſatisfaciam, quærit autem ibi tria. Primò, vtrùm vniuerſalia dentur à parte rei, vel ſolùm per intellectum. De qua quęſt. iam in 1. diſput. huius tractat. dictum eſt. Secundò, an ſint ſeparata ſecundum rem à ſingularibus. Tertiò, an ſint corporea, vel in corporea. In qua re diſtinctione opus eſt: nam ſi loquimur de vniuerſali pro formali, ſcilicet de ſecunda intentione vniuerſalis, quæ eſt relatio rationis, hoc modo vniuerſalia nec ſunt corporea, nec in corporea, quia corporeum, & incorporeum propriæ ſunt differentiæ entis realis: at verò ſecunda intentio eſt ens rationis. Verum eſt, poſſe vniuerſalia hoc modo impropriè, & negatiuè appellari incorporea, id eſt, quæ non ſunt corporea. Si verò loquamur de vniuerſali ſum-

Digitized by Google

pto pro materiali, ſcilicet pro naturis realibus, quæ denominantur vniuerſales, tunc dicendum eſt, quòd quando ſingularia, à quibus tales naturæ abſtrahuntur, ſunt corporea: vniuerſalia etiam corporea ſunt, qualiter natura humana vniuerſale corporeum eſt, quia abſtrahitur à Petro, & Paulo, qui ſunt corporei. Quādo verò talia ſingularia ſunt incorporea, etiam vniuerſalia ſunt incorporea, vt in ſpeciebus Angelicis. Ratio vtriuſque eſt, quia eadem natura ſecundum rem eſt, quæ ab intellectu concipitur, vt vniuerſalis, & à parte rei eſt ſingularis; neque mutat eſſentiam realem, quam habet, quia eſſentia eſt inſeparabilis à re: ergo ſi ſingularis, eſt materialis, etiam quando eſt vniuerſalis: & ſi ſingularis, eſt ſpiritualis, etiam in vniuerſali conſiderata.

Maiorem ergo habet difficultatem, vtrùm vniuerſalia ſint corruptibilia, vel incorruptibilia: & quidem non eſt quæſtio de naturis ſpiritualibus, cuius ſingularia incorruptibilia ſunt; certum enim eſt, naturas vniuerſales ſpirituales incorruptibiles eſſe, ſicut ſingularia, à quibus abſtrahuntur: ſolùm ergo eſt dubium de naturis vniuerſalibus abſtractis à ſingularibus corruptibilibus, qualiter natura humana abſtrahitur à Petro, & Paulo, qui corruptibiles ſunt.

In qua re dicendum eſt, vniuerſalia quodammodò eſſe æterna; & incorruptibilia. Ratio eſt, quia quamuis ſingularia, in quibus ſunt, fundamentaliter corrumpantur, eſſentiæ tamen ſunt perfectæ, & inuariabiles, non quia maneant actu corruptis ſingularibus, ſed quia ipſa eſſentia ex ſe ſemper eſt quid reale, non actuale, ſed poſſibile.

Sed dices: Homo ex ſe eſt corruptibilis: ergo etiam homo in communi hoc habet, quia prædicata eſſentialia hominis conueniunt illi, quantumuis in vniuerſali conſideretur, vt eſſe animal rationale. Reſpondetur, quòd homo in communi dicitur corruptibilis, non quidem quia corruptio poſſit aduenire illi conſiderato ſecundum ſtatum illū, nam ſicut non generatur in cōmuni homo, ita non corrumpitur homo in communi, ſed iſte homo: ſolùm ergo dicitur homo corruptibilis ad eundem modum, quo dicitur riſibilis, quia ſaltem contractus in ſingularibus poteſt habere huiuſmodi actus.

Vltimò tandem hîc inquiri poſſet, vtrum vniuerſalia ſint ſubſtantialia, vel accidens: & dicendum eſt breuiter, quòd ſi loquamur de vniuerſali pro formali, ſcilicet pro ſecunda intentione vniuerſalis, quæ eſt relatio rationis, hoc modo vniuerſale eſt quoddam accidens rationis;

Digitized by Google

nis: ſi verò loquamur de vniuerſali ſumpto pro natura vniuerſali, dicendum eſt, huiuſmodi naturas vniuerſales aliquando eſſe ſubſtantiam, nempè quando abſtrahuntur à ſingularibus ſubſtantialibus, vt quando à Petro, & Paulo abſtrahitur natura humana, quæ quid ſubſtantiale eſt: aliquando verò eſſe accidentia, vt quando à ſingularibus accidentium abſtrahitur quędam natura accidentalis communis, vt quando color abſtrahitur ab hoc, vel illo colore.

Et dicta ſufficiant de tractatu Vniuerſalium.

PRÆCLARA EXPOSITIO IN LIBRVM PRÆDICABILIVM PORPHYRII.

Procœmium.

EGimus hactenùs de vniuerſali in communi, iam verò de quinq; vniuerſalibus in ſpecie; quæ quinq; prædicabilia appellãtur, diſputationẽ aggredimur, neq; eſt cur in inquirẽdo de huius libri obiecto detineamur, certũ enim eſt eſſe vniuerſale, quia cũ hic agatur de quinq; vniuerſalib. in particulari, quæ communiter appellantur quinq; prædicabilia, vniuerſale prout comprehendit hæc omnia vniuerſalia, erit obiectũ adæquatum huius libri. Neq; obſtat, quòd liber hic inſcribatur de prædicabilibus, & nõ de vniuerſalibus, quoniã prædicabile, ſicut riſibile, poteſt ſumi dupliciter. Primò pro potentia ad prædicandũ, & ſic eſt paſſio vniuerſalis: alio modo poteſt ſumi radicaliter, & ſicut riſible radicaliter idem eſt, quod animal rationale, quia ex hoc tanquam ex radice oritur potentia ad ridendum: ita prædicabile radicaliter, idẽ eſt quod vniuerſale, quia ex illo oritur potẽtia ad prædicandum; quemadmodum dicimus obiectum Phyſicæ eſſe ens mobile, non ſumptũ formaliter pro potentia ad motũ, ſed radicaliter pro ſubſtãtia mobili, ex qua oritur talis potentia.

Caput de genere.

INtentũ Porphyrij in hoc capite eſt agere de genere, qđ eſt primũ prædicabile, ſeu vniuerſale. Duo agit, in prima parte explicat, quotupliciter ſumatur genus: ſecundo explicat: quid ſit genus primum prædicabile. Ad primam partem accedentes, inquit Porphyr. quod genus multis modis ſumitur. Primò pro collectione multorum dicentium inter ſe ordinem ad vnum primum, per quod ab aliis generibus diſtinguatur, qua ratione dicimus Romanorum genus ducere originem à Romulo. Secundò dicitur principium, quod quis trahit à patre, vel à patria, vel aliquando à matre: à patre quidem, qualiter dicimus Oreſtem trahere originem à Tantalo, à patria verò, vt Plato ab Athenis. Tertiò, inquit, ſumitur genus ad noſtrum propoſitum, pro eo quod ſub ſe continet plures ſpecies, qualiter animal genus eſt ad hominem, & equum, & leonem: vnde definit hoc genus definitiõe quadam ſumpta ex Ariſt. 1. topic. c. 4. dicens: *Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo, quod quid*: quam definitionem deinde explicat dicens, quòd per primam particulam, ſcilicet, *prædicari de pluribus*, diſtinguitur genus ab indiuiduo, quod de vno tantùm prædicatur, per illam verò particulam: *Differentibus ſpecie*, diſtinguitur ab ſpecie, quæ ſolùm prædicatur de pluribus differentibus numero: per illam verò particulam, *in eo quod quid*, differt à differentia, Proprio, & Accidenti, quæ prædicãtur in quale quid. Quas omnes generis acceptiões deſumſit Pophyrius ex Ariſt. 5. Meth. cap. 28.

Circa literam.

CIrca textum Porphyrij in primis aduertendum eſt Porphyr. optima Methodo prius de Genere, quam de aliis prædicabilib. egiſſe, eo quòd eſt prædicabile omnibus aliis perfectius: quamuis enim ſpecies prædicetur in quid ſicut Genus, non tamen de differentib. ſpecie, & quãuis differentia, proprium, & accidẽs, poſſint prædicari de differentib. ſpecie, non tamen in quid, qui eſt perfectior mod' prędicandi, ſed in quale, & ita genus eſt perfectius prædicabile omnibus aliis. Pro quo breuiter notanda eſt differentia, quæ eſt inter prædicari in quid, & in quale; nam prædicari in quid, eſt prædicari per modum partis eſſentialis cõtrahibilis, qualiter genus quid contrahibile eſt ad ſpecies, & ſpecies ad indiuidua, & eſt quid eſſentiale illis, & ita vtrumq; prædicatur in quid. Prædicari vero in quale eſt prædicari per modum cuiuſdam formæ contrahentis, & determinãtis, qualiter differẽtia prædicatur in quale, quia eſt velu-

Digitized by Google

veluti forma cõtrahens gen⁹ & ſpecies: & accidens prædicatur in quale, q̃a eſt forma quędã determinãs ſubiectum ad tale eſſe, v. g. ad eſſe albi: quia ergo genus eſt vniuerſalius omnibus alijs prædicabilibus, & prædicatur in quid, & eſſentialiter, quæ duo in nullo alio prædicabili concurrunt, ideò Porphy. priùs agit de illo, & ſeruauit tam ordinem doctrinæ, quam naturæ. Doctrinæ quidem, quia incœpit ab vniuerſaliori, naturæ verò quia incœpit à genere, quæ eſt pars ſpeciei: deinde verò agit de ſpecie, quæ eſt quoddam totum, neque hac in re parum profectò vtili amplius oportet detineri.

Circa illas exceptiones generis, quas Porphy. adducit in hoc c. dubitant authores qualiter dicatur genus in communi de illis tribus acceptionibus. Reſpondetur in primis non dici vniuocè. Ratio eſt, quia duę primæ acceptiones ſunt reales, tertia verò eſt rationis, & logica, ſed enti reali, & rationis nihil poteſt aſſignari commune vniuocum: ergo genus ad illas tres acceptiones non eſt quid vniuocum. Dicendum eſt præterea neque dici æquiuocè genus de illis acceptionibus vt malè hic ſentiunt Sot. & Caieta. ſed potiùs analogicè, & per quandã proportionem, quod in primis indicauit Porphy. dicens genus in tertia acceptione dici ad ſimilitudinem generis in prima & ſecunda acceptione ſumpti: vnde etiam ſumitur ratio: nam genus in tertia acceptione habet quandam ſimilitudinem cum genere in prima acceptione ſumpto in quantum continet collectionem ſpecierum dicentium ordinem ad illud, & cum genere in ſecunda acceptione, quia eſt quaſi quoddam principium vniuerſale, vnde trahunt originem ſpecies: ergo per quandam analogiam, & proportionem dicuntur hæc tria genera. Et ſi dicas, quod etiam homo pictus dicitur homo per ſimilitudinem ad hominem viuum, & tamen homo incommuni eſt quid æquivocum ad hominem viuum, & pictum: ergo ſimiliter genus dicitur æquiuocè in his acceptionibus. Reſpondetur quod homo pictus ſolùm eſt ſimilis homini viuo in figura extrinſeca, non verò in ipſa ratione hominis ſubſtantiali, & ideò eſt quid æquiuocum: at verò iſtæ tres acceptiones generis habent ſimilitudinem, & proportionem inter ſe in ratione eſſentiali, in quantum dicunt collectionem plurium ad vnum trahentium originem ab alio, & ita analogicè, & per quandam proportionem conueniunt in hac ratione.

Digitized by Google

DISPVTAT.

Vnica circa hoc caput de natura, & proprietatibus generis, quod eſt primum prædicabile.

EXplicata iam litera capitis, de re ipſa agendum ſupereſt, vbi primò diſputabimus de his, quæ ad naturam, & eſſentiã ipſius generis pertinent: deinde verò de his, quæ ad eius proprietates attinent.

QVÆST. I.

Quæ ſit natura, & eſſentia generis.

QVoniam definitio generis quã Porphyrius adducit, deſcriptiua eſt, vt dicemus, potiꝰ quã quidditatiua, & eſſentialis, placuit priùs naturã, & eſſentiam e explicar. In hac ergo re ſupponendum eſt, quod cum natura vniuerſalis, quod eſt genus ad omnia prædicabilia, ſit eſſe in multis, paſſio verò prædicari de multis, eſſentia generis, quod eſt tale vniuerſale, erit eſſe in multis differentibus ſpecie in quid, id eſt tanquam prædicatum eſſentiale illis ſpeciebus, & contrahibile ad illas, paſſio verò erit aptitudo ad prædicandum de pluribus differentibus ſpecie in eo quòd quid.

Secundò ſupponendum eſt, quòd cum de eſſentia vniuerſalis non ſit actu habere inferiora, in quibus ſit, ſed poſſe illa habere, vt ſit aptum natum eſſe in multis, vt diximus diſputation. 2. de vniuerſalibus, quæſtione vltima, ita non eſt de eſſentia generis actu habere plures ſpecies, in quibus actu ſit, vt perperam ſenſiſſe videtur Alexand. Aphrodiſ. lib. naturalium quæſtionum, cap 11. & Albertus tract. 4. c. 6. ſed ſolùm requirit eſſentialiter poſſe habere plures ſpecies, in quibus eſſe poſſit. Ratio eſt: primò, quia vniuerſale eſt id, quod aptum natum eſt eſſe in pluribus: ergo ad rationem talis vniuerſalis, quod eſt genus, ſatis eſt poſſe habere plures ſpecies, in quibus eſſe poſſit.

Secundò, quia etiamſi nulla eſſet ſpecies animalis in rerum natura, iſtę eſſent veræ prædicationes: Homo eſt animal, equus eſt animal, quia, vt ſæpè dixi, verbum, eſt, in illis non dicit actualem exiſtentiam, ſed connexionem eſſentialem prædicati cũ ſubiecto, abſtrahendo ab exiſtentia: ergo animal eſt quid vniuerſale ad hominem, & equum, etiamſi actu non habeat has ſpecies.

Tertiò ſupponendum eſt genus dicere duplicem reſpectum ad ſpecies. Primò, in quantum eſt in illis, & eſt illis ſuperius in recta linea prædicamentali. Secundò in quantum prædicatur de illis, qua ratione reſpicit illas vt ſubiectum prædicationis, ita è contrà ſpecies, vt ſubijcibilis ad genus, habet duplicem reſpectum,

ctum, alterum prout continetur ſub illo in recta linea prædicamentali, alterũ verò quatenus in prædicatione reſpicit illud, vt prædicatũ ſuperius.

Quartò conueniunt omnes, etiam genus referri ad indiuidua, tanquam ad inferiora, in quibus eſt, & de quibus pdicari poteſt, qualiter hęc eſt vera. Petrus eſt animal, Paulus eſt animal.

Poſſet tamen dubitari an genus, eâdem relatione referatur ad ſpeciem, & indiuidua: & reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, quia genus in tantùm refertur ad indiuidua, in quantùm talia indiuidua participãt rationem ſpecificam, v.g. hominis, ergò refertur immediatè ad ſpecies, & mediatè ad indiuidua, & ita eâdem relatione refertur, quamuis hæc relatio habeat duplicem terminum, alterum primariũ, quales ſunt ſpecies, & alterum ſecundarium, qualia ſunt indiuidua.

Et ſi objcias quod relationes diſtinguuntur per terminum, ſed hic eſt duplex terminus, ergo duplex relatio. Reſpondetur relationes diſtingui per terminos primarios, hic verò ſolùm eſt vnicus termin⁹ primarius, ſcilicet ſpecies, prout comprehendit hanc & illam ſpeciem, neque enim terminus per ſe huius relationis eſt hæc ſpecies determinata, vel illa, ſed ſunt plures ſpecies abſolutè.

Poſſet ſecundò dubitari, an gen⁹ participet rationem generis inquantum prædicatur de pluribus differentibus numero. Reſpondetur, quod participat rationem generis mediatè quia inter genus, & indiuidua mediat ſpecies. Ratio verò eſt, quia Petrus, & Paulus non conueniunt in animali, tanquam in quadam ratione ſpecifica inſima, ergo tanquam in genere & ſuperiori mediato, atq; ita genus reſpectu illorum non habet rationẽ prædicabilis imediati, ſed potius mediati, ſicut de illis mediatè pdicatur.

Poſſet tertiò hoc loco dubitari, an genus ſit ſpecies inſima vniuerſalis, vel potiùs ſubalterna, nam videtur non eſſe ſpeciem inſimam, ſed ſubalternam, id eſt, quæ contineat ſub ſpecie plura genera diuerſæ rationis adhuc in ratione generis, quoniam inter genera, alia ſunt generaliſſima, ſupra quæ non eſt aliud gen⁹, vt quãtitas, & ſubſtantia: alia verò ſunt genera intermedia, vt in prædicamẽto ſubſtantiæ: genera intermedia ſunt animal, & corp⁹, &c. ergò genus nõ eſt ſpecies inſima, ſed ſubalterna. Sed dicendum eſt genus eſſe ſpeciem inſimam vniuerſalis, vt tenet Maſius hoc loco q. vltima.

Pro quo aduertendum eſt, hic nõ eſſe ſermonẽ de genere ſumpto materialiter pro naturis genericis, quia certũ eſt naturas genericas, non ſolũ differre ſpecie, ſed genere, vt ſubſtãtia, & quantitas; ſed loquimur de genere formaliter ſumpto pro ſecunda intentione generis, an ſit ſpecies inſima, vel ſubalterna.

In

Digitized by Google

In qua re dicendum eſt reuera eſſe ſpeciem infimam, quantumuis reperiatur in naturis diuerſis, qualiter albedo eiuſdem eſt ſpeciei in homine, & in equo, quamuis homo, & equus, ſpecie differant.

Et probatur, quia eſſentia generis eſt eſſe in multis differentibus ſpecie: ſed omnia genera habent eundem modum eſſendi in multis differentibus ſpecie, ſed ſolùm numero differunt in ratione generis, & hinc fit quòd hæc prędicatio genus eſt genus, ſit prædicatio ſecundi prædicabilis, quia ſolùm prædicatur de differentibus numero.

Vnde ad rationem dubitandi reſpondetur, quod genus generaliſſimum, & inter medium, non differunt ſpecie in ratione generis, ſed ſolùm accidentaliter, in quantum genus generaliſſimum eſt maximum genus quod ſupra ſe nullum aliud habeat, ſecus verò genus inter medium, vt animal, vel corpus; quæ differentia ſolùm eſt ſecundum magis, vel minus intra eãdem ſpeciem, atque adeò accidentalis, ſicut quantitas magna, & parua ſolùm differunt accidentaliter.

QVÆST. II.

Vtrùm genus ex natura rei diſtinguatur à differentijs, per quas contrahitur.

QVæſtio hæc non procedit de genere ſumpto formaliter pro ſecunda intentione, ſed de natura ipſa generica: in qua re non deſunt qui exiſtimẽt genus ex natura rei diſtingui à differentia, per quã contrahitur, v.g. quod in homine animal, & rationale, ex natura rei diſtinguãtur. Tenet Scotus in 1. d. 3. q. 1. & 7. Met. q 13. Antonius Andreas quæſt. 14. Fonſec. 2. Metaph. cap. 2. & lib 5. cap. 6. q. 6. ſectio. 2. & q. 7. ſect. 1. & fundamentum eſſe poteſt, quia idem non poteſt eſſe principium conueniendi, & diſtinguendi, ſed homo, & equus cõueniunt in animali, & diſtinguũtur per differentias, nempè per rationale, & irrationale: ergo à parte rei diſtinguitur gen' à differentijs, per quas contrahitur. Poſſent etiam hîc adduci argumenta Scoti, quibus ipſe vtitur ad probandum prædicata vniuerſalia ex natura rei diſtingui à ſingularibus, in quibus ſunt, hîc enim accommodata eandem habent vim, ſed iam ſoluta à nobis ſuprà diſputatione 2. de vniuerſalibus. q. 4.

Quare oppoſita ſententia nobis tenenda eſt, ſcilicet genus ex natura rei, non diſtingui à differentijs, per quas contrahitur, ſed ſolùm ratione ratio-

Digitized by Google

ratiocinata. Tenet expreſsè S. Tho. q. 50. art. 2. in corpore art. & in ſolutione ad primum q. 76. artic. 3. ad 4. Alexander Alenſis lib. 7. Metaph. text. 11. Capreol. in 1. diſt. 8. quæſt. 2. Caietanus de ente, & eſſentia, c. 4. quæſt. 6. Sonc. 7. Metaph. quæſt. 36.

Probatur planè primò, quia ſi genus; & differentia diſtinguuntur realiter, ſequitur nullam eſſe ſubſtantiam ſimplicem in ſua intrinſeca entitate: vnde Angeli in ſua ſubſtantia haberent compoſitionem realem, quia compoſitio eſt diſtinctorum vnio, vnde compoſitio realis eſt vnio diſtinctorum realiter: ſed quilibet Angelus conſtat genere, & differentia; nam ratio ſpiritus eſt genus, talis ratio ſpiritus eſt differentia: ergo ſi genus, & differentia diſtinguuntur ex natura rei, efficerent in Angelo compoſitionem realem: imò, & in Deo, quia etiam in illo eſt diſtinguere rationem ſuperiorem ſubſtantiæ ſpiritualis, & rationem, veluti differentialē talis ſubſtantiæ, qua conſtituitur in eſſe Dei.

Secundò, quia ex oppoſita ſententia ſequeretur poſſe dari à parte rei animal, quin ſit contractum per aliquam differētiam, atq; adeò quod nec ſit homo, nec equus. Probatur ſequela, quia ſi animal ex natura rei diſtinguuntur à differētiis, per quas contrahitur: ergo habet entitatem realiter diuerſam ab illis: ergo etiam habebit exiſtētiam propriam diſtinctam ab exiſtentia illarum, quiá exiſtentia ſequitur eſſentiam; ergo cum animal ſit quid abſolutū in ſe, & independens in ſua entitate ab omni alio, poterit eſſe à parte rei, quin ſit contractum per aliquam differentiā, atque adeò quod non ſit homo, vel equus.

Tertiò, quia ſi animal diſtinguitur à rationali ex natura rei, ſequitur quòd etiam diſtinguatur ex natura rei ab homine, cuius contrarium ſuprà oſtendimus. Probatur ſequela, quia homo addit ſupra animal, rationale: ergo ſi ratiōale diſtinguitur ex natura rei ab animali, etiā homo ex natura rei diſtinguitur ab animali, per hoc ſuperadditum realiter ab illo diſtinctum.

Quartò, quia ſi entitas, quę eſt rationale, diſtinguitur ex natura rei ab entitate animalis: ergo poterit ſeparari entitas animalis ab entitate rationalis, & coniungi cum alia differentia, v. g. cum irrationali, vnde idē realiter animal ſucceſſiuè poſſet eſſe rationale, & irrationale, quod eſt impoſſibile: ergo dicendum eſt genus non diſtingui ex natura rei à differentiis, per quas contrahitur.

Ex dictis infero idem eſſe dicendū de ſpecie reſpectu differentiæ indiuidualis, per quā contrahitur, ita quòd nō diſtinguatur natura ſpecifica à differentiis indiuidualibus, per quas contrahitur, eſt .n. eadē ratio, & ratio-

rationes factæ hic accõmodatæ eandem habent vim.

Vnde ad fundamentum oppoſitę ſententiæ reſpondetur, quod idem formaliter non eſt principium conueniendi, & diſtinguendi, quia rationale, & animal, quamuis ſint idem realiter à parte rei, tamen non ſunt idem formaliter, & quãuis hæc diſtinctio formalis ſolùm ſit per intellectum, tamen à parte rei habet fundamentum talis diſtinctio; nam quia homo, & equus à parte rei participãt rationem animalis, equus tamen nullo modo participãt rationẽ rationalis: ideò intellectus cum fundamẽto in re diſtinguit inter animal, & rationale, & ex hoc patet gen', & differentiam diſtingui ratione ratiocinata, habet enim talis diſtinctio fundamentum à parte rei.

QVÆST. III.

Quod ſit definitum in definitione generis.

GEnus hoc modo definitur à Porphyr. in hoc capite: *Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid*: Quærimus ergo in præſentia, quod ſit definitum in hac definitione. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd genus cum ſit nomen concretum, dicit pro formali ſecundam intentionem generis, quæ eſt genereitas, pro materiali verò dicit naturam genericam, quæ à tali ſecunda intentione denominatur; ita tamen quòd directè, & expreſſè, hoc concretum genus dicat vtramque partem (quidquid plures communiter dicant) nam quemadmodũ quamuis album pro formali dicat ſolam albedinem, & pro materiali ſolùm dicat corpus, quod denominatur album; tamen adæquatè vtrunque expreſſè dicit, quia album eſt habens albedinem. Sic ſimiliter quamuis genus pro formali ſolam dicat ſecundam intentionem, & pro materiali ſolam naturam, tamen adæquatè vtrunque expreſſè, & directè dicit, quamuis vnum pro formali, & alterum pro materiali.

Hoc autem ita eſſe dicendum probatur apertè ex Ariſtot. in poſtprædicamentis capite de oppoſitis, vbi dicit: *Aliud eſſe cæcum, aliud cæcitatem, viſum & videntem*: ergo cõcretum directè dicit præter formam ſubiectum ipſum. Et ratione probatur, quia concreta ſubſtantialia non ſolùm dicunt formam, ſed etiam eſſentialiter dicunt materiam, v. g. homo eſſentialiter dicit animam rationalem, & corpus: ergo etiam concreta accidentalia eſſentialiter dicunt tam formam, quàm ſubiectum, quod ſe habet per modũ materiæ, & ita album eſſentialiter dicit corpus cum albedine.

Secundò, quia eſſentia nominis cõnotatiui explicatur per definitionẽ, ſed album definitur hoc modo:

Eſt

Eſt corpus diſgregatiuũ viſus: ergo eſſentialiter non ſolùm dicit albedinẽ diſgregãtem viſum, ſed etiam ipſum corpus.

Tertiò, quia ſi album ſignificat ſolam albedinem, ſequitur nullam eſſe differentiam inter concretum, & abſtractũ, quia abſtractum, nempè, albedo ſignificat ſolam formam.

Reſpondent quidam negando conſequentiam, quia quamuis abſtractum & concretum ſignificent ſolam formam, tamen diuerſimodè, quia albedo, quæ eſt abſtractũ, ſignificat albedinẽ præſcindendo inhærentiã, quã habet in ſubiecto, at verò album ſignificat eandem albedinem, vt inhærentem in ſubiecto, non tamen ipſum ſubiectum.

Veruntamen hæc ſolutio facilè impugnari poteſt. Primò, quia hæc eſt vera prædicatio ſaltẽ identicè: Album eſt dulce in lacte, ſed hæc eſt falſa prædicatio: Albedo inhærens, eſt dulcis: ergo album aliquid aliud dicit præter albedinem inhęrentẽ, ſcilicet corpus de quo verificatur, quod ſit dulce.

Secundò, quia ſunt quædam formæ accidẽtales, quę quia eſſentialiter ſunt modi, actualiter afficiẽtes ſubiectum, non poſſunt intelligi ſine actuali inhærentia in ſubiecto, qualis eſt ſeſſio reſpectu ſedentis, & figura reſpectu quantitatis: nam figura nõ poteſt intelligi ſine eo quòd actu ſit in quantitate: ergo ſi abſtractum ſignificat formam, non conſiderata inhærentia quam habet in ſubiecto, ſequitur quòd ſeſſio non ſit abſtractum reſpectu ſedentis, quod eſt concretum, & figura reſpectu figurati. Probo conſequentiam, quia iſtæ formæ non poſſunt intelligi ſine actuali inhærentia in ſubiecto.

Ex dictis ſequitur primò, quòd quando communiter dicitur concretum, & abſtractum ſolùm differre in diuerſo modo ſignificandi, debet intelligi, non quia vtrunque ſignificet formam ſolam diuerſimode ſe habentem, ſed quia abſtractum dicit ſolam formam, quãtumuis cõſideretur inhærens in ſubiecto, concretum verò dicit eſſentialiter formam, & ſubiectum, & ita diſtinguũtur ex diuerſo modo ſignificãdi.

Sequitur ſecundò, quando abſtractum diſtinguitur realitẽ à ſubiecto, vt albedo à corpore albo: tunc diſtinguitur realiter concretum, & abſtractum, quia concretum addit ſupra ipſam formam ſubiectũ realiter diuerſum ab illa: quandò verò forma nõ diſtinguitur realiter à ſubiecto, tunc concretum, & abſtractũ non diſtinguuntur realiter, quia concretũ non dicit aliud quàm formam, & ſubiectum: ergo ſi forma eſt idem realiter cum ſubiecto, abſtractum, quod eſt ipſa forma, erit idem realiter cum cõcreto, quod dicit ſubiectum, & formã quæ inter ſe ſunt idem realiter, vt ens, & entitas,

quia entitas, quæ eſt abſtractum, ſignificatum per modum formæ, eſt idem quòd ens, quod eſt concretũ.

Sed contra doctrinam, quæ vnicum eſt fundamentum eorum, quæ dicẽda ſunt, obiici poteſt. In primis, ex Ariſt. c. de ſubſtantia, vbi ait quòd album ſolam qualitatem ſignificat: ergo cõcretum ſolùm ſignificat formam, non ſubiectum.

Secundò, quoniã ſequeretur concreta accidentalia eſſe vnum per accidens, quia ſi dicunt directè, tam ſignificatum formale quàm materiale, ſignificarent rès diuerſorum prædicamentorum, verbi gratia, album pro formali dicit albedinem, quæ eſt de prædicamento qualitatis, & pro materiali dicit corpus, ꝙ eſt de prędicamento ſubſtantiæ, vnde concreta accidentalia eſſent vnum per accidens, & ita non ponerentur in determinato prædicamento, quod eſt falſum.

Sed reſpõdetur ad primum, quòd quãdo Ariſt. dicit album ſolam qualitatem ſignificare, non loquitur de ſignificato totali, & adæquato, ſed formali, quaſi dicat album pro formali ſolam qualitatem ſignificat.

Ad ſecundum reſpondetur, quod concreta accidentalia ſunt in duplici differentia, alia ſunt quorum partes non dicunt vnitatem Phyſicam, qualis eſt cumulus lapidum, neq; enim in cumulo eſt vnus lapis Phyſicè vnitus alteri. Et certũ eſt iſta non eſſe vnum per ſe, ſed per accidens, ꝙ potiùs dicit plura, quã vnũ. Alia verò ſunt concreta, quorum partes inter ſe habent Phyſicam vnionẽ, qualiter in albo albedo Phyſicè eſt vnita corpori, & huiuſmodi concreta faciunt vnum per ſe, non ſubſtantiale. ſed accidentale: an verò ponantur in prædicamẽto, & quomodo, nõ eſt huius loci diſputare: ꝙ verò talia cõcreta ſint vnum per ſe colligitur ex Ariſt. 8. Met. c. 6. text. 15. & 16. vbi cum dixiſſet vnum per ſe fieri ex actu, & potentia, ponit exemplum in concretis accidentalibus, vt in quãto, & quali. Fauet etiam D. Thom. opuſculo. 56. vbi fatetur ex ſubiecto, & accidenti non fieri vnum per accidens, ſicut in aggregato, v. g. in cumulo lapidum. Et ratio eſt, quia vnũ per ſe non requirit neceſſariò, quòd ſit aliquid vnum ſubſtantiale, alias albedo, quæ eſt forma ſimplex, non eſſet vnum per ſe, quia eſt aliquid accidentale, ſolùm ergo requirit, quòd ſit aliquid Phyſicè vnum: vnum verò Phyſicum reſultat, quandocunq; partes habent vnionẽ Phyſicam; ſed inter formã accidentalem, v. g. albedinem, & ſubiectum ipſum, eſt vnio Phyſica: ergo reſultat ex his aliquid vnum Phyſicum, nempe ipſum concretum, atq; adeò eſt vnũ per ſe, non ſubſtantiale, ſed accidẽtale, vnũ verò per ſe ſubſtantiale reſultat ex partib. ſubſtantialibus Phyſicè vnitis, vt ex materia, & forma.

Et

Et ſi obiicias commune illud axioma. *Quidquid aduenit enti in actu, hoc eſt enti perfecto, non facit eum illo vnum per ſe, ſed per accidens.* Reſpōdetur, quòd quidquid aduenit enti in actu, non facit cum illo vnum per ſe ſubſtantiale, benè tamen accidentale, quòd Ariſt. 5. Metaph. c. 5. & 6. vocat vnum ſecundum accidens, id eſt vnum accidentale.

Ex dictis hactenus colligitͬ, quòd hoc concretum genus, directè duo dicit: alterum de formali, ſcilicet ſecundam intentionem generis, alterum verò de materiali ſcilicet naturam denominatam: quærimus ergo in præſentia, an definitum in definitione generis, ſit ſola ſecunda intentio, vel ſola natura, vel vtrunque ſimul, quòd ſignificatur per ipſum concretum genus.

In qua re primus dicendi modus eſſe poteſt, naturam genericam, quæ ſubſtat ſecundę intentioni, eſſe definitũ in hac definitione, & fundamẽtum eſſe poteſt, quia illud eſt definitum cui conuenit definitio: ſed naturæ genericæ, v. g. animali conuenit hæc definitio, quia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid: ergo natura generica eſt definitum. Hũc accedit, quod Porphyr. poſt quàm definiuit genus ponit exemplum in natura reali, vt in animali, quod prædicatur de homine, & equo: ergo natura eſt definitum huius definitionis.

Secundus modus dicendi eſt, & ſatis hoc tempore cõmunis, definitum huius definitionis eſſe ſecundam intentionem generis, non verò genus, prout dicit ſecundã intentionem, & naturam ſimul. Quam ſententiam tenet Scotus, & Caiet. & Villalpandus. Fundamentum huius ſententiæ eſt, primò, quia genus prout dicit concretum ex natura, & ſecunda intentione, eſt ens per accidens, cum ſit quoddam aggregatum ex ente reali, & rationis, ſed ens per accidens non eſt definibile ex Ariſt. 7. Methap. c. 4. ergo genus hoc modo non poteſt definiri hîc.

Secundò, quia definitio generis non verificatur de aggregato, ex natura, & ſecunda intentione. Et probatur, quia quamuis natura prædicetur in quid de pluribus differentibus ſpecie, qualiter animal prædicatur de homine, & equo, non tamen ſecunda intentio, quoniam hæc eſt falſa. Homo eſt ſecunda intentio ſpeciei: ergo aggregatum ex vtraque non eſt definitum in hac definitione.

Tertiò, quia in hac definitione definitur aliquid vniuocum ad omnia genera, ſed in aggregato ex ſecunda intentione, & natura, ſola ſecunda intentio eſt quid vniuocum, non verò ipſa natura generica in cõmuni: ergo ſola ſecunda intentio definitur. Probatur minor, quia in quolibet prędicamento reperiuntur

naturæ genericæ: ergo natura generica in commune eſt quid commune rebus diuerſorum prædicamentorum, atque adeò eſt quid analogum, & nõ vniuocum: ergo hîc ſola ſecunda intentio definitur.

Quartò, quia omne, quod definitur, debet eſſe ſpecies ex Ariſt. 7. Metap. c. 1 & 2. Poſterior. c. 14. ſed genus non eſt ſpecies, ſed genus: ergo non poteſt definiri.

Quintò, quia genus debet prædicari de differentib. ſpecie; ſed pro cõcreto continet ſub ſe hoc, & illud genus, ſed hoc, & illud genus in ratione generis, ſolùm diff. ſũt numero: ergo non definitur genus pro cõcreto, ſed pro ſecunda intentione generis.

His tamen non obſt. ntibus tertia, & vera ſententia à nobis amplectenda eſt, definitum in definitione generis non eſſe naturam genericam, neque ſolùm ſecundam intentionem generis, ſed compoſitum ex natura, & ſecunda intentione, quod appellatur genus. Quam ſententiam tenet, hoc capite, Cardinalis Tolet. quæſt. 1. concl. 1. tenet etiam Paulus Venetus, hoc cap. & quamuis Sotus hîc contrariam ſequatur ſententiam, tamen capite de differentia in ſimili docet definitum in definitione differentiæ eſſe naturam, & ſecundam intentionem differentiæ.

Vnde ſit prima concluſio, ſolam naturam genericam non eſſe definitum in hac definitione. Probatur, quia illud eſt definitum, cui eſſentialiter conuenit definitio: ſed naturæ genericæ, v. g. animali, accidentaliter conuenit eſſe prædicabile de pluribus, ſicut, & eſſe vniuerſale; nam natura ex ſe ſolùm habet ſua prædicata eſſentialia, vt ſupra vidimus: ergo definitum in hac definitione non eſt ſola natura.

Pro quo aduertendum eſt, quòd quando omnia prædicabilia definiuntur per prædicari, illud prædicari non ſumitur pro actu prædicandi, quia actu prædicari potius conuenit prædicato actuali, quam prædicabili, quod potiùs dicit aptitudinem ad prædicandum, & ita quando dicitur in hac definitione, genus eſt, quod prædicatur, &c. ſenſus eſt, id eſt, genus eſt, quid prædicabile de pluribus differentibus ſpecie: cum ergo accidentaliter conueniat naturis eſſe prædicabiles, & vniuerſales, definitum in hac definitione non eſt natura ſola.

Secundò probatur, quia hîc definitur aliquid vniuocũ ad omnia genera; ſed natura generica potiùs eſt quid analogũ ad naturas genericas, vt vidimus: ergo non definitur hîc.

Tertiò, quia hæc definitio: Album eſt diſgregatiuum viſus, non conuenit corpori ipſi præcisè, quod eſt ſignificatũ materiale albi, quia corpus præcisè abſque albedine non diſgregat viſũ: ergo ſimiliter in hac definitione

tione: Genus, quod prædicatur, &c. non eſt definitum ipſa natura præciſè.

Sit ſecunda concluſio, Definitum in hac definitione nō eſt ſola ſecunda intentio, ſed concretum ex natura, & ſecunda intentione, quod appellatur genus in cōcreto. Probatur hac efficaci ratiōe, quia illud eſt definitū, cui competit definitio: ſed prędicari de pluribus differentib. ſpecie non verificatur de ſecunda intentione generis, quoniam hæc ſolùm eſt ratio prædicandi, nō verò quod prędicatur: ergo non eſt ſola ſecunda intentio definitum, ſed totum ipſum concretum prout dicit naturam denominatam à ſecunda intentione, quoniam de eo verificatur, quòd prædicetur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid.

Ad hanc rationem, quę omnibus communiter facilis apparet, reſponderi ſolet quòd quamuis ſecūda intentio non prædicetur, vt quod, de pluribus differentibus ſpecie, tamen prædicatur, vt quo, id eſt, eſt ratio quare natura generica prædicetur, vt quod: prædicta autem definitio non debet intelligi de prædicari, vt quod, ſed vt quo, & ita conuenit ſecundæ intentioni ſolùm.

Sed in primis hæc communis ſolutio apertè pugnat cum Porphyr. nam poſtquam dixit genus prædicari de pluribus differentibus ſpecie, ponit exemplum in animali, ſed animal non prædicatur, vt quo, ſed vt quod; ergo apertè loquitur Porphyr. de prædicari, vt quod.

Secundò, quia prædicari, vt quo, hoc eſt, eſſe rationem prædicandi, propriè non eſt prædicari, ſed eſſe rationem prædicandi, aliàs ſequeretur, quòd in hac definitione: animal rationale, definitum eſſet anima rationalis quoniam anima eſt id, quo homo habet eſſe animal rationale. Dicendum ergo eſt, quòd prædicari vt quo, non eſt prædicari, ſed eſſe rationem prædicandi.

Secundò probatur concluſio, quia in hac definitione: Album eſt corpus diſgregatiuum viſus, nullus dicit definitum eſſe albedinem, ſed concretum ipſum, quod eſt album: ergo ſimiliter in definitione generis definitum non eſt ſecunda intentio, ſed concretum nempè genus.

Vnde ad argumenta primæ ſententiæ in contrarium adducta, R. quòd quamuis naturæ genericæ conueniat prædicari de pluribus differentibus ſpecie, tamen non conuenit illi eſſentialiter, ſed accidētaliter in quātum denominatur à ſecunda intentione generis, & ita non eſt definitum eſſentiale huius definitionis, ſed accidentale, at verò naturę prout denominatæ à ſecunda intentione qua ratione eſt ipſum concretum, nempè genus, eſſentialiter conuenit illi prædicari.

Ad cōfirmationem reſpondetur, quòd

quòd quamuis Porphyr. poſuerit exemplum in natura ipſa, non ideò eſt intelligendum ſolam naturam eſſe definitum, ſed naturam vt denominatam, qua ratione eſt ipſum concretum, nempè genus.

Sed notandum eſt, quod conuenit toti concreto prout dicit ſecundam intentionem, & naturam genericam prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quid eſſentialiter ſecundo modo, nõ verò primo modo, quia ſi primo modo conuenit illi, iam hæc definitio eſſet eſſentialis, quod falſum eſt: conuenit eſſentialiter illi ſecundo modo, quia explicat paſſionem, ſcilicet prædicari: definitio autem, quæ explicat paſſionem definiti, conuenit illi eſſentialiter ſecundo modo, attamẽ ipſa definitio eſt deſcriptiua, & in hoc ſecũdo modo conuenit definitio generis toti concreto; at verò conuenire definitionem definito primo modo, eſt quando definitio explicat naturam, aut eſſentiam rei, & talis definitio eſt eſſentialis, & ita primo modo non poteſt conuenire toti concreto definitio generis, quia iam ipſa definitio eſſet eſſentialis, & non deſcriptiua, quod falſum eſt.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum negando, quòd hoc concretum genus ſit ens per accidens, quia vt antea dicebam, ex ſubiecto, & accidenti, quamuis ſint res diuerſorum prædicamentorum, ſit vnum per ſe non ſubſtantiale, ſed accidentale, quia ſe habent vt actus, & potentia, ex quibus fit vnum, v. g. albedo ſe habet vt actus, & corpus, vt potentia perfectibilis per albedinem. Ad eundẽ ergo modum, quoniam in concreto, quod eſt genus, ſecunda intentio ſe habet ſicut forma, & actus denominans, natura verò, vt denominabilis ab illa forma rationis, fit vnũ concretum ex illis, ſcilicet genus, quod eſt vnum per ſe.

Et ſi obiicias: nam in hoc concreto includuntur duæ partes, quarum qualibet eſt definibilis: ergo non poteſt definiri vnica definitione, ſed duplici. Reſpondetur, quòd quamuis hæc duplex pars ſeorſum ſumpta ſit definibilis duplici definitione; tamẽ prout faciunt vnũ, vnica definitione definiũtur, ſicut quãuis albedo ſeorſum vnica definitione poſſit definiri, & etiam corpus, tamẽ totum ipſum concretum, nempè album, optimè definitur hac vnica definitione, *Album eſt corpus diſgregatiuum viſus.*

Et ſi obiicias ſecundò: nam genus ponitur in prædicamẽto entis rationis, ſed genus dicit pro materiali naturam realem; ergo iam aliquid reale ponitur in prædicamento entis rationis. Reſpondetur, ꝙ antecedens pendet ex quæſtione infrà tractãda, an concreta accidentalia ponantur in prædicamento, & quia dicemus re vera

re vera poni in prædicamento, ideò ad argumentum reſpondeo nullum eſſe inconueniens naturam realem poni in prædicamento entis rationis, non ſecundum ſe, ſed quatenus denominatũ ab ente rationis, qualiter etiam dicemus, quod corpus, quod eſt de prædicamẽto ſubſtantiæ, quatenus denominatũ ab albedine, ponitur in prædicamento qualitatis.

Et ſi tertiò obiicias commune illud axioma: *Quòd ex rebus diuerſorum prædicamentorum non poteſt fieri vnum per ſe, ſed per accidens;* ſed concreta accidentalia, vt genus album, includunt res diuerſorum prædicamentorum: ergo nõ ſunt vnum per ſe ſed per accidẽs. Reſpõdetur, quòd ex rebus diuerſorũ prędicamentorũ, non fit vnum per ſe ſubſtãtiale, quia ad hoc requiritur, quòd vtraq; pars ſit ſubſtantialis, atque adeò de prædicamento ſubſtantiæ; poteſt tamẽ fieri vnũ accidentale per ſe, in quantum res diuerſorum prædicamentorum poſſunt habere inter ſe rationẽ actus, & potentiæ, vt corpus & albedo; quando autem Ariſt. 7. Met. c. 4. dixit, ens per accidens non eſſe definibile: in primis non vrget contra nos, fatemur enim hæc concreta accidentalia eſſe vnum per ſe: tamen ſenſus illorum verborum eſt, quòd illa plura, quæ ſunt in ente per accidens, vt plura ſunt, nõ poſſunt definiri vnica definitione, tamen prout faciunt quodammodo vnum, vnica definitione poſſunt definiri, qualiter cumulus lapidum rectè definitur hac vnica definitione: *Eſt aggregatio lapidum.*

Ad ſecundum reſpondetur, quòd quamuis ſecunda intentio non prædicetur de pluribus differentib. ſpecie, tamẽ natura generica prout denominata à ſecunda intentione, eſt quæ prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie, & quia genus in concreto includit talem naturam prout denominatam, ideò genus in concreto prædicatur de plurib. differẽtibus ſpecie: ſicut quamuis ſola albedo non diſgreget viſum, tamen corpus prot denominatur ab albedine, diſgregat viſum, & hoc modò idem eſt, quod album.

Ad tertium reſpondetur, quòd quamuis natura generica in cõmuni ſecundum ſe non ſit aliquid vniuocum ad omnes naturas genericas, vt argumentum probat, tamen natura generica prout denominata à ſecunda intentione generis, eſt quid vniuocum, quia omnes naturæ genericæ cõueniunt vniuocè in hoc, quod eſt denominari à ſecunda intentione generis, & ita concretum ipſum, nempè genus quid vniuocum eſt ad omnia genera.

Ad quartum reſpondetur, verum eſſe omne, quod definitur, debere eſſe ſpeciem aliquomodo, ita genus ſaltẽ denominatiuè, eſt ſpecies, quia denominatur ſpecies vniuerſalis, vt

O dixi-

Digitized by Google

diximus diſputatione. 3. de vniuerſalibus, quæſt. 1.

Ad vltimum reſpondetur, quòd cum dicitur genus prædicari de differentib. ſpecie, non eſt ſenſus, quòd totum ipſum concretum prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, ſed quòd concretum ſecundum partem materialem, ſcilicet ſecundum naturam genericã, prædicetur de pluribus differentibus ſpecie: inde tamen non licèt inferre ſolam naturam eſſe definitum in hac definitione, quia illi ſecundum ſe accidentaliter conuenit eſſe prædicabilem, & vniuerſalem: at verò ipſi concreto eſſentialiter conuenit eſſe prædicabile, & vniuerſale, & ita natura prout denominatur vniuerſalis eſſentialiter illud habet.

Qvæst. IV.

Vtrùm definitio generis ſit exacta.

QVoniam circa hãc generis definitionem nonnulla dubia diſputari poſſent, placuit ea omnia ſub hoc quæſtionis titulo complecti. Sit ergo primum dubium, quod ſit genus in hac definitione: omnis enim bona definitio debet conſtare genere, & differentia. In qua re prima ſententia affirmat genus in hac definitione eſſe prædicabile in communi, ita quod illa particula. *Quod,* poſita in definitione referat ipſum prędicabile, & faciat hunc ſenſum: Genus eſt prædicabile, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid. Hanc ſententiam tenet Cardinal. Tolet. hoc loco. quæſt. 3. ſed non placet; iam enim cõmitteretur in definitione nugatio. Quoniã ſi illa particula, *Quod,* refert prædicabile, & poſtea dicitur: *Prædicatur de pluribus differentibus ſpecie,* iam idem bis repetitur in definitione, atque adeò committeretur nugatio. Sed poſſet Tolet. Cardin. dicere, illam particulam, *Prædicatur,* non ſignificare aptitudinem prædicandi, hoc enim iam anteà dictum erat in prædicabili ad quod refertur illa particula, *Quod,* ſed potiùs ſignificare actum ipſum prædicandi, per quem explicatur potentia ad prædicandum, ita vt faciat hunc ſenſum: Genus eſt prædicabile, quod actu prędicatur de pluribus differentibus ſpecie.

Sed non placet hæc ſolutio, quoniam qui definiret riſibile dicẽs, Eſt quod actu ridet, certè illud nõ definiret exacte, quoniam actu ridere eſt nimis accidentale ipſi potentiæ: definitio autem debet explicare aliquam eſſentiam, aut proprietatem rei, non actum mere accidentalem: ſed actũ prędicari, accidentale nimis eſt generi: ergo non rectè definitur per hoc, quod eſt actu prædicari, & ita, vt ſupra illa particula: *Prædicatur,* poſita in definitione generis, & cuiuſcunque alterius prædica-

dicabilis non ſignificat actum, ſed potentiam.

Secunda ſententia affirmat genus in hac definitione eſſe vniuerſale, & referri per illam particulam, *Quod*, ita vt faciat hunc ſenſum; Genus eſt vniuerſale, quod prædicatur de pluribus, &c. ſic ſentit Sotus in ſolutione ad quintum; & Scot. q. 15. vniuerſalium.

Sed neque hæc ſententia ſatis eſt ad mentem Porphyrij, quia explicans ſingulas particulas huius definitionis, per quas genus ab aliis diſtinguitur, inquit, quod genus eſt, quod diſtinguitur ab indiuiduo per illam particulam. *Prædicatur de pluribus*, & ad hoc ait eſſe poſitam illam particulã: ſed ſi illa particula, *Quod*, refertur ad vniuerſale, iam per hanc particulam eſſet excluſum indiuiduum ab hac definitione: ergo per illam particulam non refertur vniuerſale.

Quare vera, & communis ſententia eſt, hanc definitionem non habere verum genus, ſed poni in ea aliquid loco generis; ſcilicet natura denominata, quæ refertur per illam particulam, *Quod*, ita vt faciat hunc ſenſum; Genus eſt illud ens, quod prædicatur de pluribus differentib. ſpecie in eo quod quid. Sic ſentit Maſius in hoc cap. ſect. 1. q. 5. & eſt communis ſententia. Ratio eſt, quia vt optime S. Thom. docuit q. 57. artic. 2. ad 3. quando accidentia definiuntur in concreto, debet ſubiectum poni loco generis in recto, vt quando dicimus: Album eſt corpus diſgregatiuum viſus; genus in hac definitione eſt corpus, quod quidem eſt ſubiectum albedinis; quando verò definiuntur in abſtracto, tunc ſubiectum ponitur loco differentiæ in obliquo, vt riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridendum, ſed hîc definitur genus in concreto: ergo ſubiectum, nempè natura debet poni loco generis.

Et ſic dicas vniuerſale eſt verum genus ad quinque prædicabilia: ergo debet poni vt verum genus in definitionibus illorum. Reſpondetur verum eſſe prædicabilia poſſe definiri per ſuum verum genus, hîc tamen non definiuntur à Porphyr. niſi per aliquid loco generis, nec mirum eſt, quia accidentia in concreto propriiſſimè definiuntur per ſuum ſubiectum.

Obiicies ſecundò quia natura generica eſt quid analogum, cum ſit quid commune naturis genericis, diuerſorum prædicamentorum: ergo non poteſt habere rationem generis, quia genus debet eſſe aliquid vniuocum. Reſpondetur, quòd quamuis natura generica ſecundum ſe ſit quid analogum ad omnes naturas genericas, tamen vt denominatur à ſecunda intentione, quid vniuocum eſt, quia oēs naturæ genericæ vniuocè conueniunt in hoc, quod eſt

denominari à ſecunda intentione, ſicut omnia corpora quantumuis diuerſa vniuocè conueniunt in hoc, quod eſt denominari alba.

Tertiò dubitari poteſt in hac quæſtione, vtrum definitio ſit quidditatiua, vel deſcriptiua. R. eſſe deſcriptiuam; ita docuit expreſsè Porphyr. tùm multis verbis huius capitis, vbi hanc definitionem deſcriptiuam appellat, tum quando definit genus, vbi illud deſcribit.

Secundò, quia illa eſt definitio deſcriptiua, quæ explicat paſſionem rei: ſed hæc definitio explicat proprietatem generis, ſcilicet eſſe aptum prædicari de ſpeciebus, quia non verè datur per eſſentiam, quæ eſt eſſe aptum, vt ſit in pluribus ſpeciebus: ergo eſt deſcriptiua. Et hinc ſequitur hic non definiri genus, vt prædicabile eſt, quia vt ſic eſſentiale eſt illi poſſe prædicari, ſed vt vniuerſale eſt explicando eius paſſionem, atque adeò definitur deſcriptiuè.

Rurſus ſequitur, quòd hæc definitio, neque habeat verum genus, vt diximus, neque veram differentiam, quia prædicari de pluribus ſpeciebus potiùs eſt propria paſſio generis, quàm ſit eius differentia eſſentialis.

Sed contra definitionem iſtã hactenus explicatã aliqua poſſunt obiici. Primò, quoniam genus non ſolùm prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ſed etiam de pluribus differentibus genere: nam iſtæ ſunt veræ prædicationes: Subſtantia eſt genus, Quantitas eſt genus, quantitas autem, & ſubſtantia differunt genere.

Et confirmatur, quia ſubſtantia quæ eſt genus generaliſſimum prædicamenti ſubſtantiæ, etiam prædicatur de ſubſtantia animata, & inanimata: ſed quælibet ex his eſt genus ad alias ſpecies: ergo iam prædicatur de pluribus differentibus genere.

Secundò, quia genus non ſolùm prædicatur de pluribus differentib. ſpecie, ſed etiam de pluribus differentibus numerò in his prædicationibus: Petrus eſt animal: Paulus eſt animal.

Tertiò, quia definitio nõ eſt prædicabile, quia eſt aliquid complexũ, vt ſuprà vidimus, & tamen prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid, verbi gratia, nempè definitio animalis: Eſt viuens ſenſibile, prædicatur de homine, & equo.

Quartò, quia pars non prædicatur de ſuo toto, v.g. hæc eſt falſa: Homo eſt caput; ſed genus eſt pars ſpeciei: ergo non prædicatur de illa.

R. ad primum, quod iſtæ prædicationes, Quantitas eſt genus, Subſtantia eſt genus, nõ ſunt primi prædicabilis, ſed pertinent ad quintum prædicabile, quia accidentaliter cõuenit ſubſtantiæ, vel quantitati denomi-

nominari genus, ſicut homini denominari album, & ita non probatur genus eſſentialiter prædicari de differentibus genere.

Ad confirmationem reſpondetur, quòd cùm dicitur genus prædicari de pluribus differentibus ſpecie, debet intelligi de pluribus differentibus ſpecie infima, vel ſubalterna, ſubſtantia autem animata, vel inanimata, de quib. prædicatur ſubſtantia in communi, quamuis non ſunt ſpecies infimæ, ſunt tamen ſpecies ſubalternę, quia quãuis in comparatione ad ſua inferiora ſunt genera, tamen in comparatione ad ſuũ ſuperius ſunt ſpecies ſubalternæ habentes ſub ſe alias ſpecies.

Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe genus prædicari de differentibus numero, non tamen immediatè, ſed mediatè, quoniam inter genus, & indiuidua mediat ſpecies, v. g. homo, de quo prædicatur genus immediatè.

Sed inſtabis quoniã hæc eſt prædicatio immediata: Hoc genus eſt genus: ergo iam prædicatur genus immediatè de differentibus numero. Reſpondetur, quòd hæc prædicatio: Hoc genus eſt genus, non eſt prædicatio primi prędicabilis, ſed ſecundi, quoniam genus reſpectu huius, & illius generis habet ſe, vt ſpecies, quia ſolùm continet plura diuerſa numero, & ita licèt ibi prædicetur genus non tamen vt genus eſt, vt eſt primũ prędicabile, ſed in quantum habet rationem ſpeciei, reſpectu huius, & illius generis.

Sed inſtabis ſecundò in hac prædicatione: Hoc animal eſt animal, ibi prædicatur animal immediatè, quia nulla eſt ſignabilis ſpecies, quæ mediet inter animal, & hoc animal: ergo prædicatur immediatè de differentibus numero. Reſpondetur negando antecedens, quia cum illud pronomen, *Hoc*, demonſtret aliquod determinatum indiuiduum, ſpecies ſub qua tale indiuiduum eſt, mediat, & idem eſt ſi ſumamus indiuiduum vagum, vt ſi dicam⁹: Quoddam animal eſt animal, ibi mediat aliqua ſpecies vage ſumpta: nam quoddam animal ſignificat, vel hoc, vel illud animal, & hæc ſemper continentur ſub aliqua ſpecie, hac, vel illa.

Ad tertium reſpondetur, verum eſſe definitionem animalis prędicari de differentibus ſpecie, & in quid, quia eſt quid cõtrahibile ad inferiora, tamen non eſt genus, quia non eſt vnum prædicabile (vt ſupra vidimus,) ſed quid cõplexum ex duobus, cum definitio conſtet genere, & differentia.

Ad quartum reſpondetur, quod pars Phyſica, non prædicatur de toto, quia diſtinguitur realiter ab illo, pars verò Metaphyſica, vt animal, prædicatur de toto, quia non diſtinguitur realiter ab illo.

QVÆST. V.

Vtrùm genus prædicetur, vt pars, an verò, vt totum.

PRo cuius intelligentia notandũ eſt genus, v.g. animal poſſe conſiderari multis modis. Primò ſecundum ſua prædicata eſſentialia, qua ratione conſtat genere, & differentia, ſcilicet, vt ens, viuens, ſenſibile: ſic appellatur totum actuale. Secundo poteſt conſiderari in quantum actualiter componit ſpeciem, v. g. hominem, & ita appellatur pars actualis metaphyſica. Tertiò, poteſt conſiderari, vt eſt quid ſuperius ad ſuas ſpecies, & quid contrahibile ad illas, non tamen actualiter illas componit, & ſic appellatur totum potentiale, ſeu totum confuſum, quia in confuſo, & in potentia continet plures ſpecies: vnde quando quærimus vtrum genus prædicetur, vt pars, an verò, vt totum, ſenſus eſt vtrum genus quando prædicatur de ſpeciebus, conſideretur, vt pars, vel vt totum, ita quòd conditio requiſita ad prædicandum ſit eſſe partem, vel totum.

In qua re prima ſẽtẽtia affirmat, quòd genus prædicatur, vt pars, quã in hoc capite tenet Doctor Cant. & probari poteſt ex Ariſt. 1. Topic. c. 4. vbi dicit partes definitionis prædicari de definito: ſed genus huius definitionis: Animal rationale, prædicatur de definito: ergo prædicatur, vt pars.

Secundò, quia totum illud prędicatur de alio, in quantum eſt in illo, & quodam modo continet illud, vt ſuprà dictum eſt, ſed genus vt eſt pars ſpeciei, eſt in illa, & quodam modo continet illam, quia ſecundũ ſuam eſſentiam eſt quid contrahibile ad illam, & eſt pars ſpeciei: ergo prędicatur, vt pars.

Vera tamen, & communis ſententia eſt genus nõ prædicari vt pars, ſed & totum: tenet D. Thom. de ente, & eſſentia cap. 3. & ibidem Caiet. Sotus in hoc c. qu. vnica, Maſius q. 2. ſect. 2. Scot. q. 16. in Porphyr. Et probat primo ex Porph. cap. de ſpecie ad finem, vbi dicit, ideò genus prædicari de ſpecie, quia genus totum quoddam eſt: ergo gen' prędicatur, vt totum.

Secundò, quia omne prædicatum debet aliquo modo cõtinere ſubiectum: ergo vt totum prędicatur de pluribus ſpeciebus, in quantum continet illas ſaltem in confuſo; ſed vt ſic eſt totum potentiale: ergo prædicatur vt totum, non verò, vt pars.

Neq; valet ſolutio Canteri dicentis, quòd quamuis genus, vt pars actualis, non contineat omnes ſpecies, quoniã iam ſumitur, vt contractũ ad vnã actualiter, tamẽ ſi genus, conſideretur, vt pars quædam potentialis cõtrahibilis in potentia ad plures ſpecies, ſic continet illas in quantũ partes ſubiectiuas, quas poteſt

Digitized by Google

teſt contrahere, & ita non prædicatur, vt totum, ſed vt pars ſubſtantialis.

Hæc ſolutio non placet, quia abutitur nomine partis, nam re vera pars potentialis, non eſt pars actu, ſed totum, ſicut lapis conſideratus extra compoſitionem domus, non eſt pars, ſed totum quoddam, & ita re vera Canterus in quæſtione de nomine immoratur; nam idem, quod ipſe appellat partem potentialem, appellamus nos totum potentiale, & reuera ſic debet appellari, quia totũ illud eſt, quod continet partem, genus verò, vt contrahibile ad ſpecies, continet in confuſo illas, tamen, quia ſunt partes ſubiectiuæ, ad quas contrahi poteſt, appellari debet totum potentiale, & pars potentialis.

Ex quibus infero, quòd genus quando conſideratur, vt pars definitionis, potiùs ſumit, vt pars actualis quàm, vt totum potentiale, & ita, vt eſt pars definitionis ſpeciei, non prædicatur de pluribus ſpeciebus. Ratio eſt, quia in hac definitione, Animal rationale, animal cõſideratur, vt pars actualis hominis, & definitionis eius: ergo non prædicatur de pluribus ſpeciebus, vt pars definitionis, ſed vt totum potentiale.

Vnde ad argumenta cõtrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum verum eſſe genus, vt eſt pars definitionis prædicari de definito, verbi gratia, animal contractum in homine prædicatur de homine, quaſi in actuali prædicatione, non tamen eſt prædicabile de omnib. ſpeciebus, vt ſic, ſed vt totũ potentiale contrahibile ad illas, & hoc modo procedit quæſtio, quia de vna tantùm ſpecie bene poteſt prædicari, vt pars actualis iam contracta ad illam, tamen eſſe prædicabile de omnibus ſpeciebus, habet vt totum.

Ad ſecũndum: verum eſſe, quòd vt prædicatum aliquod dicatur de ſubiecto debet eſſe in ſubiecto, & quodammodo continere illud, & ita genus reperitur à parte rei in pluribus ſpeciebus, tamen non prædicatur de pluribus ſpeciebus, vt contractum, ſed prout eſt indifferens ad illas, quamuis re vera in illis ſit à parte rei.

Ex dictis hactenùs in hac quæſtione facilè expediri poſſunt alia, ſcilicet, vtrum genus poſſit conſeruari in vnica ſpecie & ſpecies in vnico indiuiduo. Reſpondetur, quòd ſit genus conſideretur vt totum actuale, hoc eſt ſecundũ ſuam eſſentiã & prędicata eſſentialia, ſufficienter conſeruatur in vnica ſpecie: verbi gratia, in homine reperitur integra eſſentia animalis: & eodem modo ſi ſpecies conſideretur, vt totum actuale, hoc eſt ſecundum ſuam eſſentiam realem, ſufficienter conſeruatur in vnico indiuiduo, quia in Petro reperitur tota eſſentia hominis.

Digitized by Google

Si verò genus, & ſpecies conſiderantur, vt vniuerſalia, & vt totum potentiale contrahibile; genus quidem ad ſuas ſpecies; ſpecies verò ad ſua indiuidua, dicendum eſt actu non requirere gen' plures ſpecies, in quib. ſit, neq; ſpeciē plura indiuidua, quia vt ſuprà diximus diſput. 2. de vniuerſalibus, quæſtione vltima, ad rationem vniuerſalis nō requiritur, quòd actu habeat inferiora, in quib. ſit, ſed ꝙ poſſit habere illa, quia vniuerſale tantùm dicitur eſſe aptum natum eſſe in pluribus, & ita requiritur, quòd genus hoc modo poſſit habere plures ſpecies, & ſpecies plura indiuidua in quibus eſſe poſſit, actu tamen nullum requiritur. Et hæc de hoc capite.

CAPVT DE SPECIE.

INtentum Porphyrij in hoc capite eſt agere de ſpecie, quæ eſt ſecundū prædicabile. Tria agit in hoc capite. In prima parte adducit acceptiones ſpeciei, & definit ſpeciem logicam, de qua hìc intendit diſputare. In ſecunda diſponit arborem prædicamentalem. Tandem in tertia parte agit de indiuiduo.

Ad primam partem accedentes, inquit, quòd ſpecies ſumitur dupliciter. Primò pro forma, & pulchritudine rei, qua ratione dicimus: *Præſtantiſſima ſpecies digna eſt imperio;* imò, & in ſacra Scriptura, aliquando ſumitur ſpecies hoc modo, qua ratione Chriſtus dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Secundò ſumitur ſpecies in ſignificatione logica, pro eo, quod ſub aſſignato genere collocatur, vt homo ſub animali. Reddit autem rationem quare definiat ſpeciem per genus, ſcilicet quia ſunt relata, & vnum relatum debet definiri per ſuum correlatiuum; nā genus aliquarum ſpecierum eſt genus, & ſpecies alicui' generis eſt ſpecies. Sed quoniam ſpecies logica poteſt conſiderari in quantùm eſt ſubiicibilis ad ipſum genus, vel in quantum eſt prædicabilis de ſuis indiuiduis, definit vtranque ſpeciem, dicens: *Species ſubiicibilis eſt illa, quæ ſub aſſignato genere collocatur, & de qua genus ipſū prædicatur:* ſpecies verò prædicabilis eſt: *Quæ de pluribus differentibus numero prædicatur in eo quod quid.* Ex quibus duabus definitionibus hæc ſecunda, inquit, tantùm conuenit ſpeciei infimæ, prior

verò,

Digitized by Google

verò, ſcilicet definitio ſpecici ſubijcibilis, tam conuenit ſpeciei infimæ, quàm ſubalternæ, quia vtraque eſt ſubijcibilis ad ſuum genus. Et hæc de prima parte capit.

In ſecunda parte capitis, vt ſatis explicet, quid ſit ſpecies infima, & ſubalterna, diſponit arborem prædicamentalem, quæ in noſtra figura videri poteſt, & dicit, quòd in quolibet prædicamento, v.g. in prædicamento ſubſtantiæ eſt vnicum genus generaliſſimum, & hoc eſt illud: *Supra quod non eſt aliud genus*, qualis eſt ſubſtantia in communi: ſunt etiam ſpecies, vt homo, & equus, & indiuidua, vt Petrus & Paulus, quæ indiuidua ſub qualibet ſpecie contenta, aſſerit eſſe infinita, non quidẽ quòd actu ſint infinita, quia infinitum in actu non datur, ſed quòd ſint ferè innumerabilia: & ita optimè, inquit, dicebat Plato, quòd in ſcientia cuiuſlibet rei ſiſtendum eſt in ſpecie infima, & non progrediendum ad indiuidua, quia cum hæc ſint infinita, ſub certa ſcientia cadere non poſſunt.

Explicat deinde diſcrimen, quod eſt inter ſpeciem infimam, & ſubalternam, & inquit, illam eſſe ſpeciem infimam, quæ continet ſub ſe indiuidua, vt homo, & equus; illa verò eſſe ſpeciem ſubalternam, quæ alias ſub ſe continet ſpecies: v. g. animal, quamuis in ordine ad ſua inferiora, nempe ad hominem, & equum, ſit genus; tamen in ordine ad aliud genus ſupremum, ſub quo continetur, ſcilicet in ordine ad corpus, eſt ſpecies ſubalterna, & ita ſpecies, inquit, ſubalterna, aliquando eſt ſpecies in ordine ad ſuperiora, aliquando verò eſt genus in ordine ad inferiora: ſpecies verò infima, ſeu ſpecialiſſima, quod idem eſt, nunquam eſt genus, quia tantùm continet ſub ſe plura differentia numero.

Explicat deinde, qualiter fiat diuiſio arboris prædicamentalis dicens, quòd v. g. in prædicamento ſubſtantiæ, quæ eſt genus generaliſſimum, ſubſtantia diuiditur in ſubſtantiam corpoream, & incorpoream: Subſtantia verò corporea, ſcilicet corpus diuiditur in ſenſitiuum, & non ſenſitiuum, corpus verò ſenſitiuum conſtituit animal: animal deinde diuiditur in hominem, & equum, homo diuiditur in Petrum, & Paulum.

Vbi aduertendum eſt Porphyrium appellaſſe hominem animal rationale mortale, ad differentiam corporum cœleſtium, quia ſequutus Stoicos exiſtimauit eſſe animalia rationalia, quod à veritate maximè alienum eſt.

Explicat deinde lineam prædicamentalem, ducta ſimilitudine ex familia, nã ſicut in familia ſunt proaui, parentes, filij, & nepotes, ita in prædicamento eſt genus generaliſſimum, à quo omnia alia trahunt originem:

ginem: ſunt etiã ſpecies inter mediæ, & tandem ſunt indiuidua, ex quibus, inquit, maiora de minoribus prædicantur, vt animal de homine, & æqualia de ęqualibus, vt riſibile de homine, minora verò de maioribus nõ prędicantur, quod intelligendum eſt in prædicatione formali & directa: nam regula ſuprà dicta tractatu de vniuerſalibus diſputatione vltima quæſt. 1. in prædicatione indirecta optimè prædicantur inferiora de ſuperioribus, vt in hac: Animal eſt homo. Et hæc in ſecunda parte capitis.

Tandem in tertia, & vltima parte capitis agit de indiuiduo, cuius duas aſſignat diffinitiones. Prima eſt: *Indiuiduum eſt, quod de vno ſolo prædicatur.* Secunda eſt: *Indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum, quæ in vno reperiri poſſunt, minimè reperiuntur in alio.* Indiuiduum autem, inquit, ſemper eſt pars ſubiectiua, quia nullum habet ſub ſe inferius. Genus verò generaliſſimum ſemper, inquit, eſt totum, quia nullum habet ſupra ſe genus, ſpecies verò inter mediæ, aliquando ſunt totum potentiale, ſcilicet in ordine ad ſua inferiora, quæ continent, aliquando verò ſunt ſpecies ſubiectiuæ, ſcilicet in ordine ad ſuperiora, ſub quibus continentur. Et hæc de litera capitis.


Circa literam.

Circa primam partẽ capitis notandum eſt, quòd iſta nomina Species & Forma plures alias ſignificationes habeant, Porphyrius tamen duas tantùm acceptiones attulit; prima eſt qua ſignificat Species pulchritudinem; ſecunda, qua ſignificat id, quod ſub aſſignato Genere collocatur.


De his duabus acceptionibus quæritur an conueniant vniuocè, an verò æquiuocè. Sed quia prima acceptio eſt realis & Phyſica, quia Species hoc modo accepta eſt nihil aliud, quàm apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuauitate, vt in Tuſculanis quæſtionibus dicit Cicero: Secunda verò acceptio eſt Logica & rationis: enti autem reali, & rationis nihil datur commune vniuocum: ergo ſpecies in communi non eſt quid vniuocum ad illas.

Quare dicendum eſt, ſpeciem in communi eſſe quid analogum ad illas duas acceptiones: nam Species LOGICA habet quandam analogiam & proportionem

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

nem cum ſpecie primo modo ſumpta: nam eſt quædam pulchritudo generis; nam cum homo v. g. addat ſupra animal differentiam ſpecificam, quæ eſt rationale, quæ nouam importat perfectionem, ideò ſpecies quodammodo eſt pulchritudo generis: nam quamuis differentia præcisè ſumpta, fortaſsè non ſit ſemper ita perfecta vt genus, de quo infra dicam, tamen ſpecies ſemper eſt perfectior genere, non quidem in eſſe vniuerſalis, & prædicabilis, ſed in ſua entitate reali, & perfectione, quia includit genus, & aliquid aliud, ſcilicet differentiam.

Circa id, quod dicit Porphyr. quòd inferiora non prædicantur de ſuperioribus, quod explicuimus intelligendum eſſe in prædicatione formali, & directa. Obijci poteſt, quia hæc eſt prædicatio formalis, & directa. Numerus eſt par, numerus autem eſt quid ſuperius ad par, quia bene valet; Eſt par: ergo eſt numerus, non tamen è contra; Eſt numerus: ergo eſt par: ergo iam prædicatur inferius de ſuperiori in prædicatione formali.

Reſpondetur, quòd par, vel impar ſumi poſſunt pro numero pari, & impari, & ſic ſunt quid inferius ad numerum in communi, & ita illa propoſitio facit hunc ſenſum. Numerus eſt numerus par, & ita indirecta, ſicut animal eſt homo. Alio modo poſſunt ſumi, par & impar, in quantum ſunt paſſiones numeri, & ita directè non ſunt aliquid inferius ad numerum in communi, ſicut animal directè non eſt aliquid ſuperius ad riſibile, vt riſibile eſt, & ita non prædicatur inferius de ſuperiori, ſed paſſio de ſubiecto: nam paſſio numeri, eſt quid par, vel impar.

Solet etiamm dubitari circa hoc caput, quam definitionem ſpeciei adducat Porph. inter ſe diſtinctam & diuerſam. Et certum eſt Porphy. primo modo definiſſe ſpeciem hoc modo: *Species eſt, quæ ſubiicitur generi & de quo genus ipſum prædicatur.* Vbi definitur ſpecies, vt ſubijcibilis eſt ad genus.

Secundò definitur ſpecies prædicabilis hoc modo: *Species eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.* In quibus verbis certum eſt contineri vnicam tantùm definitionem, qua ſpecies prædicabilis definitur. Solùm ergo eſt dubium, an prior definitio ſit vnica tantùm, vel duplex. Et dicendum eſt eſſe duplicem definitionem, atque adeò adduxiſſe Porphy. tres definitiones ſpeciei diuerſas, ita vt in illis verbis: *Species eſt, quæ ſubijcitur generi*, contineatur vnica definitio, qua ſpecies ſubjcibilis definitur, vt ſubjcibilis eſt in prædicatione ad ipſum genus. Ratio eſt, quia ſi etiam illa priora verba, ſcilicet: *Species eſt, quæ ſubijcitur generi*, explicant reſpectum ſpeciei ad genus in prædicatione

Digitized by Google

tione, non eſſet cur Porphyr. addidiſſet alia verba poſteriora: *Et de qua genus ipſũ prædicatur*, quia iam dictũ erat: ergo ſignum eſt diuerſum reſpectum explicare illa priora verba, ſcilicet ordinem, quem dicit ſpecies ad genus in recta linea prædicamentali: vnde dicendum eſt tres diffinitiones diuerſas adduxiſſe Porphyr.

Sed obijcies, ſicut ſpecies ſubijcibilis habet duplicem habitudinem ad genus, ſcilicet in quantum eſt ſub illo in recta linea prædicamentali, & in quantum ſubijcitur illi in prædicatione, ita ſpecies prædicabilis habet duos alios reſpectus ad indiuidua, in quantum eſt ſuperior illis in recta linea prædicamentali, & in quantum prædicatur de illis: ergo etiam debuit Porphyr. definire ſpeciem prædicabilem duabus definitionibus, ſicut definiuit ſpeciem ſubijcibilem. Reſpondetur non fuiſſe opus, quia explicatis duobus reſpectibus, quos dicit ſpecies ſubijcibilis ad genus per ſuas primas definitiones facilè colligere erat alios duos reſpectus ſpeciei in ordine ad indiuidua.

His circa literam adnotatis, duo à nobis circa hoc caput diſputanda ſunt: Primò de ſpecie prædicabili, & ſubijcibili: ſecundò verò de indiuiduo, hîc enim duo tractat Porphy. in hoc capite.

DISPVTAT. I.

De ſpecie prædicabili, & ſubijcibili.

QVÆST. I.

Vtrum genus, & ſpecies ſint relata.

CONueniunt omnes genus non eſſe relatum ad ſpecies, vt prædicabilis eſt, quia vt ſic, potiùs ſpecies reſpicit indiuidua, de quibus prædicatur, quam genus: vnde ſolùm eſt quæſtio de ſpecie ſubijcibili, ſcilicet an ſit relata ad genus.

Eſt autem ratio dubitandi. Primò, quia relatiua ſunt ſimul tempore, cognitione, & natura; ſed ſpecies, & genus non ſunt ſimul natura: ergo non ſunt relata. Probatur minor, tùm quia genus eſt vniuerſalius ſpecie, vniuerſaliora autem ſunt priora natura, vt docuit Ariſt. 1. Phyſi. tùm etiam, quoniam genus eſt pars ſpeciei; nam ſpecies componitur ex genere, & differentia, pars autem eſt prior natura ſuo toto: ergo.

Secundò, quia vnum relatum non prædicatur de alio, hæc enim eſt falſa, Pater eſt filius: ſed genus prædicatur de ſpecie: ergo non ſunt relata.

Tertiò, quia ſequitur, quòd in genere ſint plures relationes ad ſpecies: & probatur: quia relationes diſtinguuntur per terminos: ſed ſunt plu-

plures ſpecies, ad quas genus refertur: ergo erunt plures relationes, quibus refertur ad illas.

His tamen non obſtantibus, dicendum nobis eſt cum Porphy. in hoc capite, quòd genus, & ſpecies, ſunt relata, non realia, ſed rationis: quam ſententiam Porphyr. expoſitores in hoc capite ſequuntur. Et ratio eſt aperta, quia inter ſuperius & inferius neceſſariò eſt relatio, omne enim ſuperius dicitur tale per relationem ad inferius: ergo ſunt relata inter ſe.

Eſt tamen aduertendum, quòd cum dicimus, genus & ſpecies eſſe relata, non loquimur de ſecundis intentionibus generis, & ſpeciei, quia ſecunda intentio non eſt relata, ſed relatio ipſa, eſt enim relatio rationis; ad eundem modum, quo paternitas non eſt relata, ſed relatio ipſa, quare pater prout dicit concretum ex ſubſtantia, & relatione, eſt relatiuum; ita, quod denominatur relatiuum, eſt ipſum concretum, genus ſcilicet & ſpecies.

Vnde ad rationem dubitandi reſpondetur. Ad primam, quòd ſi genus, & ſpecies ſumantur pro naturis, hoc modo genus prius eſt ſpecie, quia natura generica eſt prior natura ſpecifica; ſi tamen genus, & ſpecies ſumantur, prout etiam dicunt ſecundas intentiones, quæ ſunt relationes, hoc modo ſunt ſimul natura, genus enim dicitur in ordine ad ſpecies, & ſpecies in ordine ad genus. Et eodem modo reſpondetur ad illam probationem, quòd natura generica eſt pars naturæ ſpecificæ, & ita eſt prior illa, tamen loquendo de genere, prout dicit ſecundam intentionem, hoc modo non eſt pars ſpeciei, ſed totum potentiale.

Sed inſtabis contra ſolutionem, quoniam etiam concretum reſultans ex natura generica, & ſecunda intentione, quod eſt genus, eſt prius ſpecie. Et probatur, quia vniuerſaliora ſunt notiora, & priora ex Ariſt. 1. Phyſi. ſed ipſum concretum genus, eſt vniuerſalius ſpecie: ergo adhuc vt ſic, eſt prius illa.

Secundò, quia ſi natura generica eſt vniuerſalior natura ſpecifica, atque adeò prior illa, cum talis natura denominetur vniuerſalis à ſecunda intentione, ſequitur ergo, quòd etiam ſecunda intentio ſit vniuerſalior, ſaltem vt quo, atque adeò quòd ſit prior.

Sed reſpondetur ad primum, quòd quando Ariſt. dicit vniuerſaliora eſſe priora, non loquitur de vniuerſalibus, prout dicunt relationem ad minùs vniuerſalia, quia cum ſic dicantur talia per ordinem ad illa, non poſſunt eſſe ſine minus vniuerſalibus: ſed loquitur pro materiali de ipſa natura vniuerſaliori, ſicut prius, vt prius eſt, non poteſt eſſe prius poſteriori, cum dicatur prius per ordinem ad illud poſterius: ſed

Digitized by Google

ſed natura ipſa, quæ denominatur à relatione prioritatis, eſt prior natura, quæ denominatur à relatione poſterioritatis, non tamen formaliter.

Ad ſecundum reſpondetur verum eſſe naturam genericam denominari vniuerſaliorem à ſecunda intentione generis, inde tamen non probatur, etiam ſecundam intentionem eſſe priorem, niſi ſolùm vt quo, quod abſolutè non eſt eſſe priorem, ſed eſſe id, quo aliud denominatur prius: ſicut relatio prioritatis proculdubio eſt prior, id eſt denominat naturam priorem, tamen non eſt, quod eſt prius.

Ad ſecundam dubitandi rationem reſpondetur, quòd genus non prædicatur de ſpecie ſumptum pro concreto ex natura, & ſecunda intentione generis, ſed ipſa natura generica eſt, quæ prædicatur de natura ſpecifica: natura autem generica, præciſa ſecunda intentione, non eſt relata ad ſpeciem, quoniam ſecunda intentio eſt relatio quædam, quæ denominat illam naturam relatam.

Ad tertium reſpondetur, quòd quamuis genus referatur ad plures ſpecies, tamen vnica relatione refertur ad omnes illas, quia relationes ſolùm diſtinguuntur per terminos adæquatos, terminus autem adæquatus non eſt hæc ſpecies, vel illa, ſed omnes ſimul, ſicut pater habens plures filios, vnica tantum relatione refertur ad illos omnes, tanquam ad terminum adæquatum.

Sed inſtabis adhuc, quia genus, & ſpecies, etiam prout inuoluunt ſecundas intentiones, non ſunt neceſſariò ſimul natura, quia cum iſtæ ſecundæ intentiones ſint ens rationis, cuius totum ſuum eſſe, eſt cognoſci, poteſt cognoſci vna ſecunda intentio, non cognita alia, atque adeò eſſe vna ſine alia: ergo non ſunt neceſſariò ſimul natura. Reſpondetur non poſſe cognoſci vnam ſecundam intentionem ſine alia propter eſſentialem connexionem, quam inter ſe habent, ſicut non poteſt cognoſci paternitas, niſi cognoſcatur filiatio: præſertim, quòd vt ſuprà vidimus tractatu de vniuerſalibus, ad eandem comparationẽ reſultat relatio ſuperioris ad inferius, & inferioris ad ſuperius, & ita ſimul fiunt, & cognoſcuntur.

Ex dictis in hac quæſtione ſequitur, quòd cum genus, & ſpecies ſint relata, optimè Porphyr. definit genus per ſpeciem, & ſpeciem per genus, quia vnum relatiuum debet definiri per aliud, qualiter definitur pater cum dicimus: *Pater eſt habens filium.* Vtrùm verò vnum relatiuum debeat definiri per ſuum correlatiuum, vt correlatiuum eſt, v. g. pater per filium, vt correlatiuus eſt, vel vt abſolutus eſt, atque adeò quaſi materialiter per filium, non eſt huius loci, pendet enim ex illa parte: Vtrùm

Digitized by Google

Vtrùm relatiua terminentur ad alia, vt correlatiua ſunt, vel vt abſoluta, de qua agemus c. de relatione. Et iuxta diuerſas opiniones diuerſimodè loquendum eſt in hac definitione: nam cum vnum relatiuum definiatur per aliud in quantùm terminat relationem alterius, ſi terminat, vt abſolutum, dicendum eſt eſſe definiendum per aliud relatiuum, non vt relatiuum eſt; ſed vt abſolutum eſt: ſi verò terminat, vt relatiuum, dicendum eſt definiri per illud, vt relatiuum: tamen quòd vnum relatiuum debeat definiri per aliud, abſolutè loquendo, eſt ratio certiſſima, quam docuit Ariſt. 6. Topic. c. 2. & ſecundo de ani. cap. 4. vbi dicit potentias eſſe definiendas per obiecta, quia dicunt ordinem, & relationem ad obiecta. Et ratio eſt aperta, quia definitio debet explicare naturam, & eſſentiam rei: ſed eſſentia relatiui, vt ſic, eſt quòd dicat ordinem ad aliud, ergo debet definiri in ordine ad illud, atque adeò per ſuum relatiuum.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd entia ſunt in triplici differentia, alia ſunt omninò abſoluta, id eſt, quæ non pendent ex alio, nec tanquam ex ſubiecto, nec tanquam ex termino, ad quem referuntur, quales ſunt omnes ſubſtantiæ completæ, vt homo, & equus, & quia hi non dicunt ordinem ad extrinſecum, definiuntur per ſua intrinſeca, & eſſentialia prædicata, & ita definitur homo, quòd ſit animal rationale, in quo nullus ordo ad extrinſecum reperitur. Alia verò ſunt entia, quę quamuis abſolutè loquẽdo appellentur abſoluta, tamen etiam important ordinem ad aliquod extrinſecum, tanquam ad ſubiectum, qualia ſunt omnia accidentia, quæ neceſſario dicunt ordinem ad ſubiectum, quia natura ſua ſunt affectiones ſubiecti. Tandem alia ſunt entia, quæ dicunt ordinem ad aliud extrinſecum tanquam ad terminum, qualia ſunt entia relatiua, verbi gratia pater importat ordinem ad filium. Hæc ergo entia quæ natura ſua dicunt ordinem ad extrinſecum, ſcilicet tanquam ad ſubiectum, & tanquam ad terminum, neceſſariò definienda ſunt per illud extrinſecum, ad quod dicunt ordinem; quam definitionem Ariſtot. 7. Met. text. 17. appellat definitionem per additamentum.

Neque exiſtimandum eſt huiuſmodi definitiones per additamentum non poſſe eſſe eſſentiales, & quidditatiuas, vt malè ſenſit Soncin. 7. Metaph. quæſt. 6. Et ratio eſt, quia illa eſt definitio eſſentialis, quæ explicat eſſentiam, & quidditatem rei: ſed eſſentia horum entium eſt dicere ordinẽ ad extrinſeca, verbi gratia, eſſentia patris, vt pater eſt, dicere ordinem ad filium: ergo definitio, quę datur per tale extrinſecũ,

Q quam-

quamuis ſit per additamentum, verè, & propriè eſt eſſentialis, quia explicat eſſentiam rei.

Sed contra hanc doctrinam in primis poteſt obijci, quia ſequitur idem definire ſe ipſum. Et probatur ex Ariſt. 1. qui docet loco nominis definientis licere poni eius definitionem, vt quando definitur homo, loco animalis, licebit ponere eius definitionem, vt ſi dicamus: Homo eſt viuens, ſenſibile, rationale: ergo ſi vnum relatum definitur per aliud, vt cum dicimus: Pater eſt habens filium, loco filij, licebit ponere eius definitionem, quia filius eſt habens patrem, vnde licebit dicere cum definimus patrem hoc modo: Pater eſt habens eum, qui habet patrem, & ita pater iam definitur per ſe ipſum.

Secundò, quia committeretur circulus in talibus definitionibus: nam ſi pater definitur per ſe ipſum, & filius per patrem, committitur circulus.

Tertiò, quia ſequitur quòd vnum relatum ſit notius alio, atque adeò, quòd non ſint ſimul natura, tempore, & cognitione. Et probatur, quia definitio debet eſſe notior ſuo definito: ergo etiam partes definitionis illam integrantes, debent eſſe notiores definito: ergo cùm vnum relatum ſit pars definitionis alterius, iam ſequitur eſſe notius alio.

Et confirmatur, quia ſi vnum relatum ponitur in definitione alterius, ſequitur quod idem ſit notius, & ignotius reſpectu eiuſdem. Et probatur: quia quando pater definitur per filium, pater eſt notior filio, quia eſt pars definitionis filij: ergo iam idem filius reſpectu patris eſt notior, & ignotior, quod eſt impoſſibile.

Quartò, quia partes ſunt priores natura ipſo toto: ergo ſi vnum relatum eſt pars definitionis alterius, erit prius definitione alterius, atque adeò erit prius altero.

Sed vt hæc omnia facili negotio ſoluantur, ſupponenda eſt doctrina, quam infrà capite de relatione tradernus, ſcilicet quòd vnum relatum non terminat relationem alterius in quantum relatum eſt, ſed ſecundum ſuam entitatem abſolutã, quam habet, verbi gratia, quando pater refertur ad filium, non reſpicit illum, in quantum filius eſt relatus ad patrem, ſed ſecundum quòd filius eſt aliquid abſolutum, non explicatũ nomine relatiuo, & ita refertur ad illum in quantum filius eſt quædam ſubſtantia, quod ibi latè probabitur.

Ex quo fit, quod cum vnum relatum ponatur in definitione alterius ſecundum quòd terminat relationem illius, ideò quia non terminat illam vt relatiuum, ſed vt abſolutum, non debet poni vnum relatum in definitione alterius, vt relatiuum eſt,

eſt, ſed vt abſolutum, & ita abſque eo quòd in definitione patris ponatur filius ſub hoc nomine relatiuo, definitur pater optimè, hac ratione: *Pater eſt qui genuit ſubſtantiam viuentem*, quando ponitur filius ſub hoc nomine in definitione patris non ſumitur formaliter, vt filius relatiuus, ſed vt abſolutus, vt eſt quædam ſubſtantia genita: & idem eſt de quauis alia definitione relatiui.

Hoc iacto fundamento facillimè ſoluentur argumenta adducta: vnde ad primum reſpondent aliqui, quòd quando Ariſtot. dixit, loco nominis definientis licere ponere eius definitionem, debet intelligi in abſolutis, non verò in relatiuis, quia hæc definiuntur per extrinſeca. Sed hæc ratio nihil valet, quia etiam ſunt aliqua abſoluta, quæ definiuntur per extrinſeca, qualiter omnia accidentia, quantumuis abſoluta, definiuntur per ſubiectum.

Secundò, quia definitum, & nomen definiti, idem prorſus ſignificant, vt homo, & animal rationale, ſolum differunt in modo ſignificandi, nam quòd nomen dicit implicite, & in confuſo, explicat definitio clarè, & apertè: ergo ſemper loco nominis definientis licet ponere eius definitionem, cum idem perfectiori modo explicet definitio: & ita exiſtimo regulam illam Ariſt. nō ſolùm nō eſſe limitandã, ſed vniuerſaliter intelligendam, vt ab illo eſt prolata.

Vnde ad argumentum reſpondetur negando, quod idem definiatur per ſe ipſum: nam quamuis in definitione patris, loco filij ponatur definitio eius: quia filius non definitur per patrem ſecundum quòd pater eſt relatiuum, qua ratione definitur in priori definitione; ſed ſecundum quòd eſt aliquid abſolutũ, ideò non definitur idem per ſe ipſum, quia definitur, vt relatiuum, & in definitione filij ſolùm ponitur vt abſolutus eſt, qualiter etiam filius non definitur per relatiuum, vt relatiuus eſt, ſed vt abſolutus, ſcilicet vt eſt quædam ſubſtantia genita.

Ad ſecundum reſpondetur eodem modo, quòd non committitur circulus; nam pater vt relatiuus eſt, definitur per filium, vt abſolutus eſt, & filius vt relatiuus eſt, definitur per patrem, vt abſolutus eſt, & non committitur circulus, quia non definitur pater, vt relatiuus, per ſe ipſum, vt relatiuum, ſed vt abſolutum.

Ad tertium reſpondetur primò, quòd quamuis vnum relatiuum definiatur per aliud, vt per notius, non ſequitur, quòd vnum relatum ſit notius alio, quia non definitur per aliud vt relatum, ſed vt abſolutum.

Vel ſecundò reſpondetur negando, quod quamuis vnum relatiuum

Digitized by Google

definiatur per aliud, illud per quod definitur, ſit notius alio; ſed potius eſt ignotius. Cuius ratio eſt, quia quamuis tota definitio debeat eſſe notior definito, non tamen quælibet pars eius, ſed omnes ſimul ſumptæ.

Et eodem modo reſpondetur ad confirmationem negando, quòd idem ſit notius, & ignotius reſpectu eiuſdem. Primò quia non opus eſt quamlibet definitionis partem eſſe notiorem definito.

Secundò, quia cum vnum relatiuũ nõ definiatur per aliud in quãtum relatiuum, ſed in quantum abſolutum, ſolum probatur quòd pater, v. g. in quantum definitur, qua ratione eſt quid relatiuum, ſit ignotior, & in quantum definit filium, qua ratione eſt quid abſolutum, ſit notior, & ita non ſecundùm eandem rationem.

Ad quartum non probari quòd relatiua, vt relatiua ſunt, non ſint ſimul; quia quamuis filius, prout definit patrem, ſit prior illo, tamen vt ſic non eſt filius relatiuus, ſed abſolutus: vnde non probatur, quòd relatiua, vt relatiua ſunt, non ſint ſimul.

QVÆST. II.

Quid ſit ſpecies prædicabilis & ſubijcibilis, & qualiter ſe habeant.

PRo intelligentia quæſtionis aduertendum eſt id, quod ſuprà dicebamus, ſpeciem ſcilicet ſubijcibilem eſſe illam, quæ generi ſubijcitur, habet autem duos reſpectus ad genus: alterum eſſentialem, quatenus eſt illi inferior in recta linea: alterũ quatenus eſt veluti paſſio cõſequẽs, in quantum ſubijcitur illi in prædicatione. Similiter ſpecies prædicabilis duplicem reſpectum importat ad indiuidua: alterum eſſentialem, in quantum eſt apta nata eſſe in illis: alterum accidentalem, in quantum eſt apta nata prædicari de illis.

Secundò notandum eſt, quòd quamuis ratio ſpeciei prædicabilis, & ſubijcibilis reperiatur ſimul in ſpecie infima, hæc enim ſimul eſt prædicabilis de indiuiduis, & ſubijcibilis generi; tamen abſolutè loquendo ſpecies ſubijcibilis non eſt neceſſariò connexa cum ſpecie prædicabili, vt patet in ſubalterna, hæc enim quamuis ſit ſubijcibilis reſpectu ſuperioris, vt animal reſpectu corporis, tamen reſpectu inferioris non eſt ſpecies, ſed genus, quia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie.

Dubium ergo eſt, qualiter dicatur ſpecies in communi de prædicabili,

Digitized by Google

cabili, & ſubijcibili: quibuſdam videtur, quòd dicatur æquiuocè de illis, ſed non placet, quia nomen commune æquiuocum impropriè dicitur de altero membro, vt homo de homine picto, & vero: at verò tam ſpecies prædicabilis, quàm ſubijcibilis verè, & propriè eſt ſpecies. Quare dicendum eſt dici analogicè de illis. Ratio eſt, quia nomen ſpecies ſignificat pulchritudinem, vt optimè notauit Porphy. hoc capite, & eadem ratione Ariſt. 2. Phyſi. formam vocauit ſpeciem, in quantum dat pulchritudinem, & eſſe rei, & idem repetit. 5. Met. c. 2. & 9. & 7. Met. c. 11. differentias appellat ſpecies, quia ornant genus contrahendo illud ad determinatam ſpeciem, quia ergo natura ſpecifica eſt pulchritudo generis, ideò ſpecies ſubijcibilis nomen ſpeciei ſortita eſt, & quia eadem natura ſpecifica eſt de eſſentia indiuiduorum, atque adeò pulchritudo illorum, ideò etiam ſpecies prædicabilis, quæ refertur ad indiuidua ſpecies appellatur, & ita ſpecies in communi analogicè dicitur de vtraque, in quantum vtraque quodammodò eſt pulchritudo.

Sed aduertendum eſt, reſpectus iſtos ſpeciei prædicabilis & ſubijcibilis, quamuis conueniant eidem naturæ ſpecificæ, v.g. homini, non tamen conuenire eidem ſpeciei formaliter ſumptæ, vt malè Caleta. hîc opinatur. Ratio eſt, quia cum iſti reſpectus, ſint valdè diuerſi, & veluti diſparati, conſtituunt duas ſpecies omninò formaliter diuerſas, quarum vna non eſt de conceptu alterius, vt ſic, nec è contra.

Secundò dubitari poteſt in hac quæſtione vtrum ſpecies, quatenus ſubijcibilis eſt, ſit vniuerſalis: nam Card. Tolet. hîc exiſtimat ſpeciem ſubijcibilem, vt ſic eſſe vniuerſalem eſſentialiter. Et probari poteſt hæc ſententia: Primò, quia ſpecies ſubijcibilis prędicatur de hac, & illa ſpecie ſubijcibili: ſicut homo de hoc, & de illo homine: ergo eſt vniuerſalis.

Secundò, quia omne inferius eſſentialiter participat rationem ſui ſuperioris, qualiter homo eſſentialiter eſt animal, ſed ſpecies eſſentialiter continetur ſub vniuerſali, quod diuiditur in quinque prædicabilia: ergo etiam quatenus eſt ſubijcibilis illi, participat rationem illius, atque adeò eſt vniuerſalis.

Tertiò, quia ſpecies ſubijcibilis dicit naturam abſtractam à conditionibus indiuiduantibus, aliàs nihil differret inter ſpeciem ſubijcibilem, & indiuidua: ſed natura abſtracta à conditionibus indiuiduantibus eſt vniuerſalis: ergo ſpecies ſubijcibilis, vt ſic, eſt vniuerſalis.

Contraria tamen ſententia, quæ cõmunis eſt inter expoſitores, à nobis tenenda eſt, ſcilicet ſpeciem ſubijcibilem, vt ſic, non eſſe eſſentialiter vniuerſalem, ſed ſolùm accidentaliter,

ter,& denominatiuè. Pro cuius intelligentia notandum eſt, ſpeciem ſubijcibilem poſſe conſiderari duobus modis. Primò ſecundum ea, quæ habet ex ſua eſſentia,& vt ſic tantùm habet ſubjci generi, vt homo ex ſua eſſentia tantùm habet eſſe animal rationale, ſed ſicut homo accidentaliter denominatur ſpecies vniuerſalis reſpectu huius,& illius hominis per quandam ſecundam intentionem ſpeciei illi ſuperadditam; ita ſpecies ſubijcibilis accidentaliter denominatur vniuerſalis reſpectu huius,& illius ſpeciei ſubijcibilis. Tamen quòd eſſentialiter, vt ſubijcibilis eſt, non ſit vniuerſalis. Probatur, quia vniuerſale reſpicit inferiora, in quibus eſt; ſed ſpecies, vt ſubijcibilis, non reſpicit inferiora, ſed ſuperius, cui ſubijcitur: ergo vt ſic, non eſt eſſentialiter vniuerſalis,

Secundò, quia vniuerſale, vt ſic, eſt quoddam totum potentiale continens inferiora, ſed ſpecies ſubijcibilis, vt ſic, potiùs eſt pars ſubiectiua generis, ſub quo continetur: ergo, vt ſic, non eſt eſſentialiter vniuerſalis.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpon. Ad primum verum eſſe ſpeciem ſubijcibilem prædicari de hac,& illa ſpecie ſubijcibili, inde tamen ſolùm probatur eſſe vniuerſalem accidentaliter, & denominatiuè per quandam ſecundam intentionem ſpeciei ſuperadditam, ſicut homo, quamuis prædicetur de hoc,& illo homine, ſolùm habet eſſe vniuerſale per accidens, & denominatiuè: vnde ſicut hæc prædicatio eſt accidentalis,& pertinẽs ad quintũ prędicabile; Homo eſt ſpecies, ita hæc ſpecies ſubijcibilis eſt vniuerſalis, quia eſſentialiter ſolùm habet ſubijci alteri.

Ad ſecundum reſpondetur verum eſſe, quod omne inferius eſſentialiter participat rationem ſuperioris,& ita ſpecies ſubijcibilis eſſentialiter eſt vniuerſalis, ſed non in quantum ſubijcibilis eſt, ſed in quantum dicit ordinem ad ſua inferiora, ſicut homo eſſentialiter participat rationem animalis, ſed non prout ſubijcitur animali, quia ſubijci animali, eſt quid rationis, quod ſolùm homo habet per intellectum: at verò eſſe animal, eſt quid reale habens eſſe à parte rei, ita ſimiliter ſpecies, quæ eſt contenta ſub vniuerſali in communi, eſſentialiter eſt vniuerſalis, ſed nõ in quantum ſubijcitur illi. ſed in quantum reſpicit ſua inferiora.

Sed inſtabis: ſpecies in tantum participat genus, in quantum reſpicit illud, ſed ſpecies, vt reſpicit vniuerſale, eſt ſubijcibilis: ergo vt ſic participat rationem vniuerſalis. Reſpondetur negando maiorem, imò ideò ſpecies, reſpicit ſuum ſuperius, quia participat illud, quia refertur ad illud, tanquam ad id, quod participat; atque adeò prius ratione

eſt,

Digitized by Google

eſt, ſpeciē eſſe vniuerſalem per ordinem ad ſua inferiora, quàm reſpicere vniuerſale in communi, tanquam id, cui ſubijcitur.

Ad tertium reſpondetur verum eſſe, ſpeciem ſubijcibilem pro materiali importare naturam quandam communem, & abſtractam à conditionibus indiuidualibus; in quo diſtinguitur ab indiuiduo, tamen quòd hæc natura denominetur vniuerſalis, non habet à ſecunda intentione ſubijcibilitatis, quia per hanc potiùs habet ſubijci ſuo ſuperiori, vt homo ſubijcitur animali, tamen per aliam ſecundam intentionem, qua denominatur à ſecunda intentione ſubijcibilis, habet eſſe vniuerſalis, ſicut lac ſimul eſt dulce, & albū: tamen non eſt dulce quatenus denominatur ab albedine, ſed à dulcedine.

Tertiò dubitari poteſt in hac quæſtione, an ſicut ſunt quinque prædicabilia, ſint etiam quinque ſubijcibilia, & quæ illa ſint. Reſpondetur eſſe quinque ſubijcibilia, ſicut prædicabilia ſunt quinque. Ratio eſt, quia prædicabile, & ſubijcibile ſunt relatiua, ita quòd prædicabile ſit relatiuum ad ſubijcibile, ſed relationes diſtinguuntur penes terminos; ergo ſi ſunt quinque prædicabilia diuerſa, etiam debent eſſe quinque ſubicibilia diuerſa, & ita ſpecies eſt ſubijcibilis generi, indiuiduum eſt ſubijcibile ſpeciei, & ſubijcibile differentiæ, ſunt plura illa, ſiue ſpecie, ſiue numero diuerſa, de quibus prædicatur differentia, & idem eſt de quouis alio prædicabili, nam illud, de quo aliquid prædicatur, eſt ſubijcibile illius.

Qvæst. III.

Vtrùm definitio ſpeciei prædicabilis ſit exacta.

In hac generali quæſtione plures particulares inuoluuntur, nam in primis poſſet hic inquiri, quod ſit definitū in definitione ſpeciei prædicabilis, quę in hunc modum ſe habet: *Species eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid eſt.* In qua re dicendum eſt, definitum non eſſe tantùm ſecundam intentionem ſpeciei, neque tantùm naturam ſpecificam, ſed eſſe concretum ipſum, quod eſt ſpecies reſultans ex natura ſpecifica, & ſecunda intentione, ſicut in ſimili diximus in capite de genere, definitum in definitione illius eſſe ipſum concretum, quod eſt genus. Legantur ibi dicta, & hic in ſimili applicentur, & ita dicendum eſt conſequenter, ſicut ibi diximus, definitionem iſtam non debere intelligi, de prædicari vt quo, ſed vt quod, vt ibi, tùm ex ratione, tùm ex mente Porphyrij probauimus.

Poſſet ſecundò dubitari, quod ſit genus

Digitized by Google

genus in hac definitione. In qua re dicendum eſt, ſicut diximus in definitione generis, hanc definitionem non conſtare vero genere, neque vera differentia, ſed poni naturam ſpecificam loco generis: legantur etiam ibi dicta, & hîc in ſimili applicentur.

Tertiò poſſet dubitare aliquis, vtrũ hæc definitio ſit quidditatiua, vel deſcriptiua. In qua re eodem modo dicendum eſt, ſicut diximus in definitione generis, hanc definitionem eſſe deſcriptiuam, quia explicat paſſionem ſpeciei, quæ eſt prędicari de multis differentibus numero in eo quod quid, eſſentia verò ſpeciei eſt eſſe in multis differentibus numero. Legantur etiam ibi dicta, & hîc applicentur.

Quartò poſſet dubitari, vtrum hæc definitio conueniat ſpeciebus tantùm habentibus vnicum indiuiduum, vt naturis Angelicis. Reſpondetur affirmatiuè. Cuius ratio non eſt illa, quæ communiter afferri ſolet, ſcilicet, quia iſtæ naturæ concipiuntur, ſaltem ab intellectu per modum naturæ corporeæ, cui non repugnat habere plura indiuidua, ſaltem de potentia abſoluta, & ita poſſunt prædicari de pluribus differentibus numero. Legantur plura ſuprà de hac re dicta tractatu de vniuerſalibus d. 2. q. vltim.

Quintò dubitari poſſet, vtrùm Deus poſſit denominari ſpecies, de quo etiam ibi dixi.

Sextò poſſet dubitari, vtrùm naturæ incompletæ, vt anima rationalis, poſſint denominari directè, & completè ſpecies ad hanc, & illam animam rationalem. Reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, quia quamuis iſtæ naturæ de ſe ſint aliquid incompletum in ſua entitate, tamen habent vniuerſalitatem completam, & veram reſpectu ſuorum inferiorum, quia verè, & propriè anima rationalis eſt apta nata eſſe in pluribus animabus, & ita eſt verè, & propriè vniuerſalis, vt latiùs loco citato oſtendi, & modo ſe offert aptiſſimum exemplum, ad rem hanc explicandam, nam ſicut manus, v.g. licèt in ſe ſit aliquid incompletum, quia eſt pars hominis, tamen albedo, quæ reperitur in illa, eſt completa, & vera albedo habens integram albedinis eſſentiam, ita quamuis anima ſit in ſe entitas incompleta, tamen vniuerſalitas, quæ eſt in illa completa eſt, quia verè, & propriè anima eſt ſuperior ad inferiores animas.

Prætereà, quia differentia, v.g. rationale, etiam eſt aliquid incompletum, quia eſt pars eſſentialis hominis, cum hoc tamen directè denominatur prædicabilis: ergo ſimiliter dicendum eſt de anima rationali, & quauis alia natura incompleta.

Nam ſi dicas, quòd differentia habet rationem totius reſpectu ſuorum inferiorum, de quibus prædicatur,

tur, etiam anima rationalis eſt totum potentiale reſpectu particularium animarum, quas continet in confuſo, & ad quas eſt contrahibilis. Neque mirum eſt aliquid directè poni in prędicabilibus, quod directè non ponatur in prædicamentis, vt eſt manifeſta inſtantia in differentia, quæ directè ponitur in prædicabilibus, tamen directè non ponitur in prædicamentis. Denique de hac re legantur ſuprà dicta loco citato.

Septimò dubitari poteſt, qualiter genus, v. g. animal, prædicetur de differentibus numero, vt de Petro, & Paulo prædicatur animal, ſed de hoc diximus ſuprà, cap. de genere quæſt. 4.

Octauò poſſet dubitari, vtrum ſpecies ſit ſpecies infima vniuerſalis, vel potius ſubalterna. In qua re dicendum eſt ſicut in ſimili dixi c. de genere, ſpeciem prædicabilem eſſe ſpeciem infimam vniuerſalis. Ratio eſt, quia quamuis naturæ ſpecificæ materialiter ſint diuerſæ ſecundum ſpeciem, vt homo & equus, tamen ſecunda intentio ſpeciei denominans illas, eiuſdem eſt ſpeciei, quia vtrobique eſt ratio prædicandi de differentibus numero, ſicut albedo in homine, & in equo, eſt eiuſdem ſpeciei, quamuis ſubiecta illius, nempè homo, & equus, ſint diuerſæ ſpeciei, & ita iſtæ prædicationes: Hęc ſpecies eſt ſpecies, & hæc: Species eſt ſpecies, ſunt prædicationes ſecundi prædicabilis, quia tantùm prædicatur ſpecies de differentibus numero. Legantur ſuprà dicta in ſimili capite de genere quæſt. 1.

QVÆST. IV.

Vtrùm ſpecies componatur ex genere, & differentia, & qualis ſit hæc compoſitio.

HÆc quæſtio non procedit de ſecundis intentionibus, ſcilicet an ſecunda intentio ſpeciei, componatur ex ſecunda intentione generis & ſecunda intentione differentiæ. Ratio eſt, quia cùm iſtæ tres ſecundæ intentiones ſint inter ſe diuerſæ ſpeciei, & conſtituant diuerſa prædicabilia totalia, & in ſpecie diſtincta, non poteſt vna ſecunda intentio componere aliam, cum ſint ſpecies totales inter ſe diuerſæ, Verum eſt, quòd in vna, & eadem ſecunda intentione, v. g. ſpeciei, eſt diſtinguere rationem ſuperiorem, & genericam ſecundæ intentionis, & rationem differentialem talis ſecundæ intentionis, ad modum, quo in naturis realibus diſtinguimus rationem ſuperiorem, & inferiorem: ſolùm ergo procedit quæſtio de naturis denominatis, an ſcilicet natura ſpecifica, v. g. homo, componatur ex natura generica animalis, & ex natura differentiali rationalis.

Pro cuius intelligentia notandum

dum eſt, quòd iſtæ naturæ, ſcilicet natura ſpecifica, generica, & differentialis, appellantur conceptus obiectiui, ſecundum quòd ab intellectu concipiuntur, quia cum ſint obiectum cognitum, appellantur conceptus obiectiui, conceptus verò formalis eſt verbum mentis, & imago illa, quam intellectus format, dum concipit obiecta ipſa, & ita appellatur conceptus formalis, quia cum imago præſeferat quandam formam rei, verbum, & imago formata de re ipſa appellatur conceptus formalis. Duo ergo examinanda ſunt in præſenti queſtione. Primò vtrum conceptus obiectiuus qui eſt natura ſpecifica, componatur ex conceptu obiectiuo generis, & differentiæ, id eſt ex natura generica, & differentiali.

Secundô an etiam hæc compoſitio fiat ſecundum conceptus formales, id eſt, an imago, ſeu verbum repræſentans ſpeciem componatur ex imagine partiali generis, & ex imagine partiali differentiæ, ita vt ſit vnica imago totalis ſpeciei in intellectu integrata ex imaginibus partialibus generis, & differentiæ.

Circa primum notandum eſt, quòd compoſitio nihil aliud eſt quàm diſtinctorum vnio, & hæc eſt duplex: alia realis, alia verò rationis. Cōpoſitio realis eſt vnio diſtinctorum realiter, qualiter ex materia, & forma fit compoſitio realis, quia materia & forma diſtinguuntur realiter: Compoſitio verò rationis eſt vnio diſtinctorum ratione, neque appellatur compoſitio rationis, quia extrema componentia ſint entia rationis, quia, vt ſtatim dicam, adhuc in natura reali ſpecifica eſt compoſitio rationis ex natura reali generica, & differentiali: ſed appellatur compoſitio rationis, quia diſtinctio requiſita ad compoſitionem inter talia extrema, non eſt realis, ſed rationis, quamuis extrema ipſa, inter quæ intellectus diſtinguit, ſint realia, ſicut actio & paſſio, quid reale ſunt, diſtinctio tamen inter actionem, & paſſionem quid rationis eſt.

Hoc ſuppoſito, conueniunt omnes naturam ſpecificam componi ex natura generica, & differentiali, v.g. homo componitur ex animali & rationali, & per conſequens huiuſmodi compoſitiones fieri ſecundum conceptus obiectiuos, ita quòd conceptus obiectiuus ſpeciei, v.g. homo componatur ex conceptu obiectiuo generis, & differentiæ, ſcilicet ex animali, & rationali: eſt enim aperta doctrina Ariſ.7. Met. in principio, vbi docet ſpeciem componi ex genere & differentia, ſicut & definitio ipſa componitur. Idem docuit S. Tho. ibidem de ente & eſſentia cap.3. & ibidem Caiet, quos omnes ſequuntur.

Et ratione probatur, quia vt optimè

Digitized by Google

timè docuit Ariſtot. 8. Met. c. 6. text. 15. & 16. compoſitio fit ex partibus, quæ habent rationem actus & potentiæ, v. g. materia, & forma, faciunt compoſitionem, quia materia, eſt pura potentia in ordine ad formam, & forma eſt actus actuans iſtam potentiam, atque adeò ita interſe adaptantur, vt componant vnum totum; ſed genus, & differentia habent rationem actus, & potentiæ: nam genus eſt quid contrahibile, & perfectibile per differentias, differentia verò eſt veluti quidam actus perficiens ipſum genus: ergo genus & differentia componunt aliquod tertium, ſcilicet ſpeciem: & hinc Ariſto. 5. Met. c. 28. & lib. 8, c. vltimo, genus appellat materiam, & differentiam formam, quia ſe habent per modum potentiæ, & actus.

Solùm ergo eſt controuerſia apud autores vtrum compoſitio iſta, qua ſpecies componitur ex genere, & differentia, ſit compoſitio realis, an verò rationis. In qua re omnes illi, qui exiſtimant genus, & differentiam diſtingui ex natura rei, quos ſuprà retulimus in capite de genere q. 2. conſequenter fatentur compoſitionem iſtam eſſe realem, quia eſt compoſitio partium diſtinctarum ex natura rei.

Et probari poteſt hæc ſententia, quia vt habet commune axioma, de quo poſt à dicemus: *Genus ſumitur à materia, & differentia à forma*: ſed materia, & forma faciunt compoſitionem realem: ergo ſimiliter genus, & differentia.

Contraria tamen ſententia, quæ vera, & communis eſt, nobis tenenda eſt, ſcilicet compoſitionem, qua ſpecies componitur ex genere, & differentia, non eſſe compoſitionem realem, ſed rationis, & idem eſt de definitione, quæ etiam componitur ex genere, & differentia. Quam ſententiam tuentur omnes autores, qui tenent genus, & differentiam non diſtingui ex natura rei, quos loco citato retulimus. Tenet etiam S. Tho. de ente, & eſſentia c. 3. vbi dicit, quòd ſpecies non componitur ex genere, & differentia tanquàm tertia res ex duabus rebus, ſed tanquam tertius conceptus ex duobus conceptibus, Et ratio eſt, quia cum compoſitio ſit diſtinctorum vnio, compoſitio realis eſt diſtinctorum vnio realiter: ſed genus, & differentia non diſtinguuntur realiter, vt latè oſtendimus c. de genere loco citato: ergo non faciunt compoſitionem realem, ſed rationis, quia quamuis vtraque pars componens, nempè natura generica, & differentialis, realis ſit, tamen non diſtinguuntur ex natura rei, quod requiritur ad diſtinctionem realem, & ita ſolùm faciunt compoſitionem rationis, quæ appellatur compoſitio Metaphyſica.

Ex dictis ſequitur, quòd ſicut ſpe-

Digitized by Google

cies infima, v.g. homo, componitur ex genere & differentia, ita etiā ſpecies ſubalterna, v.g. animal componitur ex genere, & differentia: nam viuens eſt genus ad animal, differentia verò eſt ſenſibile, ex quibus duobus integratur animal. Sequitur ſecundò, quod in Deo non reperitur compoſitio rationis ex genere, & differentia, & tamen in Deo eſt compoſitio rationis ex ratione ſuperiori, & inferiori, quia in illo eſt diſtinguere rationem ſubſtantiæ abſolutè, & rationem talis ſubſtantiæ.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur, quòd quamuis genus ſumatur à materia, & differentia à forma, de quo ſuo loco dicetur, non ſequitur, quòd ſicut materia, & forma, diſtinguuntur realiter, & faciunt compoſitionem realem, ita genus & differentia, quia quamuis genus, & differentia ſumantur in ordine ad res diſtinctas, poſſunt eſſe idem inter ſe, v. g. actio ſumitur penes ordinem ad agens, & paſſio penes ordinē ad paſſum, cum tamen hoc, quamuis agens & paſſum realiter diſtinguantur, tamen actio, & paſſio ſunt idem ſecundum rem.

Et ſi inquiras, an in compoſitione ſpecici præſtantior pars ſit genus, quàm differentia, vel è contra: reſpondetur, vt in plurimum, differentiam eſſe perfectiorem genere, qualiter rationale ſecundum ſuum conceptum formalem eſt quid præſtantius, quam animal, quia rationale eſt principium perfectioris operationis, ſcilicet ratiocinandi, quod non habet animal, cum hoc tamen aliquando genus eſt pręſtantius, quā differentia, qualiter in animalibus imperfectis, v. g. in reptilibus, animal, quod eſt genus, quid præſtantius eſt, quàm differentia, quia ex cōceptu animalis oriuntur perfectiores operationes, quas in illis experimur, vt ſentire, cognoſcere, &c. Ex ratione verò differentiali nulla ita perfecta oritur, & ita à poſteriori colligimus, in his genus eſſe quid præſtantius, quàm differentiā: addo tamen ſpeciem ſemper eſſe perfectiorem, quia cum componatur ex genere, & differentia, dicit perfectionem generis, & aliquid aliud, ſcilicet differentiam.

Sed obijcies: Ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe, quia vnum per ſe reſultat ex actu, & potentia; ſed genus, & differentia ſunt entia in actu, quia tam animal, quàm rationale, includunt aliquem actum: ergo ſpecies ex illis reſultans non poteſt eſſe vnum per ſe. Reſpōdetur, quòd cum dicitur: Ex duobus entibus in actu non poteſt fieri vnum per ſe, ſenſus eſt, id eſt, ex duobus entibus perfectis, & in ſpecie infima conſtitutis: animal autem non eſt aliquid in ſpecie infima conſtitutum, ſed quid per ſe contrahibile per diffe-

Digitized by Google

differentias, & ita cum illis facit vnum per ſe.

Secunda difficultas in hac quæſtione examinanda erat; an etiam hæc compoſitio ſpeciei poſſit fieri ſecundum conceptus formales, id eſt, an conceptus, ſeu imago illa, quæ repræſentat in intellectu ſpeciem, verbi gratia, hominem, componatur ex duplici imagine partiali, quarum altera repræſentet genus, ſcilicet animal, altera verò differentiam, ſcilicet rationale, ex quibus duabus imaginibus ſpecialibus componatur vna totalis imago repræſentans ſpeciem. Quæ res non parum difficilis propriam habet ſedem in lib. de anima, & ita ſatis commodè hic explicari non poteſt: dicam tamen vnum verbum, ne hoc omninò intactum relinquatur.

Duæ ſunt opiniones in præſenti difficultate. Prima aſſerit, conceptũ formalem repræſentantem eſſe imaginem tam ſimplicem, quàm indiuiſibilem, per quam indiuiſibiliter repræſentetur tam genus, quàm differentia. Cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia ſi genus, & differentia ſunt idem ſecundum rem, ita vnica imagine ſecundum rem indiuiſibili repræſentatur, & ita conceptus formalis.

Secunda opinio aſſerit, conceptum ſpeciei non eſſe qualitatẽ ſimplicem, ſed realiter compoſitam ex duplici conceptu partiali generis, & differentiæ. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia diſtinctio rationis in obiectis ſufficit, vt ſcientiæ, quæ circa illa obiecta verſantur, diſtinguantur realiter, qualiter dicebamus ſupra, Phyſicam, & Metaphyſicam eſſe diuerſas ſcientias, quamuis diſputent de eodem ente: ita quamuis genus, & differentia ſint idem ſecundum rem: quia tamen ſunt obiecta formaliter diuerſa, poſtulant diuerſas imagines realiter diſtinctas, per quas repræſententur, ex quibus integretur vnica totalis imago ſpeciei; vel ſolùm habeant inter ſe vnitatem ordinis, qualiter exercitus appellatur vnus, non quia milites habeant inter ſe Phyſicam vnionem, ſed quia ſunt vnum ordine quodam: & quia non poteſt hoc loco iſtud ita exactè explicari, ideò nunc dico, vtramque iſtam opinionẽ eſſe probabilẽ, quæ verò ſit probabilior, ibi dicam in proprio loco.

Solùm hic aduertendũ eſt, quòd quando communiter dicitur, conceptum eſſe qualitatem, ſermo eſt de conceptu formali; nam cum iſta ſit imago quędã repræſentans rem intellectam, eſt qualitas: conceptus verò obiectiuus, cùm ſit res ipſa intellecta, ſi res intellecta eſt ſubſtantia, talis cõceptus eſt ſubſtantia: ſi verò res intellecta eſt accidens, talis cõceptus eſt accidens, quia eſt res ipſa cognita. Et hæc de hac quæſtione, & diſputatione.

DISPVT. II.
De indiuiduo.

QVoniam ſpecies, & indiuidua relatiua ſunt, ideò optimè Porphyrius poſt explicatam rationem ſpeciei agit de indiuiduo, & nos eundem ordinem ſequentes, de indiuiduo præſentem diſputationem inſtituimus.

QVÆSTIO VNICA.
Vtrum indiuiduum benè definiatur à Porphyrio?

PRo intelligentia notandum eſt, quòd indiuiduum multiplex eſt: aliud eſt indiuiduum vagum, vt quidam homo, quod ſignificat rem aliquam ſingularem, tamen indeterminatam; aliud verò ex demonſtratione, vt hic homo; aliud determinatum, vt Petrus.

Secundò notandum eſt; quòd ſicut ſpecies dicit duplicem habitudinem ad indiuidua, aliam in quantum ſuperior illis in recta linea prædicamentali, aliam verò in quantum eſt prædicabilis de illis, ita indiuiduum dicit duplicem relationem ſubijcibilis ad ſpecies; aliam inquantum eſt inferius illa in recta linea prædicamentali; aliam verò inquantum eſt ſubijcibilis illi in prędicatione, ſicut ſpecies eſt nomen concretum ſignificans pro materiali naturam ſpecificam, pro formali verò ſecundam intentionem ſpeciei, quæ eſt relatio rationis ad indiuidua, ita indiuiduum eſt nomen concretum, quod ſignificat pro materiali naturam realem ſingularem, pro formali verò ſecundam intentionem indiuidui, quæ eſt relatio rationis ſubijcibilis ad ſpeciem; & ita ſicut ſpecies eſt nomen ſecundæ intentionis, ita etiam indiuiduum eſt nomen ſecundæ intentionis: appellatur verò indiuiduum, quia cum dicat rem vltimate contractam per differentiam ſingularem, eſt omninò indiuiſibile in inferiora; & ita appellatur indiuiduum.

Tertiò notandum eſt, quòd ſicut ſpecies dicit duplicem relationem rationis, aliam in quantum eſt ſubijcibilis ad genus, aliam in quantum eſt prædicabilis de indiuiduis: ita indiuiduum dicit duplicem relationẽ rationis, aliam in quantum eſt ſubijcibile ad ſpeciem, aliá verò in quantum eſt prędicabile, non quidem de inferioribus, cum illa non habeat, ſed de ipſo toto.

Hoc ſuppoſito certum eſt, definitionem illam, *Indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum, quæ in vno reperiuntur, in alio reperiri non poſſunt.* Conuenire indiuiduo ſumpto primò intentionaliter, id eſt, naturæ ipſi indiuiduali, ita quòd definiatur indiuiduum reale, quia talis definitio non datur per terminos ſecundæ intentionis, vt prædicari, &c.

Dubi-

Digitized by Google

Dubium ergo eſt, an in hac defi-nitione definiatur aliqua ratio vniuoca omnibus indiuiduis conueniens, vel potiùs analoga. Reſpondetur, definiri aliquam rationem communem omnibus indiuiduis, non vniuocè, ſed analogicè. Ratio eſt, quia hîc definitur aliquid commune differentijs indiuidualibus; ſed differentiæ indiuiduales in nullo vniuoco conueniunt, quoniam differentiæ ſunt primò diuerſæ, vt dicam cap. de differentia: ergo definitur hîc aliqua ratio analoga communis pluribus indiuiduis, prout dicunt differentias indiuiduales: nam illis ablatis, totum, quod manet, eſt ſpecificum, & non indiuiduale.

Maiorem habet difficultatem alia definitio, ſcilicet, *Indiuiduum eſt, quod de vno ſolùm prædicatur*. Circa quam certum eſt hic definiri indiuiduum, prout etiam inuoluit ſecundam intentionem indiuidui, quia datur hæc definitio per terminos ſecundæ intentionis, ſcilicet per prædicari, & inde fit, quòd non definiatur indiuiduum, prout dicit ſecundam intentionem ſubijcibilis ad ſpeciem, ſed prout dicit ſecundam intentionem prædicabilis de vno.

Secundò aduertendum eſt hic non definiri tantùm ſecundam intentionem indiuidui ſed concretum reſultans ex natura indiuiduali, & ſecunda intentione, quod eſt indiuiduum, vt in ſimili dictum eſt de alijs definitionibus; & ita hæc definitio non eſt intelligenda de prædicari vt quo, ſed vt quod, vt etiam ſupra in ſimili diximus: quod etiam videtur probare Porphyr. qui poſtquam dixit: *Indiuiduum eſt, quod de ſolo vno prædicatur*, ponit exemplum dicens, *Vt Socrates, & hoc album*: hæc autem non prædicantur, vt quo, ſed, vt quod: loquitur ergo Porphyrius de prædicari vt quo, non vt quod.

Sed obijcies. Indiuiduum datur à parte rei: ergo non inuoluit ſecundam intentionem, quia hæc tantùm habet eſſe per intellectum. Reſpondetur, quòd indiuiduum eſt duplex, aliud eſt indiuiduum reale, quale eſt, quod definitur à Porphyrio prima illa definitione, ſcilicet *Indiuiduum eſt, cuius collectio proprietatum, &c.* & hoc indiuiduum, quod idem eſt, quod ſingulare, datur à parte rei, & ita non inuoluit aliquam ſecundam intentionem. Aliud verò eſt indiuiduum intentionale, & logicum, & hoc non datur à parte rei ſecundum totum, quod dicit, nam præter naturam realem dicit ſecundam intentionem, vel ſubijcibilitatis ad ſpeciem, ſi indiuiduum conſideretur, vt ſubijcibile eſt, vel prædicabile de ſe ipſo.

Et ſi inquiras, qualiter indiuiduum dicatur de hoc, & de illo indiuiduo: reſpondetur dici analogicè. Ratio eſt; quia indiuiduum reale eſt quid commune Deo, & creaturis,

Digitized by Google

quia etiam Deus eſt ſingularis. Deo autem, & creaturis nihil poteſt dari commune vniuocum: tùm etiam, quia adhùc in ſingularibus creatis quædam ſingularia ſunt ſubiecta, vt Petrus, quædam accidentia, vt hoc album: imò in quolibet prædicamento reperiuntur ſingularia; ſed rebus diuerſorum prædicamentorum nihil datur commune vniuocum, ſed analogum: ergo indiuiduum reale analogum eſt ad omnia indiuidua: at verò indiuiduum intentionale eſt quid vniuocum, quia omnes naturæ ſingulares diuerſorum prædicamentorum vniuocè conueniunt in hoc, quod eſt denominari à ſecunda intentione indiuidui.

His ſuppoſitis dubium eſt circa hanc definitionem, vtrum conueniat omni indiuiduo. In quo conueniunt omnes, hanc definitionem conuenire indiuiduo determinato, qualis eſt Petrus, quia Petrus ſolùm prædicatur de vno: nam quanuis ipſum nomen, Petrus, commune ſit pluribus hominibus, tamen res ipſa, ſcilicet Petrus, qui eſt hic homo, ſolum prædicatur de ſe ipſo, & non de alio. Et eadē ratione conuenit hæc definitio indiuiduo ex demōſtratione, qualis eſt. Hic homo, quia hic homo ſolū poteſt prędicari de ſe ipſo, & non de alio, quia alius non eſt hic homo. Solùm eſt dubium, an conueniat indiuiduo vago, quale eſt quidam homo. In qua re dicendum eſt, hanc definitionem non conuenire indiuiduo vago. Ratio eſt, quia hoc indiuiduum verè, & propriè prædicatur de pluribus in his prædicationibus, Petrus eſt quidam homo IOANNES eſt quidam homo, in quibus non prædicatur vox vt quidam exiſtimant, ſed res aliqua, vt probatum eſt diſputatio. 3. de vniuerſalib. quæſt. 2. legantur ibi dicta. Qualiter verò inter ſe cohæreant; quòd indiuiduum vagum prædicetur de pluribus, & cùm hoc non ſit aliquid vniuerſale, ſed prorſus ſingulare, ibidem etiam explicatum eſt; ſcilicet quia indiuiduum vagum, vt quidam homo, non ſignificat plura, tanquàm inferiora, à quibus ſit abſtractū, quia quidam homo ſignificat aliquem hominem vltimatè contractum, ſed quia ſignificat plura ſub diſiunctione, ſcilicet hunc, vel illum hominem, qui ſingulares ſunt.

Et ſi obijcias: Ergo hæc definitio indiuidui diminuta eſt, ſi quidem non conuenit omni indiuiduo. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Porphyrius ſolùm intendit definire hac definitione indiuiduum determinatum, in quo etiam conuenit indiuiduum ex demonſtratione, quia hoc etiam eſt determinatum, vt Hic homo. Quòd verò hoc tantùm fuerit intentum Porphyrij, colligitur ex exemplis ab ipſo adductis: nam poſtquam

quam definiuit indiuiduum, quod de vno ſolo prædicatur, poſuit exemplum in Socrate, & hoc albo: hæc autem ſingularia determinata ſunt.

Et ſi inquiras: Quare ergo non definiuit indiuiduum vagum? reſpondetur, ideò non definiſſe illud, quia adducta iam definitione indiuidui determinati, facilè erat colligere definitionem indiuidui vagi; neque enim opus eſt, omnia ita in particulari fuiſſe tradita à Porphyrio: quòd verò indiuiduum vagum non comprehendatur in hac definitione, docuit Caiet. hoc cap.

Sed contra iſtas definitiones hactenus explicatas nonnullam inferunt difficultatem. Primò, quia de ſingularibus non eſt ſcientia: ergo nec definitio. Probatur conſequentia, quia definitio eſt medium in demõſtratione ſcientifica, vt dicemus in libris Poſteriorum. Secundò, quia ex Ariſtot. cap. de ſubſtantia, prima ſubſtantia, quæ eſt aliquid ſingulare, de nullo prædicatur: ergo hæc definitio Porphyrij mala eſt. Tertiò, quia omne, quod definitur, debet eſſe ſpecies; ſed indiuiduum non eſt ſpecies: ergo non poteſt definiri. Quartò, quia prædicatum debet eſſe forma ſubiecti, vt ſuprà diximus; ſed nihil poteſt eſſe forma ſui ipſius: ergo nihil poteſt prædicari de ſe ipſo, atque adeò neque indiuiduum de ſe ipſo. Quintò, quia indiuiduum generis, ſcilicet hoc genus, prędicatur de pluribus, cum ſit genus: ergo indiuiduum iam prædicatur de pluribus.

Tandem vltimò, quia in definitione indiuidui definitur indiuiduum in communi; ſed indiuiduum in communi prædicatur de pluribus, ſcilicet de hoc, & illo indiuiduo, ergo definitio Porphyrij exacta non eſt.

Sed reſpondetur ad primum, verum eſſe, quòd de ſingularibus ſingulariter, & in particulari ſumptis, per ſe non eſt ſcientia, nec definitio; & ita hic non definitur aliquod indiuiduum in particulari, ſed in communi conſideratum, qua ratione eſt quid vniuerſale, ſaltem denominatiuè, & accidentaliter.

Ad ſecundum, quod quando Ariſtot. dixit, quod prima ſubſtantia, quæ eſt aliquid ſingulare, de nullo prædicatur, loquitur de prædicatione formali: indiuiduum verò prædicatur de ſe ipſo, non prædicatione formali, ſed naturali, & identica, vt in hac: Petrus eſt Petrus. Et eodem modo reſpondetur ad quartum, quod prædicatum debet eſſe forma ſubiecti in prædicatione formali, nõ verò in identica, quia ad hoc ſatis eſt, quod ſit idem cum ſubiecto.

Ad tertium, verum eſſe, quòd omne, quod definitur, debet eſſe ſpecies accidentaliter, & denominatiuè, qualiter homo accidentaliter

eſt ſpecies; & ita indiuiduum in cōmuni, quod hic definitur, eſt ſpecies reſpectu huius, & illius indiuidui accidentaliter, & denominatiuè: eſſentialiter verò habet prædicari de vno tantum.

Ad quintum reſpondetur, quod de indiuiduo generis poſſumus loqui dupliciter, vno modo, prout denominatur à ſecunda intētione generis; & ſic prædicatur de pluribus: alio modo, prout præcisè denominatur à ſecunda intentione indiuidui; & ſic tantum habet prædicari de vno.

Ad vltimum, verum eſſe, quòd in hac definitione definitur aliquid commune, ſcilicet indiuiduum in cōmuni, prout comprehendit particularia indiuidua; & ita verum eſt, quod hoc indiuiduum prædicatur de pluribus: atque adeò eſt vniuerſale accidentaliter, & denominatiuè: tamen quando in definitione dicitur: *Indiuiduum eſt, quod de vno tantum prædicatur*, non eſt ſenſus, quod indiuiduum in cōmuni habet hoc; ſed quod in ſuis ſingularibus indiuiduis habet hoc, ſicut quando definitur homo in communi quod ſit animal aptum ad ridendum, non eſt ſenſus, quod homo prout in communi cōſideratus poſſit ridere, quia actiones ſunt ſuppoſitorū, ſed ſenſus eſt, quod homo in ſuis ſingularibus eſt animal aptum ad ridendum, non prout in communi conſideratur, ita indiuiduum de vno tantum prædicatur, non conſideratum prout in communi, ſed contractum in hoc & illo ſingulari indiuiduo, qui modus definiendi frequentiſſimus eſt. Et hæc de hoc capite.

CAPVT DE DIFFERENTIA.

INtentum Porphyrij in hoc capite eſt agere de differentia, quæ tertiū prædicabile eſt. Duo agit. In prima parte adducit quinque diuiſiones differentiæ: in ſecunda parte adducit alias quinque definitiones eiuſdem. Ad primam partem accedentes, prima diuiſio differentiæ eſt, Differentia, alia cōmunis, alia propria, alia propriiſſima: illa differunt differentia communi, quæ differunt accidenti communi, qualiter differt Petrus ſenex à Petro iuuenē per iuuentutem, quæ accidens commune eſt. Ea verò differunt differentia propria, quæ differunt per propriā paſſionē, qualiter differt homo ab equo per riſibile: ea verò differunt differentia

pro-

propriiſſima, quæ differunt per differentiam eſſentialem ſpecificam, qualiter differt homo ab equo per rationale, & hæc, inquit, appellatur differentia cum addito, ſcilicet differentia ſpecifica, ſeu propriiſſima.

Secunda diuiſio eſt. Differentia alia eſt, quæ facit aliud, & eſt illa, quę facit diuerſam ſpeciem eſſentialiter, vt rationale: alia eſt, quæ facit alterum, & eſt illa, quæ non facit ſpeciem diuerſam eſſentialiter, ſed intra eandem eſſentiam ſolùm facit diuerſitatem accidentalem, vt ambulare, & quieſcere.

Tertia diuiſio. Differentia alia ſeparabilis, & eſt illa, quæ ſeparari poteſt à re, vt ſedere, & moueri, & proinde eſt differentia accidentalis, quia ſola accidentia poſſunt ſeparari à re: alia inſeparabilis, quæ non poteſt ſeparari à re, in qua eſt, vt cicatrix, per quam quis differt ab alio; & hæc differentia inſeparabilis comprehendit tam propriam, quàm propriiſſimā, quia iſtæ differentiæ ſunt inſeparabiles.

Quarta diuiſio eſt. Differentia inſeparabilis, alia eſt inſeparabilis per ſe, qualis eſt differentia eſſentialis, & propriiſſima, quia cum ſit eſſentialis, per ſe eſt inſeparabilis: alia verò eſt inſeparabilis, per accidens, vt naſi curuitas, vel cicatrix, quia ſine illis optimè poteſt res eſſe, cum hoc tamē, ſunt inſeparabiles per accidens. Inter quas differentias, inquit Porphy. eſt diſcrimen: nam differentia inſeparabilis per ſe, ſcilicet propriiſſima, cauſat diuerſitatem eſſentialem, quia eſt differentia eſſentialis: at verò inſeparabilis per accidens ſolum cauſat diuerſitatem accidentalem, vt cicatrix. Præterea, inquit, differunt; nam differentia inſeparabilis per ſe, nempè propriiſſima, non ſuſcipit magis, & minus, vt rationale: at verò differentia inſeparabilis per accidens ſuſcipit magis, & minus, vt cicatrix, & naſi curuitas.

Quinta diuiſio eſt. Differentia inſeparabilis per ſe; alia eſt diuiſiua generis, alia conſtitutiua ſpeciei, quod non debet intelligi quòd ſint differentiæ conſtitutiuæ realiter; nam eadē differentia, v.g. rationale, diuidit animal, & conſtituit ſpeciē, nempe hominē; ſed ſolū quòd ſunt diſtinctę formaliter, nam differentia diuiſiua, vt ſic, præcisè dicit ordinem ad genus, quod diuidit; at verò differētia conſtitutiua, dicit ordinē ad ſpeciem, quā conſtituit, ita quod cōſtituere, & diuidere, ſunt veluti duo officia eiuſdē differentię propriiſſimę.

In ſecunda parte capitis adducit Porphy. quinque definitiones differentiæ. Prima eſt. Differentia eſt, qua ſpecies excedit genus, qualiter homo excedit animal per rationale. Secunda. Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus, & de differentibus ſpecie in quale quid, vt ſenſitiuum. Tertia. Differentia eſt, quæ ſeparat ea, quæ ſub eodē genere poſita ſunt, vt rationale diuidit inter hominem

& equũ, qui ſub animali ſunt. Quarta. Differentia eſt, qua differunt à ſe ſingula, vt rationale. Quinta. Differentia eſt, quæ conducit ad eſſe rei, & eſt pars eius, vt rationale. Et hæc de ſecunda parte capitis.

Circa literam capitis.

CIrca literam huius capitis non eſt cur immoremur in reddenda ratione, quare Porphyrius agat de differentia priuſquam de proprio, & accidenti, quoniam cum differentia ſaltē ſubalterna prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, ſicut proprium, & accidens, qualiter ſenſibile, quæ eſt differentia ſubalterna, prædicatur de homine, & equo, & vlterius prædicatur eſſentialiter, quod non habet proprium, & accidens, ideò optimè Porphyrius prius agit de differentia quàm de illis.

Et ſi inquiras, quare ergo Porph. omiſit diuiſionem differentiæ in infimam, & ſubalternam. Reſpondetur, quod quia continetur ſub differentia propriiſſima, nam hæc eſt, quę conſtituit ſpeciem: vnde ſicut ſpecies eſt duplex, ſcilicet infima, & ſubalterna, vt explicauerat Porphyrius capite de ſpecie: ita differentia eſt duplex infima, & ſubalterna.

Secundò dubitari poteſt, vtrum differentia indiuidualis contineatur ſub aliquo membro ex allatis à Porphyr. Reſpondetur in primis, differentiam indiuidualem, eſſe verè, & propriè differentiam. Ratio eſt, quia duo indiuidua, vt Petrus & Paulus, verè & propriè differunt inter ſe: ergo per veram differentiam, & propriam, ſed nõ differunt, niſi per differentiam indiuidualem: ergo differentia indiuidualis eſt vera, & propria differentia.

Dico ſecundò reducendam eſſe hanc differentiam ad differentiam propriiſſimam, quia ſicut differentia propriiſſima conſtituit eſſentialiter ſpeciem, ſic indiuidualis indiuiduum; Porphyrius tamen non fecit mentionem de illa, quia hîc tantùm agit de differentia, quę poteſt denominari vniuerſalis, & prædicabilis de pluribus.

Circa id, quod dicit Porph. quòd differentia propriiſſima dicitur differentia cum addito, ſcilicet ſpecifica, at verò communis, & propria dicuntur differentię abſolutè loquendo, notandũ eſt cum Caiet. hic, differentiam propriiſſimã non appellari talem cum addito, eo quòd non ſit verè differentia: nam verè, & propriè eſt differentia, quia additum aliquando minuit perfectionem, vt cum homo pictus appellatur homo cum addito, ſcilicet pictus, qui impropriè eſt homo, aliquando verò auget perfectionẽ, qualiter ſubſtantia appellatur ens cum addito, ſcilicet ens per ſe, eo quòd eſt perfectior quam accidens, ita differentia propriiſſima appellatur talis cum addito, quia eſt perfectior omnibus alijs, cum

Digitized by Google

cum ſit differentia eſſentialis:alię verò appellantur differentiæ ſine addito,quia in ratione differentiæ ſunt minùs perfectæ, qua ratione bruta, quæ ſunt imperfectiores ſpecies animalis quàm homo,ſolent appellari animal ſine addito, & propter ſuam imperfectionem vocantur nomine generis, quod eſt imperfectius ſpeciebus.

Dubitari etiam poteſt circa id, quod dicit Porphyrius,quod Petrus ſenex differt à ſe ipſo iuuene differentia communi: quia Petrus ſenex differt à ſe ipſo iuuene per materiam variatam; ſed materia eſt aliquid ſubſtantiale:ergo differt ſubſtantialiter, atque adeò maiori differentia quàm communi.

Secundò,quia ea differunt differentia communi, quæ differunt accidenti ſeparabili : ſed ſenectus non eſt ſeparabilis à Petro manente illo, quia tranſacta ſenectute deſinit eſſe Petrus, quia moritur : ergo non differt differentia communi à ſe ipſo iuuene.

Reſpondetur ad primum quòd accidens duplex eſt, aliud prædicamentale, & eſt illud, quod pertinet ad aliquod ex nouem prædicamentis accidentium, ita vt ſit quantitas, vel relatio, vel qualitas. Aliud verò eſt accidens prædicabile, & eſt illud omne,quod eſt extra eſſentiam rei, & eius proprias paſſiones, qualiter hæc eſt prædicatio accidentalis; Vas eſt aureum,quamuis aurum, ſit ſubſtantia, quia extra eſſentiam vaſis eſt,quod ſit aureum, vel argenteum:ſic ergo quamuis Petrus ſenex differat à ſe ipſo iuuene per materiam ſucceſſu temporis variatam, quæ quidem materia aliquid ſubſtantiale eſt,tamen adhuc differt accidentaliter, non accidenti prædicamentali,ſed prædicabili, quia extra eſſentiam Petri eſt, quòd habeat materiam illam variatam,vel non.

Ad ſecundum reſpondetur imprimis,quòd vt aliqua duo differant differentia communi, ſolùm requiritur,quòd differant accidenti communi, hoc tamen aliquando eſt ſeparabile, vt dicemus capite de accidenti, vt ſedere ; aliquando verò inſeparabile,vt naſi curuitas, & ita differentia communis aliquando eſt ſeparabilis,aliquando verò non.

Dico tamen ſecundò, ſenectutem non eſſe accidens inſeparabile, nam ſeparari poteſt etiam per naturam à Petro, illo manente: nam ſenectus non eſt vltima ætas hominis, quia poſt illam ſequitur ætas, quæ appellatur decrepita, & ita ſeparatur ſenectus à Petro, illo manente,atque adeò eſt accidens ſeparabile.His ergo circa literam adnotatis, iam de re ipſa diſputemus, oportet, vbi etiam aliqua à Porphyrio adducta in hoc capite explicabimus.

Digitized by Google

DISPVTATIO VNICA de differentia, quæ eſt tertium prædicabile.

QVÆST. I.

Qualis ſit diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam.

PRimò notandum eſt pro intelligentia huius quæſtionis, quòd diuiſio multiplex eſt; alia eſt vniuoci in vniuocata, & eſt quando ſuperius vniuocum diuiditur in inferiora, quæ in illo conueniunt vniuocè: & hæc eſt duplex, alia generis in ſpecies, vt qua diuiditur animal in hominem, & brutũ; alia ſpeciei in indiuidua, vt qua diuiditur homo in Petrum, & Paulum.

Secunda diuiſio eſt analogi in analogata, & eſt quando ſuperius diuiditur in inferiora, quæ conueniunt in illo analogicè, vt qua diuiditur ens in ſubſtantiam, & accidens: quid ſit autem analogia poſteà dicetur.

Tertia diuiſio eſt æquiuoci in æquiuocata, vt qua diuiditur homo in hominem viuum & pictum, qui æquiuocè conueniunt in ratione hominis. Quarta diuiſio eſt ſubiecti in accidentia, vt qua diuiditur homo in album & nigrum, reſpectu quorum accidentium, homo ſe habet vt ſubiectum, quod denominatur tale. Quinta diuiſio eſt è contra accidentis in ſubiecta, & eſt quando è contra diuiditur accidens in ſubiecta, vt quando diuiditur album in hominem, & equum.

Hoc ſuppoſito quatuor poſteriores diuiſiones à Porphyrio adductæ nullam habent difficultatem: nam ſecunda diuiſio differentiæ in eam, quæ facit aliud, qualis eſt eſſentialis, & in eam, quæ facit alteratum, qualis eſt accidentalis, certum eſt, eſſe analogi in analogata: nam differentia eſſentialis ſe extendit ad ſubſtantiam, quæ etiam differunt eſſentialiter: differentia verò accidentalis eſt accidens rei, ſed ſubſtantiæ, & accidenti nihil datur commune vniuocum, ſed analogum: ergo hæc diuiſio eſt analogi in analogata.

Idem eſt de tertia diuiſione differentiæ, in ſeparabilem, & in inſeparabilem; quoniam differentia ſeparabilis eſt accidens, inſeparabilis autem, etiam comprehendit differentiam eſſentialem: ſed his nihil datur commune vniuocum, vt dictum eſt: ergo differentia non vniuocè, ſed analogice de ſeparabili, & inſeparabili, differentia dicitur.

Idem etiam eſt de quarta diuiſione in ſeparabilem per ſe, & in ſeparabilem per accidens, qualis eſt differentia communis.

Quin-

Digitized by Google

Quinta diuiſio differentiæ eſt in diuiſiuam generis, & conſtitutiuam ſpeciei, & dicendum eſt quòd ſit analogi in analogata: nam etiam in ſubſtantijs & in accidentibus ſunt differentiæ diuiſiuæ, & conſtitutiuæ, quibus nihil datur comune vniuocum, ſed analogum: nec intelligendum eſt membra diuidentia huius diuiſionis eſſe oppoſita re, ſed ſolùm ratione: nam eadem differentia ſecundum rem, v.g. rationale, diuidit genus, & conſtituit ſpeciem, ita quòd diuidere, & conſtituere ſint veluti duo munera ratione diſtincta, in eadem differentia.

Solùm ergo eſt dubium, qualis ſit prima illa diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd differentia, quæ eſt tertium prædicabile, eſt nomen concretum, ſicut diximus de genere, & ſpecie, & ita ſignificat pro formali ſecundā intentionem differentiæ, pro materiali verò dicit naturam ipſam differentialem, v.g. rationale.

Secundò notandum eſt, quòd diuiſum, & membra diuidentia huius diuiſionis, poſſunt quatuor modis complicari. Primò vt tam diuiſum, quam membra diuidentia ſumantur ſecundè intentionaliter. Secundò, ita vt tam diuiſum quam membra diuidentia ſumantur primè intentionaliter pro naturis, quæ denominantur differentiæ, & ſic certum eſt hanc diuiſionem eſſe analogi in analogata, quia differentia communis, & propria ſunt accidens, differentia verò propriiſſima aliquando eſt ſubſtantia, ſed ſubſtantiæ, & accidenti nihil datur commune vniuocum, ſed analogum: ergo.

Tertiò ita vt diuiſum ſumatur primè intentionaliter, membra verò diuidentia ſumantur ſecundè intentionaliter, ſic eſt diuiſio ſubiecti in accidentia, quia ſecundæ intentiones accidunt primis. Quartò ita, vt è contra ſumatur diuiſum ſecundè intentionaliter, & membra diuidentia primè intentionaliter, & ſic è contra erit diuiſio accidentis in ſubiectum: ſolùm ergo eſt dubium, qualis ſit hæc diuiſio primo modo ſumpta, ita vt tam diuiſum, quàm membra diuidentia ſumantur ſecundè intentionaliter, ſcilicet pro concreto, quod eſt differentia, inuoluens etiam ſecundam intentionem, & an hæc diuiſio ſit hoc modo accipienda.

Et vt ab hoc vltimo exordiamur, plures, & ſatis probabiliter exiſtimant diuiſionem hanc ſumendam eſſe primè intentionaliter, & ita eſſe analogi in analogata, ducti ex eo quòd Porphyrius ſemper ponit exemplum in naturis realibus, quæ ſunt differentiæ: tùm etiam quia quatuor poſteriores diuiſiones ſumuntur primè intentionaliter, & pro naturis

turis differentialibus: ergo ſimiliter prima illa diuiſio. Tamen in re probabili non eſt nobis recedendum à communi ſententia, quæ aſſerit diuiſionem eſſe intelligendam ſecundè intentionaliter. Ratio eſt, quia in hoc libro prædicabilium non tantùm agitur de naturis realibus, ſed de ſecundis intentionibus adiunctis primis: cum ergo illa diuiſio ſit præcipua ex allatis à Porphyrio, re vera intelligenda eſt ſecundè intentionaliter, & pro concretis rationis, quæ denominantur differentiæ: aliæ verò diuiſiones differentiæ allatæ à Porphyr. ſunt minus præcipuæ, & ita non opus eſt vt etiã ſumantur ſecundè intentionaliter. Neque obſtat quòd Porphyr. ponat exemplum in naturis realibus, quia per hoc non excludit, quòd iſtæ naturæ prout denominantur à ſecundis intentionibus ſint accipiendæ in hac diuiſione.

Suppoſito ergo, quòd hæc diuiſio ſit accipienda ſecundè intentionaliter, ſuper eſt difficultas an ſit generis in ſpecies, vel potiùs analogi in analogata. In qua re prima ſententia eſt aſſerentium eſſe analogi in analogata, quam tenet Albertus tract. 5. in Porphyrium cap. 1. Scot. quæſt. 23. hic. Et probatur. Primò quia differentia per prius dicitur de differentia eſſentiali, quàm de accidentali: ergo differentia in communi eſt quid analogum ad differentiam propriiſſimã, quę eſt differentia eſſentialis, & ad differentiam communem, & propriam, quæ ſunt differentiæ accidentales. Probatur conſequentia, quia analogum eſt illud, quod dicitur de vno perprius, quàm de alio.

Secundò, quia etiam illud eſt analogum, quod dicitur de vno ſimpliciter, & de alio ſecundum quid, & cum addito; ſed differentia communis, & propria dicuntur ſimpliciter, & abſolutè differentiæ, at vero differentia propriiſſima dicitur differentia cum addito, ſcilicet ſpecifica, vt Porphyrius dicit: ergo differentia in cõmuni eſt quid analogum, atq; adeò non eſt genus ad has ſpecies.

Tertiò, quia differentia communis, & propria ſunt accidentia, differentia verò propriiſſima poteſt eſſe ſubſtantia; ſed ſubſtantia, & accidens in nullo genere vniuoco conueniunt: ergo differentia in communi non eſt genus ad hæc tria membra.

Quartò, quia genus non debet includi in differentijs contrahentibus illud, verbi gratia animal non eſt de conceptu rationalis per quod contrahitur ad hominem: ſed differentia in communi clauditur in differentijs, per quas contrahitur ad has ſpecies, ſcilicet ad differentiam propriiſſimam, communem, & propriam: ergo non eſt genus ad illas. Probatur minor, quia illa differen-

tia-

tia, per quam contrahitur differentia in communi ad differentiam, v. g. propriiſſimam, eſt differẽtia: ergo claudit in ſuo conceptu differentiam in communi, atque adeò iam genus clauditur in differentijs contrahentibus.

Contraria tamen ſententia nobis tenenda eſt, ſcilicet hanc diuiſionem eſſe generis in ſpecies, quam tenent Doctores Louanienſes in hoc capite, & eſt ferè communis ſententia. Et probatur hac vnica ratione: nam ratio formalis, & eſſentia differentiæ abſolutæ, vniuocè reperitur tam in differentia communi, & propria, quã propriiſſima, quia omnes verè ſunt differentiæ: & quamuis differentia propriiſſima ſit perfectior alijs, nihil obſtat, quia iam diximus genus poſſe perfectius reperiri in vna ſpecie, quàm in alia ratione differentiæ contrahentis, qualiter perfectius reperitur animal in homine quàm in equo: ergo hæc diuiſio eſt vniuoci in vniuocata, & ita cum non ſit ſpeciei in indiuidua, quia differentia communis propria, & proprijſſima, quæ ſunt membra diuidentia, differunt plusquàm numero, fit quòd ſit diuiſio generis in ſpecies.

Eſt tamen aduertendum pro recta huius diuiſionis intelligentia, quòd in ea diuiſione membra diuidentia non ſunt oppoſita re, ſed ratione: nam eadem res ſecundum diuerſas rationes formales poteſt eſſe differentia communis, propria, & propriiſſima: v. g. diſgregatiuum viſus reſpectu hominis eſt differentia communis, & accidentalis, & reſpectu lini eſt differentia veluti propria, quia eſt propria paſſio lini eſſe album, atque adeò eſſe diſgregatiuum viſus: reſpectu verò albi, vt album eſt, eſt differentia eſſentialis, & proprijſſima.

Secundò aduertendum eſt, quòd differentia, v. g. rationale poteſt conſiderari duobus modis: vno modo, vt eſt ratio differendi, qua ratione differt homo ab equo per rationale, alio modo, vt prædicatur de pluribus eſſentialiter in quale: differentia ergo non conſtituit tertium prædicabile, vt eſt ratio differendi, ſed tantùm, vt eſt id, quod prædicatur in quale eſſentialiter, in quo plures communiter decipiuntur, exiſtimantes differentiam, vt eſt ratio differendi cõſtituere tertium prædicabile, quod mihi ſemper fuit incredibile. Et ratio eſt euidens, quoniã differre duo inter ſe, eſt aliquid reale exiſtens à parte rei, & independens ab omni intellectu, nam etiam nullo intellectu conſiderante, homo differt ab equo per rationale: ergo nullo intellectu conſiderante, rationale eſt differentia, & ratio quare differat homo ab equo, atque adeò ad hoc non eſt opus aliqua ſecundã intentione, cum ſit aliquid reale habens

T

Digitized by Google

bens eſſe à partè rei, ſed tertium prędicabile, vt ſic, dicit ſecundam intentionem, ſicut quodhbet aliud prædicabile: ergo differentia, vt eſt ratio quare duo differant, non eſt tertium prædicabile, ſed prout denominatur à ſecunda intentione vniuerſalis, & prædicabilis eſſentialiter in quale, ad quod opus eſt ſecunda intentione, cum eſſe aliquid prædicabile, & vniuerſale ſit aliquid rationis.

Secundò probatur, quia vniuerſale in communi conſtituitur in eſſe vniuerſale per eſſe in multis, ad quod conſequitur paſſio, ſcilicet prædicari de multis tale vniuerſale, quod eſt differentia, quæ eſt ſpecies vniuerſalis, debet conſtitui in eſſe talis vniuerſalis per talem modum eſſendi in multis, & prædicandi de multis tali modo, ſcilicet eſſentialiter in quale: ergo per hoc conſtituitur in ratione tertij prædicabilis, & non per eſſe rationem differendi, ad quod non opus eſt ſecunda intentione.

Tertiò aduertendum eſt, differentiam communem, & propriam non pertinere ad tertium prædicabile, ſed ſolum differentiã propriiſſimam, quæ eſt differentia eſſentialis, quod in primis colligi poteſt ex Porphyr. in hoc cap. qui poſtquàm definiuit differentiam, quæ eſt inter prædicabile, dicens: *Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus, & differentibus ſpecie in quale quid*, poſuit exemplum in differentia propriiſſima, per quod indicare videtur, illam ſolam fuiſſe definitam ab illo.

Sed ratione probatur, quia vt diximus, differentia conſtituitur vt tertium prædicabile penes talem modum eſſendi in multis; & prædicandi de multis: ſed differentia propria, quatenus prædicatur de multis in quale accidentaliter conuertibiliter, conſtituit quartum prędicabile: nam proprium hoc modo prædicatur, & differentia communis, quatenus prædicatur de multis in quale accidentaliter: non conuertibiliter conſtituit quintum prædicabile: nam accidens hoc modo prædicatur: ergo ſola differentia proprijſſima conſtituit hoc tertium prædicabile, in quantum prædicatur de pluribus in quale eſſentialiter. Et hinc infero, quòd diuiſum in hac diuiſione differentiæ in communem, propriam, & proprijſſimam, non eſt differentia, quæ eſt tertium prædicabile: hæc enim eſt ſola differentia proprijſſima: ſed potiùs eſt differentia in communi, prout comprehendit tam differentiam, quæ eſt tertium prædicabile, quàm omnem aliam differentiam.

Sed obijcies: Porphyrius definit differentiam, quæ eſt tertium prædicabile, hoc modo: *Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus, & differentibus ſpecie in quale quid*: ſed hoc etiam

etiam conuenit differentiæ propriæ,& communi: nam etiam proprium,& accidens, vt dicemus, poſſunt prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quale quid: ergo etiam differentia communis, & propria, pertinet ad tertium prædicabile. Reſpondetur, quòd in illa definitione ſubintelligenda eſt particula, Eſſentialiter, nam Porphyrius apposuit exemplũ in differentia propriiſſima, quæ eſſentialiter prædicatur; & ita differentia communis, & propria non comprehenduntur in illa definitione, quia non prædicantur eſſentialiter, ſed accidentaliter.

Quibus ſuppoſitis ſupereſt reſpondeamus ad argumenta ſuperius adducta. Ad primum reſpondetur negando, quod differentia per prius dicatur de differentia eſſentiali, quã de alijs, quia quamuis ſit perfectior alijs ratione differentiæ contrahentis differentiam in communi ad illam, non ſequitur, quod differentia in communi dicatur per prius de illa; nam etiam homo eſt quid perfectius equo, & tamen vniuocè conueniunt in animali.

Ad ſecundum iam diximus ſuprà, differentiam propriiſſimam non dici talem, cum addito, quia ſit differentia imperfecta, & ſecundum, quid, quia potius illud additum auget perfectionem, quàm illam minuat; & ita non probatur eſſe ſecundum quid differentiam.

Ad tertium, quod quamuis ſubſtantiæ,& accidenti nihil reale poſſit dari vniuocum, tamen poteſt dari aliquid rationis vniuocum, nam vniuocè conueniunt in hoc, quod eſt denominari genera,& ſpecies; & ita etiam vniuocè conueniunt in hoc, quod eſt denominari differentiam.

Ad quartum reſpondetur negando diuiſum includi in differentijs, per quas contrahitur: nam illa differentia, quæ conſtituit differentiam propriiſſimam,& diuidit differentiam in communi, eſſentialiter habet conſtituere ſuam ſpeciem, tamen denominari differentiam per ſecundam intentionem differentiæ, habet accidentaliter, & denominatiuè; & ita non probatur, diuiſum eſſentialiter includi in differentijs, per quas contrahitur, ſicut rationale, quæ eſt differentia propriiſſima, eſſentialiter ſolum habet dare eſſe homini; tamen denominari differentiã, quæ eſt tertium prædicabile, accidentaliter habet,& denominatiue.

Sed inſtabis contra ſolutionem; Nam illa differentia, quæ conſtituit, v.g. differentiam propriiſſimam, eſt differentia eſſentialis, & propriiſſima. quia conſtituit ſpeciem quandam differentiæ, ſicut rationale cõſtituit hominem: ſi ergo eſt differentia eſſentialis: ergo eſſentialiter eſt differentia, & non tantum accidentaliter,& denominatiuè. Re-

ſpondetur verum eſſe, quod ſit differentia eſſentialis, non tamen eſt differentia eſſentialiter: nam aliud eſt eſſe differentiam eſſentialem, aliud verò eſſe eſſentialiter differentiam, ſicut rationale eſt differentia eſſentialis hominis; tamen denominari differentiam eſſentialem, habet accidentaliter, & denominatiuè per ſecundam intentionem differentiæ illi ſuperadditam: ſicut etiam animal eſt prædicatum eſſentiale hominis; tamen denominari prædicatum eſſentiale, habet accidentaliter, & denominatiuè per ſecundam intentionem illi ſuperadditam.

Sed inſtabis adhuc contra hanc concluſionem: nam vna differentia non poteſt conſtitui per aliam differentiam, aliàs daretur proceſſus in infinitum: nam illa conſtitueretur per aliam, & illa per aliam: & ſic in infinitum: ergo non poteſt dari differentia, per quam conſtituatur differentia propriiſſima. Reſpondetur, quod differentia realis, qualis eſt, v.g. rationale, non poteſt conſtitui per aliam differentiam: quoniam iſtæ differentiæ ſunt primò diuerſæ, & in nullo vniuocè conueniunt: at verò differentia, quæ eſt ens rationis, eſt ſpecies vniuerſalis, & conuenit in illo vniuocè cum alijs prædicabilibus; & ita opus eſt, quod diſtinguatur ab alijs prædicabilibus per ſuam differentiam, quoniam eſt quædam ſpecies vniuerſalis, atque adeò opus eſt componi ex genere, & differentia.

Sed dubitabis vltimò in hac quæſtione, an hæc diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam, ſit adæquatè ſufficiens. Ratio dubitandi eſt, quia homo differt à lapide per animal, animal autem neque eſt differentia communis, neque propria, neque propriiſſima, ſed potius eſt genus: ergo datur aliqua differentia, quæ non contineatur in illis membris diuidentibus.

Secundò, quia homo differt ab equo per animam rationalem, anima autem rationalis non eſt differentia communis, neque propria; quia hæc ſunt accidentia: anima autem rationalis eſt ſubſtantia: neque etiam eſt differentia propriiſſima, quia differentia propriiſſima diuidit genus, qualiter rationale diuidit animal, anima autem rationalis non eſt differentia diuiſionis animalis: ergo inſufficiens eſt illa diuiſio.

Communis tamen ſententia eſt, hanc diuiſionem eſſe ſufficientem, & adæquatam, atque adeò tanquàm vera nobis tenenda eſt, quia quidquid ab alio differt, vel differt per principium eſſentiale, & ſic eſt differentia eſſentialis, & propriiſſima: vel differt per propriam paſſionem, & ſic eſt differentia propria: vel tandem per aliquod accidens commune, & ſic eſt differentia communis: ergo

Digitized by Google

ergo illa diuiſio adæquata eſt, & ſufficiens.

Vnde ad rationem dubitandi reſpondetur. Ad primam, verum eſſe hominem differre à lapide per animal: nego tamen, quòd ſint plures differentiæ; quia hæc reducitur ad differentiam propriiſſimam quodammodò, inquantum eſt differentia eſſentialis. Et ratio eſt, quia animal reſpectu hominis, & lapidis, nō habet rationem generis, quia non conueniunt in illo; & ita reſpectu illorum potius habet quandam rationē differentiæ propriiſſimæ; quia quamuis abſolutè animal non conſtituat hominem, tamen conſtituit illum eſſentialiter diuerſum à lapide, & ita quodammodò eſt differentia propriiſſima.

Ad ſecundam, quòd homo differt ab equo per animam rationalem, tanquam per differentiā phyſicam, quia anima eſt pars phyſica hominis, hic verò loquitur Porphyrius de differentia Metaphyſica, ſcilicet quæ eſt differentia Metaphyſica ſpeciei, ratione tantum ab illa diſtincta, vt rationale reſpectu hominis: anima autē eſt differentia Phyſica, & diſtincta realiter à toto, quod componit.

Sed inſtabis: Nam quæ differunt differentia communi, qualiter differt homo ab equo per albedinem, etiam differunt Phyſicè: nam albedo eſt quoddam accidens Phyſicum: ergo etiam loquitur Porphyrius de differentia Phyſica.

Reſpondetur, quòd differentia communis poteſt conſiderari duobus modis, vno modo in quantum eſt quoddam accidens Phyſicum, & ſic nō pertinet ad hanc diuiſionem: alio modo in quantum prædicatur de ſuo ſubiecto, vt album de homine: & ſic eſt differentia Metaphyſica, & habet quandam rationem partis Metaphyſicę, in quantum prædicatur de ſuo toto, ad modum, quo animal, quod eſt pars Metaphyſica, prædicatur de homine. Et hæc de hac quæſtione.

Qvæst. II.

Vtrùm hæc differentia rectè definiatur à Porphyrio.

Ex quinque definitionibus differentiæ à Porphyrio adductis, ſecunda tantum, ſcilicet, qua differentia definitur, vt prædicabilis, quæ ſe habet in hunc modum: *Differentia eſt, quæ de pluribus differentibus ſpecie in quale quid prædicatur*, habet difficultatem: aliæ verò quatuor definitiones ſignificant alios effectus differentiæ, vt eſt, diuidere genus, conſtituere ſpeciem, eſſe id, quo ſpecies abundat genus, & ſeparare ſingula inter ſe, & cætera, quæ in diffinitionibus explicantur: ſolum ergo eſt dubium de ſecunda defi-

Digitized by Google

definitione: qua definitur differentia, vt prædicabilis eſt, an conueniat omni differentiæ, quæ eſt tertium prædicabile.

Et ratio dubitandi eſt, quia ſicut ſpecies eſt duplex, infima, & ſubalterna, ita etiam differentia propriiſſima conſtituens ſpeciem, quæ eſt ſecundum prædicabile: alia eſt infima, quam alij vocant vltimam, & eſt, quæ conſtituit ſpeciem infimam, v.g. rationale conſtituit hominem: alia verò eſt differentia ſubalterna, & eſt, quæ conſtituit animal, quod eſt, ſpecies ſubalterna; ſed differentia infima, vt rationale, non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, ſed tantùm de differentibus numero: vt de Petro, & Paulo: ergo definitio adducta à Porphyrio non conuenit omni differentiæ, quæ eſt tertium prædicabile.

In hac re explicanda primus modus dicendi eſt Scoti, & Caiet. aſſerentium in hoc capite, reuera in hac definitione definitam fuiſſe differentiam infimam, & conuenire illi hanc definitionem per non repugnantiam (vt loquitur Caiet.) quia quamuis differentia infima, vt infima eſt, non poſſit prædicari de differentibus ſpecie: tamen inquantum differentia eſt abſolutè, non repugnat illi, quia differentia ſubalterna hoc habet.

Sed hic modus dicendi meritò reijcitur ab omnibus, quia ſequeretur eodē modo hanc definitionem: Animal rationale conuenire equo, quod eſt ridiculum. Probo conſequentiam, quia equo, inquantum animal eſt, non repugnat eſſe rationale: quia animali, vt ſic, non repugnat, vt patet de homine: ergo eodem modo hæc definitio: Animal rationale, conueniret equo: ergo in definitionibus non ſufficit non repugnantia ratione generis, ſed debet conuenire definitio definito ratione ſui.

Secundus modus dicendi eſt, hanc definitionem etiam conuenire differentiæ infimæ, ita vt illa particula, *De differentibus ſpecie*, non pertineat ad hanc definitionem, ſed quod hæc definitio tantum contineatur illis verbis, *Quæ prædicatur de pluribus in quale quid*: quod etiam conuenit differentiæ infimæ.

Sed hic modus dicendi eſt contra tex. Porph. Ratio eſt, quia illa particula *In quale quid*, quod procul dubio eſt de ratione differentiæ, ponitur à Porph. poſt illa verba, *De differentibus ſpecie*: nam formalia verba Porphyrij ſunt: *Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus, & de differentibus ſpecie in quale quid*: ergo etiam illa particula, *De differentibus ſpecie*, ingreditur in hac definitione: atque adeò hæc expoſitio non quadrat textui.

Quare dicendum eſt reuera per hanc definitionem Porphyr. tantùm

d. fi-

definiſſe differentiam ſubalternam, quia ſolum hæc prædicatur de differentibus ſpecie in quale eſſentialiter, non vero differentia infima. Eſt communior ſententia, quam tenet D. Thom. in 2. libr. de demonſtrat, cap. 14. Scot. q. 17. in Porph. Albert. tract. 5. in Porph. Louanienſes, & Villalpand. in hoc cap.

Et ſi inquiras. Quare ergo Porph. non definiuit differentiam infimam, quia etiam hæc pertinet ad tertium prædicabile, cùm ſit differentia proprijſſima: quidam enim reſpōdent cauſam eſſe, quia nón nouit Porph. differentias infimas per conceptus ſimplices: ſed eas nominauit nominibus complexis, qualiter dixit differentiam hominis eſſe rationale mortale. Sed verè hæc ratio friuola eſt, quia bene poteſt id, quod renera eſt ſimplex, nominari nominibus complexis, vt ſi quis Deum appellaret ens per eſſentiam: vnde quamuis Porphyrius nominauerit vltimam differentiam hominis nominibus complexis, non ſufficienter inde colligitur, ipſum exiſtimaſſe reuera eſſe differentias complexas, quia vt ſuprà dixi, ideò appellat hominem rationalem mortalem, quia ſecutus errorem Stoicorum exiſtimauit, corpora cœleſtia eſſe rationalia, & cùm incorruptibilia ſint, vt hominem ab illis diſtinguat, illum appellat rationalem mortalem. Quare faciliùs dici poteſt, ideò Porphyrium non definiſſe differentiam infimam, quia definita iam differentia ſubalterna per *Prædicari de differentibus ſpecie in quale quid*, facilè erat colligi alia definitio differentiæ infimæ. *Per prædicari de differentibus numero in quale quid*, & ideò hanc definitionem omiſit.

Sed ſtatim non parua oritur difficultas: nam ſi differentia infima non comprehenditur in hac definitione: ergo habet diuerſam definitionem à differentia ſubalterna, atque adeò habet diuerſam eſſentiam & ſpeciem ab illa, nam quæ differunt definitione, differunt ſecundum eſſentiam, & ſecundum ſpeciem: vnde vlteriùs fieret eſſe duo prędicabilia differentiæ, atque adeò prædicabilia eſſe plura quàm quinque.

Secundò, quia inter prædicabilia eſſentialia in quid, genus conſtituit diuerſum prædicabile ab ſpecie, quia genus prædicatur eſſentialiter in quid de differentibus ſpecie, ſpecies verò prædicatur eſſentialiter in quid de differentibus numero: ſed ſimiliter in hoc, quod eſt eſſe prædicari in quale eſſentialiter, differentia ſubalterna prædicatur de differentibus ſpecie in quale eſſentialiter, & differentia infima prædicatur de differentibus numero in quale eſſentialiter: ergo ſimiliter conſtituit duo prædicabilia, ſicut genus & ſpecies,

atque

atque adeò prædicabilia ſunt plura, quàm quinque.

Et confirmatur, quia prædicabilia diſtinguuntur penes diuerſum modum eſſendi in multis, & prædicandi de multis; ſed diuerſus modus eſt prædicari de multis differentibus numero, & de multis differentibus ſpecie, vt patet in genere, & ſpecie: ergo differentia infima, & ſubalterna conſtituunt diuerſa prædicabilia: atque adeò plura quàm quinque.

Tertiò, quia magis differunt differentia infima, & ſubalterna, quàm differentiæ infimæ inter ſe; ſed duæ differentiæ infimæ differunt numero in ratione differentiæ: ergo denominantur ab eadem ſecunda intentione differentiæ ſecundum ſpeciem, ſicut duæ ſpecies denonminantur ab eadam ſecunda intentione ſpeciei: ergo differentia infima, & ſubalterna magis debent differre, atq; adeò diſtinguuntur ſpecie.

Sed reſpondetur ad primum argumentum, negando, quòd differentia infima, & ſubalterna differant ſpecie eſſentialiter, ſed ſolùm differunt accidentaliter ſecundum magis, & minus, penes hoc, quod eſt prædicari de differentibus numero, vel ſpecie: quæ differentia ſolùm eſt ſecundum magis, & minus, ſicut genus ſupremum generaliſſimum, & genera intermedia, non differunt eſſentialiter, vt ſuprà vidimus, quamuis vnum ſit vniuerſalius alio.

Et ad probationem reſpondetur, quòd ea differunt eſſentialiter, quæ differunt definitione eſſentiali: definitio verò differentiæ ſubalternæ, quamuis non conueniat differentiæ infimæ, non ideò probatur differre ſpecie ab illa; quia quamuis hæc definitio per ſe conueniat differentiæ ſubalternæ, vt ſic: tamen reſpectu differentiæ, quæ eſt tertium prædicabile, accidentalis definitio eſt, ſicut quamuis homo albus, inquantum albus, eſſentialiter ab homine nigro differat, inquantum niger eſt, non tamen abſolutè: & in ratione hominis: ita ſimiliter differentiæ in ratione tertij prædicabilis accidentale eſt prædicari de pluribus differentibus ſpecie, vel numero, quia ſolum eſt differentia ſecundum magis, & minus: inde definitio, quæ per ſe conuenit differentiæ, quę eſt tertium prædicabile, eſt huiuſmodi: *Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus inquale eſſentialiter*, in qua definitione tam differentia infima, quàm ſubalterna conueniunt.

Et ſi dicas: Ergo ſequitur, quòd genus, & ſpecies non ſint diuerſa prædicabilia, quia non diſtinguuntur per modum eſſentialem eſſendi, & prædicandi de multis, ſed per accidentalem, ſicut differentia infima, & ſubalterna. Reſpondetur negando conſequentiam, quia genus, & ſpecies non diſtinguuntur tantum

tum

Digitized by Google

tum per modum accidentalem, ſcilicet per prædicari de pluribus differentibus numero, vel ſpecie, ſed etiam per modum eſſentialem, ſcilicet in eo quòd genus prædicatur incompletè, quia eſt pars, quæ componit ſpeciem: ſpecies autem prædicatur completè, id eſt, tanquam totum compoſitum ex genere, & differentia.

Ad ſecundum reſpondetur, eſſe longè diuerſam rationem de prædicari in quid, & in quale. Ratio eſt, quia cum vniuerſale dicat eſſe vnum in multis, illa conſtituunt diuerſa vniuerſalia eſſentialia, quæ habent diuerſum modum eſſentialẽ eſſendi in multis, & hoc reperitur in genere, & ſpecie; nam genus non eſt in ſpeciebus, vt tota eſſentia illarum, ſed tanquam pars eſſentiæ, quia ſpecies vltra genus addit differentiam ſpecificam, & ita genus prædicatur de ſpeciebus incompletè: at verò ſpecies prædicatur de indiuiduis cõpletè, quia dicit totam eſſentiam. Cuius ratio eſt, quia quamuis indiuiduum, vt indiuiduum eſt, dicat differentiam indiuidualem, quam non dicit ſpecies, v. g. homo, tamen differentia indiuidualis ſolùm eſt differentia materialis, & non pertinens ad eſſentiam: nam vt ſuprà diximus, duo indiuidua eiuſdem ſpeciei non differunt formaliter, & eſſentialiter, & ita differentia indiuidualis non pertinet ad eſſentiã: tum etiam, quia vt ſuprà vidimus, natura ex ſe neque dicit eſſe ſingularem, neque vniuerſalem: ergo differentia indiuidualis non pertinet ad eſſentiam, & ita ſpecies prædicatur cõpletè de indiuiduis; at verò differentia infima, & ſubalterna, vtraque habet eundem modum prædicandi, ſcilicet incompletè, quia vtraque differentia eſt pars eſſentiæ, & ſolum differunt ſecundum magis, & minus, quæ eſt ſolum accidentalis differentia.

Ad confirmationem reſpondet Maſius ſect. 1. q. 8. & Tole. in hoc capite differentiam infimam, & ſubalternam habere eundem modũ prædicandi, quia differentia infima, v. g. rationale, & poteſt ad ſpeciem, quã conſtituit comparari, & de qua prædicatur, ſcilicet ad hominem, & ſimiliter poteſt comparari ad indiuidua ſpeciei, de quibus prædicatur, & ita inquit, quòd differentia infima non habet eſſe tertium prędicabile in ordine ad indiuidua, de quibus prædicatur, ſed in ordine ad ſpeciem, quã conſtituit, & ita prædicatur de ſpecie, ſicut ſubalterna.

Sed hæc ſolutio falſa eſt, nam vniuerſale dicit eſſe vnum in multis, ſed ſpecies, quam conſtituit differentia, vnica tantum eſt, v. g. rationale tantùm conſtituit vnicam ſpeciem hominis: ergo differentia non habet eſſe vniuerſale, & tertium prædicabile in ordine ad ſpeciem, quam cõ-

ſtituit, ſed in ordine ad inferiora illius ſpeciei, de quibus pręedicatur in quale, vt prædicatur rationale de Petro, & Paulo.

Quare ad argumentum reſpondetur, quòd prædicabilia diſtinguuntur penes diuerſum modum eſſentialem prædicandi de multis, non tamen per diuerſum modum accidentalē, qualis eſt prædicari de pluribus differentibus numero, vel ſpecie, quia ſolum eſt differentia ſecundum magis, & minus, vt probatum eſt.

Sed inſtabis, nam differentia infima prædicatur de indiuiduis ſpeciei, quam conſtituit, mediatè, v. g. rationale prædicatur immediatè de homine, & mediatè de Petro, & Paulo: ſed prædicationes mediatæ non pertinent ad prædicabilia, vt dictum eſt: ergo differentia infima non habet eſſe prædicabilem in ordine ad indiuidua ſpeciei, ſed in ordine ad ipſam ſpeciem, quam conſtituit, & de qua prædicatur immediatè. Reſpondetur negando antecedens, cum potius differentia ſpecifica prædicetur immediatè de indiuiduis ſpeciei, & ita non mediante ſpecie. Ratio eſt euidens, quia nullum totum poteſt eſſe immediatum alteri, niſi aliquid illius ſit immediatum illi, ſed ſpecies eſt quoddam totum immediatū ad indiuidua: ergo ideò eſt, quia aliquid ſpeciei eſt immediatū in indiuiduis, ſed hoc immediatum non eſt genus, quod eſt pars ſpeciei, quia genus potius prædicatur mediatè de indiuiduis ſpeciei: ergo tale immediatum ad indiuidua eſt differentia ſpecifica, atque adeò prædicatur de indiuiduis ſpeciei immediatè.

Ad vltimum reſpondetur verum eſſe, quòd magis differunt differentia infima, & ſubalterna, quam duæ infimæ: inde tamen non licet colligere, quòd differentia infima, & ſubalterna differant eſſentialiter, quia illa maior diuerſitas ſolum eſt accidentalis, & non eſſentialis, ſicut magis differunt maſculus, & fœmina, quàm duæ fœminæ: inde tamen non probatur maſculum, & fœminam differre ſpecie, quia illa maior diuerſitas ſolum eſt accidentalis.

Ex dictis in hac quæſtione, ſequitur, quod differentia, quę eſt tertium prædicabile, eſt ſpecies infima vniuerſalis: oſtendimus enim differentiam infimam, & ſubalternā non differre eſſentialiter, & ita idem proportionali modo, dicendum eſt de proprio infimo quale eſt riſibile, & de ſubalterno, quale eſt ſenſitiuum, imò, & in accidenti, quod eſt quintum prædicabile, dicendum eſt etiam, non variare rationem eſſentialem prædicabilis, quòd prædicetur de pluribus differentibus numero, vt quando prædicatur album de Petro, & Paulo, vel de differentibus ſpecie, vt quando pręedicatur de homine, & equo.

Secun-

Secundò aduertendum eſt circa definitionem hanc, quam hactenus explicuimus, quod differentia dicitur prædicari in quale, quia prædicatur tanquam aliquod contrahens, non tamen contrahit illa inferiora, de quibus prædicatur, ſed dicitur prædicari in quale, quia ſaltem contrahit prædicata ſuperiora.

Circa illam definitionem, qua definitur differentia in hunc modum: *Differentia eſt qua differunt à ſe ſingula*, poſſet aliquis obijcere, nam differentiæ differunt inter ſe, & non per alias differentias, alias daretur proceſſus in infinitum, ſimiliter duo genera generaliſſima etiã differunt inter ſe, & non per differentias, quia nullum habent genus commune, quod diuidant illæ differentiæ: ergo illa definitio non eſt exacta. Reſpondetur, optimè à Soto, quod differre ſtat dupliciter. Primò propriè, & ſic illa differunt, quæ conueniunt in aliquo vniuoco, & nõ ſunt omnino eadem, vt homo, & equus: alio modo aliqua differunt, quia ſunt primò diuerſa, & ſic differunt duo genera generaliſſima, quæ in nullo vniuoco conueniunt. Porphyrius autem loquitur de differentia propriè ſumpta, qualiter nõ differunt duo genera generaliſſima, ſed ſunt primò diuerſa.

Similiter duæ differentiæ propriè non dicuntur differre, ſed eſſe primò diuerſæ, quia non differunt per alias differentias, ſed ſe ipſis. Porphyrius autem ſemper loquitur de eo, quod eſt differre propriè.

QVÆST. III.

Vtrùm differentiæ includant in ſuo conceptu genus.

LOquimur de genere, & differẽtia materialiter ſumptis, ita vt ſit ſenſus, verbi gratia, vtrum rationale includat animal in ſuo conceptu eſſentiali. Et ſuppono tanquam certum apud omnes, genus non includere in ſuo conceptu differentias. Primò, quia animal vt ſic abſtrahit à rationali, & irrationali.

Secundò, quia ſequeretur, ſi animal includeret in ſuo conceptu rationale, quòd equus eſſet rationalis, quia equus includit animal, quod in ſuo conceptu includit rationale.

Tertiò, quia nihil poteſt includere in ſuo conceptu res contrarias; ſed differentiæ inter ſe ſunt contrariæ, id eſt repugnantes, & incompoſſibiles, vt rationale, & irrationale, vt optimè docuit Ariſt. 1. Metaph. cap. 12. & 1. Phyſicorum. cap. 6. ergo differentiæ non ſunt de conceptu intrinſeco generis.

Ex his ſuppono ſecundò, quòd differentiæ non continentur actu in genere, ſed ſolum in potentia, & non loquimur de differentia conſtituente ipſum genus, quia certum eſt illam actu contineri in genere,

Digitized by Google

cum illud conſtituat, qualiter animal actu includit ſenſibile, ſed loquimur de differentijs diuiſiuis generis, quales ſunt reſpectu animalis rationale, & irrationale. Et ratio huius eſt, quia animal ex ſe, neque eſt rationale, neque irrationale, vt diximus, ſed quid contrahibile per differentias iſtas, atque adeò non continet illas actu.

Tertiò ſuppono: genus non continere actu ſpecies, vt aliqui exiſtimant. Ratio eſt, quia quamuis genus actu ſit contractum à parte rei in ſpeciebus, tamen nõ continet illas per modum incluſionis in ſuo intrinſeco conceptu, vt rationes hactenus factæ euidenter conuincunt: nam ſi animal in ſuo intrinſeco conceptu includit hominẽ, omnia animalia eſſent homines, quia omnia participant rationem animalis, in qua eſt incluſa ratio hominis.

Prætereà, quia ſi genus actu continet ſpecies, & actu contineret differentias, differentię actu continentur in ſpecie, quia ſunt de ratione illius. Dicendum ergo eſt tam ſpecies, quàm differentias, ſolum contineri in potentia in genere, diuerſimodè tamen, quia ſpecies cõtinentur tanquam partes ſubiectiuæ inferiores, in quibus ipſum genus clauditur, differentias verò continet, tanquam id, per quod eſt contrahibile ad ſpecies, non tamen clauditur in conceptu illarum, vt iam dixi.

Solum ergo eſt dubium, vtrum differentiæ diuidentes genus contineant illud in ſuo intrinſeco conceptu. Et ratio dubitandi eſt, quia rationale formaliter loquendo non eſt accidens, cum conſtituat hominem, qui eſt ſubſtantia: ergo eſt ſubſtantia formaliter; ſed ſubſtantia eſt genus generaliſſimum prædicamenti ſubſtantiæ: ergo iam differentiæ eſſentialiter, & formaliter includunt genus.

Secundò, quia vniuerſale eſt genus ad quinque prædicabilia: ergo includitur in quinq; prædicabilibus, ſed alterum ex prædicabilibus eſt differentia, ergo includit in ſuo cõceptu genus.

Verumtamen cõmunis omnium ſententia eſt genus nõ includi in cõceptu differentiarũ contrahentium, ita enim docet Porphyrius expreſſe in hoc capite, & Ariſt. 4. Top. c. 2. & 3. Met. text. 10. & lib. 11. c. 1. vbi ex eo probat ens non eſſe genus, quia includitur in eſſentia differentiarum: idem docet S. Thom. 1. contra Gen. c. 17. & ibidẽ Ferra. Deniq; eſt communis ſententia. Et probatur primò ex ratione Ariſt. loco citato: nam ſi genus includitur in ratione differẽtiarum, ſequitur quòd in omnibus definitionibus committatur nugatio, id eſt repetitio eiuſdẽ rei; nam in hac definitione: *Animal rationale*, animal bis poneretur, primò per ſe, ſecũdò verò incluſum in differẽtijs.

Secun-

Secundò, quia omnis pars eſt minor ſuo toto, ſed differentia eſt pars ſpeciei: ergo minus dicit quã species, ſed ſpecies includit genus; ergo differentia non poteſt illud includere, aliàs tantùm diceret, quantùm ſpecies, quia dicit ſe ipſam & genus.

Tertiò, quia differentia, vt differentia eſt, non eſt principium conueniendi, ſed differendi; ſed ſi differentia includeret in ſuo conceptu genus, eſſet principium conueniendi, quia in ratione generica omnes ſpecies conueniunt: ergo differentia non includit genus in ſuo conceptu.

Quartò quia ſequeretur, differentias non eſſe primò diuerſas, nam conuenirent in ratione generica, quam includunt, tanquàm in aliquo vniuoco, & ita non eſſent primò diuerſæ: vnde vlteriùs fieret, quòd differrent per alias differentias, & illæ per alias, & ſic in infinitum.

Ex quibus infero primò quod genus nõ prædicatur primò, & per ſe de differentijs, quia non includitur in illis, & ita hæc eſt falſa prædicatiò formaliter: Rationale eſt animal; & reduplicatiuè loquendo ſolùm eſt vera identicè; nam idem, quod eſt rationale, nempe homo, eſt animal.

Infero ſecundò, maximum eſſe diſcrimen inter differentias diuiſiuas generis, ex vna parte, & inter modos intrinſecos, per quos contrahitur ens ad ſua inferiora, qualiter ens contrahitur ad ſubſtantiam per eſſe per ſe, & ad accidens per eſſe in alio. Ratio eſt, quia iſti modi per quos contrahitur ens, claudunt ipſum ens in ſuo intrinſeco conceptu; nam, cum ſint aliquid, includunt ens, & ita eſſe per ſe dicit eſſe, & idem eſt de eſſe in alio, & ita meritò non appellantur differentiæ, ſed modi intrinſeci, quia includunt in ſe diuiſum, differentiæ verò non claudunt in ſuo conceptu genus, quod contrahunt.

Vnde ad rationes dubitandi reſpondetur. Ad primam, quod rationale eſt ſubſtantia incompleta, quia eſt pars hominis, qui eſt ſubſtantia completa, & ita non claudit in ſuo conceptu genus generaliſſimum prædicamenti ſubſtantiæ, quia hoc non eſt quælibet ſubſtantia, ſed ſubſtantia completa.

Ad ſecundam reſpondetur. Verum eſſe, quod differentia, quæ eſt tertium prædicabile, claudit in ſuo conceptu vniuerſale, quia eſt ſpecies illius, & non differentia diuiſiua illius: hîc verò loquimur de differentijs diuiſiuis, & ita illa differentia, per quam contrahitur vniuerſale ad differentiam, quæ eſt tertium prædicabile, nõ eſt eſſentialiter vniuerſalis, vt ſuprà explicuimus, ſed tantùm accidentaliter; & denominatiuè, in quantum per comparationem

Digitized by Google

tionem ad ſua inferiora denominatur vniuerſalis, tamen ex ſe, & eſſentialiter ſolùm habet conſtituere ſpeciem, vt rationale ſolùm accidentaliter, & denominatiuè eſt vniuerſale, & ita non probatur, quòd genus includatur in conceptu eſſentiali differentiarum contrahentium. Et hæc de hac quæſ.

QVÆST. IV.

Vtrùm differentia inferior formaliter includat differentias ſuperiores.

CErtum eſt differentias inferiores materialiter ſumptas includere in ſuo conceptu differentias ſuperiores, qualiter rationale materialiter eſt idem, ꝙ homo, qui homo includit in ſuo conceptu ſenſitiuũ, quod eſt differentia ſuperior: loquimur ergo de differentia inferiori formaliter, prout diſtinguitur formaliter ab ſpecie, quã componit, an includat in ſuo conceptu differentias ſuperiores: v. g. vtrùm rationale formaliter includat ſenſitiuum. Partem affirmatiuam tenet in hoc c. Cante. & Sconci. 7. Met. q. 37. exiſtimat eſſe probabilem. Et probari poteſt primò ex Ariſt. 7. Met. c. 12. vbi ait quod differentia ſuperior poteſt diuidi in inferiores per ſe, & per accidens, v. g. habens pedes diuiditur per differentias per accidens, in habens pedes albos, & in habens pedes nigros, per ſe verò diuiditur in habens pedes ſciſſos, & non ſciſſos, ſed diuiſum debet includi in membris diuidentibus: ergo differentiæ inferiores claudunt differentias ſuperiores in ſuo conceptu.

Præterea eodem loco citato ait, quod differentia vltima, ſeu infima eſt tota ſubſtantia rei; ſed ſi non clauderet in ſuo conceptu differentias ſuperiores, non eſſet tota ſubſtantia rei, quia differentiæ ſuperiores, etiam ſunt de eſſentia rei, vt ſenſibile eſt de eſſentia hominis: ergo reuera includunt differentias ſuperiores in ſuo conceptu.

Prætereà eodem loco ait; hanc propoſitionem eſſe veram: Sciſſio pedum eſt peditas; ſed ſciſſio pedum eſt differentia inferior, & peditas eſt differentia ſuperior; ergo differentia inferior formaliter includit ſuperiores.

Secundò probatur, quia rationale formaliter, vel eſt ſenſibile, vel inſenſibile: ſed ſenſibile, & inſenſibile ſunt differentiæ ſuperiores: ergo differentia inferior formaliter includit ſuperiores. Contraria tamen ſententia nobis tenenda eſt, ſcilicet differentiam inferiorem formaliter non includere in ſuo conceptu differentias ſuperiores. Hanc ſententiam tenet D. Th. 1. cont. Gent. c. 17. & 1. p. q. 90. ar. 10. Scot. in 4. d. 11. q. 3. & 7. Met. q. 17. Capre. in 1. d. 2. q. 2. Sco. c. de gen. Villalpa. Maſius in hoc

Digitized by Google

hoc c. Denique eſt communis ſententia: & probatur ex Ariſ. 6. Topic. 3. & 2. li. poſt. c. 14. vbi ait rem aliquam poſſe definiri per genus ſupremum, adiectis tamen omnibus differentijs intermedijs, vt ſi definiamus hominem hoc modo: Homo eſt ſubſtantia corporea, ſenſitiua, rationalis, ſed ſi differẽtia inferior includeret formaliter ſuperiores, hoc non liceret, quia committeretur nugatio; nam eadem differentia ſuperior bis poneretur, primò per ſe ipſam, ſecundò incluſa in differentia inferiori: ergo ex ſententia Ariſt. differentia inferior formaliter non claudit differentias ſuperiores.

Sed ratione probatur primò, quia alias ſequeretur, hanc definitionem: *Animal rationale*, eſſe nugatoriam, quia ſenſibile clauditur in animali, cum ſit differentia eſſentialiter conſtitutiua illius, ergo ſi includeretur etiam in rationali, quod eſt differentia inferior, iam bis poneretur: vnde illa definitio eſſet nugatoria.

Secundò, quia differentia, vt differentia eſt, debet eſſe principium differendi duo inter ſe, & non conueniẽdi, nam per differentiam, vt differentia eſt, nullo modo poſſunt conuenire: ſed ſi differentia inferior, v. g. rationale, formaliter includeret differentiam ſuperiorem ſcilicet ſenſibile, differentia iam eſſet formaliter principiũ conueniendi, quia homo, & equus conueniunt in ratione ſenſibilis: ergo differentia inferior formaliter non poteſt includere differentias ſuperiores.

Tertiò, quia ſi differẽtię inferiores includunt ſuperiores, ergo in aliquo cõueniunt, nempe in illa ratione ſuperiori, & in aliquo differunt, nempe in ratione differentiali: ergo iam illa vltima ratio differentialis, nõ includit aliquẽ conceptũ ſuperiorem, in quo conueniant, atque adeò iam ſunt concedendæ differentiæ inferiores, quæ formaliter non includant ſuperiores.

Ex dictis ſequitur primò, quòd differentia ſuperior, v. g. ſenſibile, non prædicatur de inferioribus, vt de rationali, quia vt prædicatum dicatur de ſubiecto, debet eſſe in illo, differẽtia autẽ ſuperior, vt probauimus nõ includitur in inferioribus.

Sequitur ſecundò, quòd differentiæ ſunt primò diuerſæ. Ratio eſt, quia illa appellantur primò diuerſa, quæ in nullo vniuoco ſuperiori conueniunt, qualiter prædicamenta inter ſe appellantur primò diuerſa, quia quamuis conueniant in ratione entis, quæ eſt ratio analoga, tamen non conueniunt in aliqua ratione ſuperiori vniuoca, aliàs hæc ratio vniuoca eſſet genus, & ita ſupra genus generaliſſimum cuiuslibet prædicamenti eſſet dari aliquod genus, quia ergo differentiæ conueniunt in genere, quia non includunt

cludunt illud in ſuo conceptu, vt diximus, neque in differentia aliqua ſuperiori eiuſdem prædicamenti, propter eandem rationem, ideò differentiæ ſunt inter ſe primò diuerſæ; nam quamuis conueniant in ratione differentiæ in communi, hæc tamen ratio non eſt vniuoca, ſed analoga, nam differentia communis eſt quid analogum, vt diximus 1. q. huius capitis. Tùm etiam quia ſi differentiæ non eſſent primò diuerſæ: ergo differrent per alias differentias, & illæ per alias, & ſic in infinitum.

Sequitur tertiò ex dictis, quòd differentia eſt vltimus conceptus rei irreſolubilis, quia diſtinctio rerum ſumitur ab vltima actualitate, quia idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum, v. g. rationale conſtituit hominem, & diſtinguit illud, à quocunque alio; ſed vnum quodque habet eſſe ab vltima actualitate, id eſt ab vltima perfectione eſſentiali: ergo hoc vltimum irreſolubile, eſt differentia diſtinguens illud ab alijs.

Quartò ſequitur ex dictis, quòd differentiæ nullam habent compoſitionem Metaphyſicam ex genere, & differentia, tùm quia in nullo vniuoco conueniunt, vt probatum eſt; tùm etiam, quia non differunt per alias differentias, vt diximus, & ita ſunt prorſus ſimplices Metaphyſicè; id eſt carent compoſitione Met. ex genere, & differentia, verum eſt, quod habent aliquam compoſitionē ex ratione ſuperiori differentiæ, & ex ratione partiali talis differentiæ.

Addo tamen ſecundò, quòd ſi loquamur de compoſitione Phyſica differentiæ, poſſunt habere illam: nam rationale Phyſicè ſumptum dicit compoſitum ex corpore, & anima, conſiderando hoc compoſitum, prout rationale eſt, homo verò dicit idem compoſitum conſiderando etiam illud, vt animal eſt, & ita in differentijs poteſt reperiri compoſitio ex partibus Phyſicis, vt ex materia, & forma.

Vltimò ex dictis, ſequitur aliquas eſſe differentias eſſentiales, quæ intendi poſſunt, & remitti; nam intenſa albedine, vel intenſo calore, non ſolùm intenditur calor quatenus qualitas eſt abſolutè, ſed quatenus talis qualitas eſt ſcilicet vt eſt calor: iam ergo etiam differentia eſſentialis caloris intenditur, & remittitur, atque adeò ſuſcipit magis, & minus. Quando verò Porphy. in litera huius capitis dixit, differentiam eſſentialem non ſuſcipere magis, & minus, intelligendum eſt in differentijs eſſentialibus ſubſtantialibus; nam ſubſtantia non intenditur neque remittitur, hoc enim eſt proprium accidentium, non verò debet intelligi de differentijs eſſentialibus accidentium, iſtæ enim intendun-tur.

Digitized by Google

tur, & remittuntur ſicut accidentia ipſa.

Et ſi obijcias: illud commune axioma, quòd, *Eſſentiæ rerum conſiſtunt in indiuiſibili*: ergo differentia eſſentialis non ſuſcipit magis, & minus. Reſpondetur, quod eſſentiæ rerum dicuntur conſiſtere in indiuiſibili, non quidem, quia prædicata eſſentialia illarum, aliquando non poſſint intendi, & remitti, ſed quia non licèt addere tali rei aliquod prędicatum nouum eſſentiale, neque etiam detrahere aliquod illorum: nam ſi ab homine auferas animal, non manet homo, ſi verò addas eſſe irrationale, non manet homo, & penes hoc dicuntur conſiſtere in indiuiſibili.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum, quòd quandò Ariſt. dicit habens pedes per ſe diuidi in habens pedes ſciſos, & habens pedes non ſciſos, non loquitur de his differentijs formaliter ſumptis, ſed materialiter, quatenus ſunt res ipſæ, quæ habent pedes, & ita non probatur differentiam inferiorem formaliter ſumptam includere ſuperiorem, & ita hæc propoſitio. Bipes eſt pedeſtre, eſt vera materialiter non formaliter,

Et eodem modo reſpondetur ad ſecundum locum, quòd differentia infima, v.g. rationale, eſt tota eſſentia hominis ſumpta materialiter, qua ratione eſt idem quod homo, non verò ſumpta formaliter.

Ad tertium locum reſpondetur quod illa propoſitio: ſciſio pedum eſt peditas, eſt vera in ſenſu reali, & idẽtico, qualiter hæc eſt vera: Rationale eſt ſenſitiuum, non tamen eſt vera in ſenſu formali, ſicut neque in hoc ſenſu, hæc eſt vera. Rationale eſt ſenſitiuum.

Ad ſecundum reſpond. quod rationale formaliter, neque eſt ſenſibile, neque inſenſibile. Primò, quia ſenſibile, & inſenſibile diuidunt ſubſtantias completas, rationale autem formaliter ſumptum, cum ſit pars differentialis non eſt ſubſtantia completa: tum etiam, quia vt ſupra dictum eſt, cum reduplicatione poteſt dari medium inter oppoſita, qualiter homo ex ſe neque eſt albus, neque niger.

QVÆST. V.

Vnde ſumatur genus & differentia, tam in ſubſtantijs, quam in accidentibus.

CVm entia, vel ſint ſubſtantia, vel accidens, & rurſus ſubſtantia, vel corporea, vel ſpiritualis, de omnibus his inquiri poteſt principium, vnde ſumatur ratio generica, & ratio differentialis ſpecifica, nam de principio indiuiduationis modò

non diſputamus, de hoc enim erit propria diſput. 1. Phyſ.

Hoc ſuppoſito prima ſententia aſſerit, in ſubſtantijs materialibus genus ſumi à materia, & differentiam à forma: nam ſubſtantiæ immateriales, cum non habeant compoſitionem ex materia & forma, certum eſt, non ſumi in illis genus à materia, & differentiam à forma, ſed aliunde. Hanc ſententiam tenet Caiet. de ente, & eſſentia c. 6. Ferra. 2. contra Gent. c. 95. Maſi. hic ſect. 2. q. 5. quos plures alij ſequuntur. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia genus dicit quendam gradum contrahibilem per plures differentias, & differentia dicit entitatem quandam determinantem, & perficientem genus, ſicut & forma dicit entitatem determinantem, & perficientem materiam, & materia dicit entitatem contrahibilem per pluras formas, ergo ſumitur genus à materia, & differentia à forma.

Veruntamen ſi hæc ſententia contendat genus ſumi tantùm à materia, & differentiam tantùm à forma, ſemper mihi viſa eſt falſa. Ratio eſt, quia equus non ſolùm conſtituitur in ratione generica animalis præcisè, quia habet materiam, quia etiam lapis habet materiam eiuſdem ſpeciei cum materia equi, vt dicemus in Phyſica, ſed etiam cõſtituitur in ratione animalis, per ſuam formam quæ ſicut quatenus eſt talis forma, dat eſſe equi, ſic quatenus eſt forma ſenſitiua, dat eſſe animalis, & quatenus eſt corporea tribuit eſſe corporis, & quatenus eſt forma ſubſtantialis, tribuit eſſe ſubſtantiæ; ergo gradus generici non ſolum ſumuntur à materia, ſed etiã à forma tribuente illos effectus formales, ſecundum diuerſos gradus eiuſdem formæ.

Neque valet dicere, genus non ſumi à materia adæquate, ſed radicaliter: nam contra hoc eſt, quod materia equi ſola non eſt radix, quòd equus ſit animal, quia materia ex ſe eſt indifferens ad omnes formas, ſiue ſenſitiuas, ſiue inſenſitiuas: ergo illa ſola non eſt radix propria, vnde ſumatur genus.

Quare facilius decidi poteſt generaliter hæc quæſ. tam in ſubſtantijs, quam in accidentibus genus ſumi à tota quidditate, ſiue entiate rei, prout perfectibilis eſt vlteriori perfectione formali, & eſſentiali, differentiam verò ſumi ab eadem entitate rei, prout iam eſt vltimatè perfecta. Ratio eſt facilis, quia homo quatenùs animal dicit ſuam entitatem, non tamen, prout vltimatè perfectã per rationale: ergo ab hac entitate, vt ſic, ſumitur ratio generica: ſimiliter homo, quatenùs rationalis, dicit ſuam entitatem, vt iam vltimatè perfectam per gradum rationalitatis: ergo ab hac entitate, vt ſic, ſumitur differentia, nempè rationa-

tionale. Hanc ſententiam tenet Soncin. 10. Metaph. cap. 25. Durand. in 2. diſp. 3. q. 2. & plures alij; verum eſt, hoc differre inter ſubſtantiam, & accidentia, quòd accidentia dicunt entitatem habentem ordinem ad ſubiectum, cui inhærent, ſecus verò ſubſtantiæ, quia ſunt ens per ſe; nihilominus tamen in illa entitate accidentis, eſt diſtinguere aliquid, prout vltimatè perfectum, vel prout perfectibile vlteriori perfectione eſſentiali, & ita concluſio allata vniuerſalis eſt.

Ad fundamentũ contrariæ ſententiæ reſpondetur. Aliud eſſe, quòd genus quoddammodo aſſimiletur materiæ, & differentia formæ, aliud verò, quod genus ſumatur à ſola materia, & differentia à ſola forma, & ita vt argumentum benè probat, genus aſſimilatur materiæ, & differentia formę, tamen non probat genus ſumi à ſola materia, & differentiam à ſola forma.

Ex quibus infero quòd non eſt neceſſarium, vt res aliqua habeat cõpoſitionem Metaphyſicam, ex genere, & differentia, quod habeat aliquam compoſitionem Phyſicam. Primò, quia in eadem indiuiſibili entitate, eſt diſtinguere rationem ſuperiorem, & inferiorem, etiamſi nullam demus realem compoſitionem.

Secundò, quia in Angelis, quamuis de facto reperiatur compoſitio realis ex eſſentia, & ſubſiſtentia, tamen conſiderando præcisè eſſentiam illorum, qua ratione nullam habent compoſitionem, ſed eſt quid ſimplex, adhuc eſt diſtinguere rationem genericam Angeli, & rationem differentialem talis Angeli in tali eſſentia, ergo non eſt neceſſaria compoſitio Phyſica, & realis, vt intelligamus in aliqua re compoſitionem Metaphyſicam ex genere, & differentia. Et hæc de hoc capite.

Digitized by Google

CAPVT DE PROPRIO.

POſt quàm Porphyrius egit de prædicabilibus eſſentialibus accedit ad explicanda accidentalia, & priùs de proprio, quam de accidenti diſputationem aggreditur, quia proprium dimanat ab eſſentia, accidens verò ab extrinſeco. Caput adeò breue eſt, vt nulla indigeat partitione. Adducit in eo Porphyrius quatuor acceptiones proprij. Proprium primo modo eſt, quod conuenit ſoli, & non omni, vt eſſe Grammaticum, vel Medicum, ſoli homini conuenit, & non omni, Proprium ſecundo modo eſt, quod conuenit omni, & non ſoli, vt eſſe bipedem, conuenit omni homini, & non ſoli, conuenit enim alijs animalibus. Proprium tertio modo eſt, quod conuenit omni, & ſoli, ſed non ſemper vt caneſcere, omni, & ſoli homini conuenit, ſed non ſemper, ſed in aliqua determinata ætate, vel in ſenectute. Proprium quarto modo eſt, quod conuenit omni, & ſoli, & ſemper, & conuertibiliter de ſpecie prædicatur, vt riſibile reſpectu hominis, quia ſolus homo, & omnis, & ſemper eſt riſibilis, quia quamuis non ſemper rideat, habet tamen aptitudinem ad ridendũ ſemper. Concludit tamen Porphyr. dicendo, quòd proprium quarto modo, quod conſtituit quartum prædicabile, eſt verè & propriè proprium prædicabile. Et hæc in litera huius capitis.

Sed dicet aliquis quare Ariſtot. 1. Topic, cap. 4. tantùm recenſeat tres modos proprij, ſcilicet propriũ ſimpliciter, & proprium quando, & ad aliquid. Porphyr. in præſentia adduxit quatuor modos: nam, aut Ariſt. ibi diminutè, aut Porphyr. in hoc capite ſuperflue procedit. Reſpondetur nullam eſſe contradictionem, quia quòd ibi Ariſtot. vocat proprium ſimpliciter, Porphyr. vocat proprium quarto modo, & quod Ariſt. vocat proprium Quando, Porphyrius vocat proprium tertio modo, & quod Ariſtot. vocat proprium ad aliquid, id eſt proprium ſecundum quid, id eſt reſpectu quorundam; Porphyrius diuiſit in duos priores modos proprij claritatis gratia: vnde nulla eſt contradictio inter Ariſt. & Porphyrium, ſed potius cohærent: necdum quòd proprium ſecundo modo, & primo, non ſunt propria, niſi referantur ad alias ſpecies, vt eſſe Grammaticum eſt homini accidentale, tamẽ ſi referatur ad equum

eſt

Digitized by Google

eſt proprium, & ſimiliter eſſe bipedem eſt accidentale homini, tamen ſi referatur ad aliquam ſpeciem non habentem bipedem eſt proprium.

Circa literam huius capitis primò eſt notandum, quòd ex allatis acceptionibus proprij, & ex vltima proprietate proprij quarto modo, optimè poteſt colligi definitio proprij quæ ſic ſe habet: *Proprium eſt, quod conuenit omni, ſoli & ſemper, & conuerſim prædicatur.* Quod proprium definit Ariſtotel. 1. Topico. cap. 4. dicendo: *Proprium eſt quod non indicat quod quid eſt eſſe rei, ſoli autem ineſt, & conuerſim prædicatur.* Per primam particulam: *Proprium eſt quod non indicat quod quid eſſe rei,* differt proprium à genere, differentia, & definitione, quę indicāt quidditatem rei: per ſecundam: *Soli autem ineſt*, differt ab accidenti, quod pluribus ineſt, per vltimam: *Et conuerſim prædicatur*, differt à proprio primo, & ſecundo, & tertio modo ſumpto.

Sed notandum eſt obiter, quod Porphyrius logicè loquendo nō definit propriū, quod conſtituit quartum prædicabile, tum quia facilè erat eius definitionē ex allatis acceptionibus colligere. Tum etiam, quia in capite de genere aſſignando definitionem generis, poſuit hoc diſcrimen inter genus, & proprium, quod genus de pluribus ſpeciebus, proprium autem de vnica ſpecie, & de inferioribus ſub illa contentis prædicatur.

Secundò notandum eſt, quod ſicut differentia habet per ſe reſpicere ſpeciem, & inferiora ſub illa contenta, ſiue illa ſint ſpecies, ſiue indiuidua: nam hoc ſimiliter eſt accidentale ita ſimiliter proprium.

Ex quo primò colligitur, quòd ſicut differentia habet rationē vniuerſalis ex vna ſpecie, & ex eius inferioribus, vt poſſit habere plura, ad quæ formaliter terminetur: pari ratione proprium habet rationē vniuerſalis, ex vna ſpecie, & ex eius inferioribus, vt poſſit habere plura, ad quæ formaliter terminetur.

Secundò colligitur, quòd ſicut eſt accidentale differentiæ eſſe ſubalternam, aut infimam, & ad idem prędicabile pertinent, ita eſt accidentale proprio eſſe ſubalternum, aut infimum & ad idem prædicabile pertinent.

Tertiò notandum eſt, quòd in proprio ſunt duo: alterum eſſe genericum, ſcilicet eſſe vniuerſale, alterum eſſe ſpecificum, ſcilicet conuerſim prædicari, vnde non mirum eſt, quòd ex diuerſis radicibus, & principijs dimanent: nam etiam genus, & differentia ſumuntur ex diuerſis principijs, & proprium habet, quòd conuerſim prædicatur, ab ſpecie, & ab inferioribus rationem vniuerſalis: vnde eadem prædicatione, qua proprium prædicatur de ſpecie

QVÆSTIO.

Vnica in hoc capite, vtrum propria paſſio realiter à ſubiecto dimoueri poſſit.

PRima ratio dubitandi eſt: nam ſi propria paſſio diſtinguitur, & ſeparatur à ſubiecto: ergo non diſtinguitur ab accidenti communi, ſed conſequens eſt falſum: ergo illud, ex quo ſequitur.

Secunda ratio eſt. Verum, & bonum, ſunt paſſiones entis, ſed non poſſunt ſeparari ab illo: ergo propria paſſio non poteſt ſeparari: Minor probatur, nam eo ipſo, quòd remanet ens, manet intelligibile: ergo eſt verum. Probo conſequentiam, quia verum nihil aliud eſt, quàm ens intelligibile. Et ſimiliter eo ipſo, quòd remanet ens, manet appetibile: ergo bonum. Probo conſequentiam, quia bonum nihil aliud eſt, quàm ens appetibile.

Tertia ratio dubitandi eſt. Appetitus materiæ, eſt paſſio materiæ, & diuiſibilitas eſt paſſio quantitatis: ſed hæc omnia non poſſunt ſeparari à ſubiecto: ergo propria paſſio non poteſt ſeparari à ſubiecto.

Pro intelligentia huius quæſtionis notandum eſt, quòd nomine paſſionis in præſentia non intelligimus paſſionem, quæ eſt de prædicamento paſſionis, condiſtinctam à prædicamento actionis: neque ſimiliter intelligimus tertiam ſpeciem qualitatis, quę nuncupari ſolet paſſio, ſeu paſſibilis qualitas. Et ratio eſt, nam huiuſmodi paſſiones ſunt in certis, & determinatis prædicamentis, & non diuagantur per omnia: at verò paſſio, de qua hîc loquimur, diuagatur per omnia prædicamenta, & omnia tranſcendit, vt patet in paſſionibus entis: nomine ergo paſſionis intelligimus paſſionem fluentem ab eſſentia: nam hoc nomen *Propria paſſio*, ſignificat rem fluentem ab eſſentia: vnde tota æquiuocatio tollitur addendo huic nomini *Paſſioni* hanc vocem, *Propria*, ita quòd vocetur, *Propria paſſio.*

Secundò notandum eſt, quòd propria paſſio poteſt ſumi dupliciter: vno modo, ita quòd ordinetur ad formam ſubſtantialem, vt appetitus materiæ ordinatur ad formam. Secundò poteſt ſumi, prout ordinatur ad actum accidentalem, ſiue efficiendum, ſiue recipiendum. Efficiendum, ſicut riſibile ordinatur ad efficiendum riſum. Recipiendum, ſicut diaphaneitas in aëre ordinatur ad recipiendum lumen. Tertio modo poteſt ſumi, prout ordinatur ad modum rei, ſicut bonum, & verum. De his ergo tribus paſſionibus procedit noſtra quæſtio: vnde patet ſenſus quæſtionis, vtrùm ſcilicet propria paſſio, quæcunque ex his ſit, realiter ſeparetur à ſubiecto: nam quòd per intellectum

Digitized by Google

lectum poſſit ſeparari, non eſt dubium.

Pro huius deciſione quæſtionis primum fundamentum ſit. Duplex eſt potentia, alia ordinaria, ſiue naturalis, alia abſoluta, ſiue ſupernaturalis. Ordinaria eſt, qua Deus medijs agentibus naturalibus ſecundum curſum naturæ producit effectus. Abſoluta eſt, qua Deus ſuper omnem curſum naturæ producit effectus. Sed certum eſt, quòd noſtra quæſtio nō procedit de prima potentia: nam hac ratione, vt benè probat prima ratio dubitandi, in hoc diſtinguuntur accidens commune, & propria paſſio, quod accidens commune poteſt ſeparari à ſubiecto eodem manente; at verò propria paſſio non poteſt ab illo ſeparari abſque eius mutatione, quia agens naturale non impedit, cùm non habeat tantam vim, vt fluxus, quo paſſio dimanat ab eſſentia, impediatur: ſed quæſtio eſt, vtrùm de potentia Dei abſoluta propria paſſio realiter poſſit dimoueri à ſubiecto.

Secundum fundamentum eſt huiuſmodi. Propriæ paſſiones ſunt in duplici differentia: aliæ ſunt, quæ non realiter diſtinguuntur à ſubiecto, vt ſunt illæ, quæ ordinantur ad formam ſubſtantialem, & illæ, quæ dicunt modum rei: quæ prima pars fundamenti ab omnibus cum Ariſt. 4. Met. recipitur dicente, *Paſſiones entis non realiter diſtingui ab ente.* Quod à nobis probatur hac ratione.

Vt paſſiones entis realiter diſtinguerentur ab ente, deberent illi ſuperaddere aliquid poſitiuum diſtinctum realiter ab ente; ſed nullum poſitiuum poteſt ſuperaddi enti, cùm omnia poſitiua in ſe includat: ergo paſſiones entis non diſtinguuntur realiter ab illo: imò in conceptu earū debet includi ipſum ens: aliàs enim ſequeretur, quòd eſſent nihil, nam extra ens ſolū eſt nihil; ſed huiuſmodi paſſiones in tantum per intellectum diſtinguuntur ab illo, inquantum illud modificant, & quod ens dicebat implicitè, paſſiones dicunt explicitè; nam ens rationem bonitatis dicit implicitè: bonum autem, quod eius paſſio eſt, dicit bonitatem clarè, & explicitè.

Secunda pars huius fundamenti eſt, quòd paſſiones, quæ ordinantur ad aliquem actum accidentalem, ſiue efficiendum, ſiue recipiendum, realiter diſtinguuntur à ſubiecto, vt ſunt riſibilitas, intellectus, & voluntas, quæ ſunt paſſiones animæ, inquantum ordinantur ad actum accidentalem volendi, & intelligendi: quæ ſecunda pars fundamenti ab omnibus etiam recipitur cum ſancto Thoma 1. p. q. 77. vbi docet, quòd in Angelis intellectus, & voluntas, realiter diſtinguuntur à ſubſtantia immateriali.

Quod etiā probatur tribus rationibus

nibus. Prima eſt. Subiectũ ab omnibus eſt ſubſtantia, propria autem paſſio, quæ ordinatur ad actum accidentalem, eſt qualitas; ſed qualitas, & ſubſtantia realiter diſtinguuntur ſecundum omnes, quia ſunt diuerſa prædicamenta: ergo paſſio, quæ ordinatur ad actum accidentalem, diſtinguitur realiter à ſubiecto.

Secundò probatur, Actus, & potentia ex Ariſt. ſunt in eodem genere, quæ propoſitio, licèt non ſit ita intelligenda, vt actus, & potentia ſint in eodem prædicamento: nam hac ratione eſſet falſa: nam potentia eſt in prædicamento qualitatis, & actus in prædicamento actionis: tamen debet intelligi hac ratione, quòd ſi actus ſit ſubſtantialis, potentia ſimiliter ſit ſubſtantialis, vtrumque in prædicamento ſubſtantiæ: & ſi actus ſit accidentalis, potentia ſimiliter ſit accidentalis, licèt ſint in diuerſis prædicamentis accidentis. Tunc ſic: ergo propria paſſio, quæ ordinatur ad actum accidentalem, eſt accidens; ſed omne accidens realiter diſtinguitur à ſubiecto, ſcilicet ſubſtantia: ergo paſſio, quæ ordinatur ad aliquem actum accidentalem, realiter diſtinguitur à ſubiecto.

Tertiò probatur. In creatis eſſe, & operari, realiter diſtinguuntur; ſed ſubiectum ſecundum omnes ordinatur ad eſſe, & potentia ſecundum omnes ad operari ordinatur: ergo manifeſtè ſequitur, quòd paſſio, quæ ordinatur ad aliquem actum accidentalem, realiter diſtinguitur à ſubiecto.

His prænotatis, ſtatuitur concluſio hæc. Paſſiones, quæ realiter diſtinguuntur à ſubiectis, miraculosè, & de potentia Dei ſupernaturali poſſunt ſeparari à ſuis ſubiectis. Quæ concluſio hac ratione probatur. Duo entia abſoluta, quæ diſtinguuntur realiter, ita ſe habent, quòd intellectus poſſit intelligere vnum realiter ſine alio, ſed ſubiectum, & paſſio ſunt duo entia abſoluta: ergo poteſt intellectus realiter vnum ſine alio intelligere; ſed id, quod intellectus poteſt intelligere, poteſt Deus de ſua potentia abſoluta efficere: ergo paſſio, quæ realiter diſtinguitur à ſubiecto, miraculosè, & de potentia ſupernaturali poteſt ſeparari ab illo realiter: vnde in Sacramento Euchariſtiæ quantitas, quæ eſt paſſio ſubſtantiæ corporeæ, reperitur ſine ſubſtantia, & realiter ſeparatur ab illa ſubſtantia panis, ita quòd tantùm remaneat quantitas, & eſſentia ſine ſubſtantia.

Triplex diſcrimen reperitur inter propriam paſſionem, & accidens commune. Primum eſt, quòd vt benè aduertit Sotus, propria paſſio ſeparata à ſubiecto, cùm ab illo fluat, remanet radicale fundamentum productiuum ipſius paſſionis, vt poſtquàm Deus abſtulerit illud impedi-

pedimẽtum, iterũ de nouo fluat ipſa paſſio, vt licèt Deus ſeparet riſibilitatẽ ab homine, remanet in illo fundamentum radicale, vt poſtquàm Deus illud impedimentum auferat, ſtatim de nouo fluat paſſio: at verò accidens commune, cùm non fluat ab eſſentia, non remanet radicale fundamentum, vt poſſit, poſtquàm ablatum fuerit impedimentum, de nouo fluere.

Ex hoc ſequitur ſecundũ diſcrimen, & eſt, quòd licèt eſſentia poſſit intelligi ſine paſſione, non tamen poteſt intelligi cum eius oppoſito, vt quamuis rationale poſſit intelligi abſque riſibilitate, non tamen poteſt intelligi cum hinibilitate: at verò accidens commune poteſt ſeparari à ſubiecto, vt poſſit non ſolum intelligi ſubiectum ſine illo, verum etiam cum eius oppoſito, vt coruus non ſolum poteſt intelligi ſine nigredine, imò potiùs intelligi poteſt cum albedine.

Tertium diſcrimen eſt, quod propria paſſio non poteſt naturaliter ſeparari à ſuo ſubiecto: at verò accidens commune poteſt naturaliter ſeparari à ſubiecto: ſed non omne accidens poteſt ſeparari, ſed tantum illud, quod eſt differentia communis: nam huiuſmodi accidens commune eſt ſeparabile per ſe: at verò accidens, quod eſt differentia propria, non ſeparatur à ſubiecto naturaliter: ſed tamen hoc eſt diſcrimen inter paſſionem; & differentiam propriam, quòd differentia propria per accidens eſt inſeparabilis: at verò propria paſſio eſt inſeparabilis per ſe.

Pro intelligentia ſecundæ concluſionis notandum eſt, quod dupliciter poteſt propria paſſio ſeparari à ſubiecto. Primò, ita quod maneat ſubiectum in rerum natura abſque paſſione, ſicut manet albedo ſine ſimilitudine. Secundo modo, ita quòd maneat paſſio ſeparata à ſubiecto, ſicut manet quantitas, quæ eſt paſſio ſubſtantiæ per ſe exiſtens abſque ſubſtantia, vt vidimus in Sacramento Euchariſtię, vbi manet quantitas panis ſine ſubſtantia panis; ſed tamen non omnes paſſiones, etiamſi diſtinguantur realiter, hoc modo ſeparantur à ſubiectis; nam ſaltem intellectus, & voluntas, quæ ſunt paſſiones animæ, non poſſunt exiſtere per ſe abſque ipſa anima. Et ratio eſt, nàm cùm iſtæ paſſiones ex natura ſua ordinentur ad exercendas operationes vitales, & hæ non poſſint exerceri ſeparatæ ab ipſa anima, hinc eſt, quòd non poſſint exiſtere ſine illa.

Secunda concluſio eſt: Illæ paſſiones, quæ non diſtinguuntur realiter à ſubiecto, nullo modo poſſunt ſeparari à ſubiecto: imò aliquæ ſunt paſſiones, quæ nec primo, nec ſecundo modo poſſunt ſeparari ab illis. Prima pars huius concluſionis pro-

Digitized by Google

probatur: nam ſi huiuſmodi paſſiones ſeparantur à ſubiectis, ita quòd paſſiones exiſtant abſque ſubiectis: ergo cùm ſubiectũ ſit ſine paſſione, paſſio ſine ſubiecto, diſtinguuntur realiter. Patet conſequentia: Nullum eſt aliud certius ſignum diſtinctionis realis, quàm vnum ab alio, & aliud ab ipſo ad inuicem ſeparari. Vnde idem poſſumus dicere de huiuſmodi paſſionibus, ac diximus de fundamento relationis: nam ſicut diximus, quòd benè poteſt ſtare, quòd fundamentum ſit abſque relatione, non autem relatio ſine fundamento: pariter dicimus, quòd benè poteſt ſtare, quòd ſubiectum ſit abſque paſſione, non autem è contrà, quòd paſſio poſſit exiſtere abſque ſubiecto.

Secunda pars huius concluſionis probatur in hunc modum. Nam licèt illæ paſſiones non poſſint ſeparari iſto ſecundo modo, poſſunt tamen ſeparari illo primo modo, ſicut diuiſibilitas in ordine ad locum: & nihilominùs quantitas poteſt exiſtere ſine diuiſibilitate, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ, vbi manet quantitas corporis Chriſti omninò indiuiſibiliter in ordine ad locum.

Hoc ſuppoſito, probatur, nam, ſunt aliquæ paſſiones, quæ nec primo, nec ſecũdo modo poſſunt ſeparari à ſubiectis, vt ſunt paſſiones entis, quæ non poſſunt ſeparari ab ente, quia illud in ſuo conceptu includunt, neq; ens poteſt ſeparari ab huiuſmodi paſſionibus, quia eo ipſo, quod manet ens, manet intelligibile, & appetibile, & per conſequens verum, & bonum.

Quibus ſuppoſitis reſpondetur ad ſecundam rationem dubitandi, (nam prima iam manet ſoluta) quod tantum probat hanc ſecundam partem ſecundæ concluſionis, ſcilicet, quod paſſiones entis non poſſint à ſubiecto, ſcilicet ente, ſeparari neq; primo, neq; ſecundo modo. Ad tertiam reſpondetur, quod illa tantum probatur prima pars ſecundæ concluſionis, ſcilicet, quod appetitus materiæ, licèt non poſſit ſeparari à materia, tamen materia poteſt eſſe ſine appetitu: imò hoc etiam videtur inintelligibile, quod poſſit eſſe materia ſine appetitu ad formam, quia per ſe ordinatur ad illam.

Sed eſt quoddam argumentum. Duo relata, quamuis diſtinguantur realiter, ſicut Pater & Filius, tamen non poteſt intelligi, quòd remaneat Pater in eſſe Patris ſine Filio: ergo pari ratione non poterit intelligi, quòd poſſit quamuis ſubiectum, & propria paſſio diſtinguantur realiter, quod paſſio dimoueri à ſubiecto. Ad hoc reſpondetur diſparem eſſe rationem: nam relata conſiſtunt in eſſentiali habitudine vnius ad aliud, atque ita vnum non poteſt intelligi,

quod maneat ſine altero: nam ſi auferatur terminus relationis, deſinit eſſe relatio: at verò cum ſubiectum, & propria paſſio ſint quædam entia abſoluta, quæ non conſiſtunt in hac eſſentiali habitudine, poterit ſeparari propria paſſio à ſubiecto.

In calce notandum eſt, quod exacta definitio proprij hæc dari poteſt, *Proprium eſt, quod prædicatur de pluribus in quale per ſe ſecundò*, quæ definitio exacta eſt. Per illam particulam, *In quale*, differt à genere, & ſpecie, quæ prædicantur in quid. Per illam, *Per ſe ſecundò*, differt à differentia, quæ prædicatur in quale per ſe primò: per vltimam ſcilicet *Per ſe*, differt ab accidenti, quod per accidens prædicatur.

Secundò notandum eſt, quod diuiſio proprij in hac acceptione eſt generis in ſpecies, ſi primo intentionaliter ſumatur, ſicut diximus de diuiſione differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam.

CAPVT DE ACCIDENTI.

INtentum Porphyr. in hoc cap. eſt agere de accidenti, quod eſt quintum prædicabile, duo agit. Primo adducit vnicam definitionem, & diuiſionem accidentis. Secundò adducit alias duas definitiones eiuſdem. Inquit ergo Porphyrius, quod accidens illud eſt, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem: & hoc duplex eſt: aliud ſeparabile, vt dormire, aliud inſeparabile, vt nigredo à coruo. Deinde definit accidens duplici definitione deſumpta ex Ariſt. 1. Topic. cap. 4. Prima eſt: *Accidens eſt, quod contingit eidem ineſſe, vel non ineſſe.* Secunda: *Accidens eſt, quod neque eſt genus, neque ſpecies, neque differentia, neque proprium, ſemper tamen ineſt ſubiecto.*

Circa literam.

CIrca literam huius capitis notandum eſt, Porphyrium hic agere tam de accidenti prædicabili, quàm prædicamentali, quia omne illud, quod eſt extra eſſentiam rei, & nõ eſt eius proprietas, appellatur accidens, ſiue ſit accidens reale, vt albũ, ſiue ſit accidens rationis, vt denominari genus, vel ſpecies.

Secundò notandum eſt, quod accidens poteſt conſiderari duobus modis. Primò, prout tantum dicit naturam realem accidentalẽ, quod vocari poteſt accidens reale, vt eſt albedo ſecundum ſe. Secundò, prout dicit iſtam naturam vniuerſalem,

tamen

Digitized by Google

tamen communem pluribus ſubiectis, & de illis prædicabilem, qua ratione etiam inuoluit ſecundam intentionem vniuerſalis, & prædicabilis, ſicut alia prædicabilia: & hoc vocari poteſt accidens intentionale, & de vtroque ſigillatim ſequenti diſputatione agendum eſt.

DISPVT. VNICA.

De ratione accidentis, tam realis, quam intentionalis.

QVÆST. I.

Quid ſit accidens reale, & an benè definiatur à Porphyrio.

NOtandum eſt. quòd accidens, v. g. album, poteſt comparari ad duo. Primò ad inferiora eſſentialiter ſub illo contenta, qualiter: comparatur album in communi ad hoc, & ad illud album. Secundò poteſt comparari ad ſubiecta, quibus ineſt albedo, & quæ accidentaliter denominantur alba, vt ad hominem, & equum,

Certum ergo tenendum eſt, accidens non habere rationem quinti prædicabilis in ordine ad inferiora eſſentialiter ſub illo contenta, vt album, ſed potiùs in ordine ad ſubiecta, de quibus accidentaliter prædicatur, vt album reſpectu hominis, & equi. Ratio eſt, quia album accidentaliter non prædicatur de ſuis inferioribus, ſcilicet de hoc, & illo albo, ſed potiùs eſſentialiter: nam ſicut hæc eſt eſſentialis prædicatio. Hic homo eſt homo, ita hęc: Hoc album eſt album, quia eſt prędicatio ſecundi prædicabilis: ergo accidens non habet eſſe quintum prædicabile in ordine ad ſua inferiora eſſentialiter ſub illo contenta, ſed potiùs in ordine ad ſubiecta, quia de his prædicatur accidentaliter, vt album de homine, & equo.

Et hinc infero, quòd accidentia in abſtracto non poſſunt habere rationem quinti prædcabilis. Ratio eſt, quia accidentia in abſtracto, v. g. albedo, non prędicantur de ſuis ſubiectis, quibus accidentaliter inſunt: hæc enim eſt falſa prædicatio: Homo eſt albedo; & ita ſola accidentia in concreto pertinent ad quintum prædicabile, vt album, quod prædicatur de ſubiecto, quod denominatur album.

Et ſi obijcias: Nam vniuerſale habet eſſe tale in ordine ad ea, de quibus abſtrahitur, vt homo eſt vniuerſalis reſpectu Petri, & Pauli, quia abſtrahitur ab illis, ſed accidens, v. g. album in communi abſtrahitur à ſuis inferioribus, nempè ab hoc, & illo albo: ergo in ordine ad illa eſt vniuerſale, & quintum prædicabile.

Reſpondetur, quòd album in cõmuni poteſt abſtrahi à ſuis inferioribus, ſcilic. ab hoc, & illo albo, & ſic

Digitized by Google

conſtituit ſecundum prædicabile, quia prædicatur eſſentialiter de differentibus numero. Secundò poteſt abſtrahi à ſubiectis, quæ etiam ſunt inferiora, ſaltē accidētaliter cōtenta ſub illo in cōmuni, vt quādo abſtrahitur albū ab homine, & equo, & per hanc ſecundā abſtractionem cōſtituitur accidens quintum prædicabile, non verò per primam, quia reſpectu inferiorum non eſt accidens, ſed prædicatum eſſentiale.

Sed obijcies ſecundò: Nam ſi accidens eſt quintum prædicabile in ordine ad ſubiecta, ſequitur, quòd accidens quintum prædicabile ſit analogum. Et probatur, quia rebus diuerſorum prædicamentorum nihil datur commune vniuocum, ſed analogum, ſed accidens prædicatur de ſubiectis diuerſorum prædicamentorum, nam prædicatur de ſubſtantia, & quantitate in his prædicationibus: Subſtantia eſt alba: Quantitas eſt alba: ergo in ordine ad ſubiecta, quibus accidentaliter conuenit, non poteſt accidens conſtituere quintum prædicabile, quia prædicabile debet eſſe aliquid vniuocum. Reſpondetur, quod rebus diuerſorum prædicamentorum nihil datur cōmune vniuocum eſſentiale, quia iam eſſet aliquod genus ſuperius generaliſſimis diuerſorum prędicamētorum, tamen benè poteſt dari aliquod commune vniuocum accidentale, nam album vniuocè conuenit tam ſubſtantiæ, quam quantitati.

Sed inſtabis contra ſolutionem, quia ex Ariſt. cap. de ſubſtantia prædicari vniuocè aliquid de alio, eſt prædicari nomine, & ratione; ſed nomen, Album, nō eſt nomen, ſubſtantia, vel quantitas: ergo non prædicatur de ſubſtantia, & quantitate. Reſpondetur, quòd quando Ariſt. dicit, quòd prædicari vniuocè, eſt prædicari nomine, & ratione, non eſt ſenſus, quòd nomen prædicati ſit nomen ſubiecti illius, alias animal non prædicaretur vniuocè de homine, & equo, quia nomen, Animal, non eſt homo, vel equus. Sed ſenſus eſt, quòd tam nomen, quam ratio ſignificata per nomen, conuenit homini, & equo: & quia tam nomen album, quam ratio ſignificata per illud conuenit ſubſtantiæ, & quantitati, quia verè, & propriè denominantur alba, ideò prædicatur album de ſubſtantia, & quantitate vniuocè.

Ex dictis ſequitur, quod accidens aliquando prædicatur de pluribus differentibus genere, vt album de ſubſtantia, & quantitate, aliquando de differentibus ſpecie, vt de homine, & equo: aliquando verò de differentibus numero, vt idem album prædicatur de Petro, & Paulo; & ita accidens in communi debet definiri per prædicari de pluribus, vt abſtrahitur à pluribus differentibus numero,

Digitized by Google

mero, ſpecie, vel genere: vnde accidens poteſt definiri hoc modo: *Accidens eſt, quod prædicatur de pluribus in quale accidentaliter, non conuertibiliter*: in qua definitione in primis ponitur illa particula, *In quale*, quia prædicari in quale (vt ſæpè dixi) eſt prædicari vt aliquid contrahens, & determinans ad tale eſſe: & quia, v. g. album contrahit, & determinat hominem ad tale eſſe, albi ſcilicet, ideò prędicatur in quale; ſed quia hoc eſſe, ad quod determinat accidens ſubiectum, accidentale eſt, vt eſſe album, vel nigrum, ideò adducta eſt in definitione illa particula, *Accidentaliter*. Ponitur autem illa particula, *Non conuertibiliter*, quia accidens non conuertitur cum ſpecie, de qua prædicatur, vt cum homine: nam neque valet: Eſt homo: ergo eſt album: neque è contra: in quo differt à proprio; nam hoc ſaltem conuertitur cum ſpecie, cuius eſt proprium, vt riſibile cum homine.

Quibus ſuppoſitis, difficultas huius quæſtionis ſolum in eo conſiſtit, vt explicemus definitiones accidentis à Porphyrio adductas. Et quidē prima definitio ſe habet in hunc modum: *Accidens eſt, quod abeſt, & adeſt præter ſubiecti corruptionem*. Circa quam conueniunt omnes, quòd adeſſe, & abeſſe ſubiecto, nimis accidentale eſt accidenti, definitio autem debet explicare naturam, aut proprietatem aliquam rei: debet ergo ſumi pro potentia, ita vt definitio efficiat hunc ſenſum: *Accidens eſt, quod poteſt abeſſe & adeſſe, abſque ſubiecti corruptione.*

Sed ſtatim oritur difficultas, an iſtæ particulæ, *Adeſſe, & abeſſe*, ſumantur primè intentionaliter, ita vt idem ſit abeſſe, & adeſſe, quod realiter, & phyſicè ſeparari, vel non ſeparari à ſubiecto: an verò ſumantur ſecundè intentionaliter, ita vt idem ſit abeſſe, & adeſſe, quod affirmari, & negari de ſubiecto, ſalua illius eſſentia, ita vt definiatur hic accidens ſumptum ſecundè intentionaliter, pro concreto inuoluente ſecundam intentionem accidentis quinti prædicabilis, & naturam accidentalem.

In qua re prima ſententia affirmat hic definiri accidens ſumptum primè intentionaliter, ita vt illæ particulæ, *Abeſſe, & adeſſe*, ſumantur primè intentionaliter pro reali præſentia, & ſeparatione à ſubiecto, ſalua illius eſſentia. Quam ſententiam tenet Card. Tolet. in hoc capite. Et primò videtur habere fundamentū in Porphyrio, qui poſteaquam definiuit accidens, ſtatim illud diuiſit in ſeparabile, & in inſeparabile; ſed hic diuiditur accidens reale: ergo idem definitum erat antea. Probo conſequentiam, quia idem, quod definitum erat, poſtea diuiditur.

Secundò, quia prædicationes negatiuæ non pertinent ad prædicabilia,

lis, vt ſuprà dixi diſp. 2. de Vniuerſ. quæſt. vlt. ergo illa particula, *Abeſſe*, non poteſt ſumi ſecundè intentionaliter, prout idem eſt, quod negari: debet ergo ſumi realiter, & primè intentionaliter.

Tertiò, quia ſequeretur hanc definitionem etiã conuenire proprio, quod eſt quartum prædicabile. Ratio eſt, quia ſaltem de potentia abſoluta poteſt Deus ſeparare ab homine riſibilitatem, & tunc erit vera hæc propoſitio: Homo non eſt riſibilis, quia caret riſibilitate, à qua denominatur riſibilis: ergo iam riſibile poteſt affirmari, & negari de homine: atque adeò eſſet quintum prædicabile.

Contraria tamen ſententia communis eſt inter expoſitores, nempè definitionem hanc ſumendam eſſe ſecundè intentionaliter, ita vt illæ particulæ *Adeſſe*, *& abeſſe*, idem ſignificẽt quod affirmari, & negari, ſalua eſſentia ſubiecti. Sic explicat Maſius, & Caietanus in hoc capite: & eſt ferè commmunis ſententia.

Vnde dicendum eſt conſequenter ad ſuprà dicta, quòd hîc definitur accidens, prout eſt quoddam concretum inuoluens naturam accidentalem, & ſecundam intentionem quinti prædicabilis: neque tantùm definitur hic accidens prædicabile, vt quidam exiſtimant, ſed omne accidens, ſiue prędicabile, ſiue prædicamentale, quia de omnibus hîc ſaluatur, quòd poſſint affirmari, & negari, ſalua eſſentia ſubiecti. Tùm etiam, quia aliàs diminutè proceſſiſſet Porphyrius non definiens omne prædicabile. Tùm, quia accidens prædicamentale, vt denominatum à ſecunda intentione quinti prædicabilis, iam eſt prædicabile, quamuis natura ipſa, quæ denominatur prædicabilis, ſecundum ſe conſiderata, pertineat ad prædicamenta accidentium, propter quod appellatur accidens prædicamentale.

Hæc ſententia hoc modo intellecta probari poteſt. Primò, quia in reliquis capitibus præcedentibus ſemper definit Porphyrius prædicabilia ſumpta ſecundè intentionaliter, ſcilicet prout etiam inuoluunt ſecundas intentiones: ergo ſimiliter hæc definitio debet intelligi ſecundè intentionaliter, atque adeò illæ particulæ *Adeſſe &*, *abeſſe*, idem ſignificant, quod affirmari, & negari.

Secundò, quia etiam accidentia rationis pertinent ad quintum prædicabile, vt denominari aliquid genus, vel ſpecies, pertinere ad quintum prædicabile; ſed accidentia rationis non poſſunt realiter inhærere, vel dimoueri à ſubiecto aliquo, quia non habent ſubiectum inhæſionis: ergo illæ particulæ *Adeſſe*, *& abeſſe*, non debent ſignificare realem inhæſionem.

Te-

Tertiò, quia ſequeretur accidentia in abſtracto poſſe denominari quintum prædicabile, v. g. albedo, quia de illa verificatur, quod realiter poteſt inhærere, & dimoueri à ſubiecto, in quo eſt; ſed accidentia in abſtracto non pertinent ad quintum prædicabile, vt antea dicebam: ergo illæ particulæ non debent ſumi primè intentionaliter.

Eſt tamen aduertendum, quod illæ particulæ *Adeſſe, & abeſſe*, non debent intelligi ſimul, quia impoſſibile eſt, idem ſimul abeſſe, & adeſſe; ſed debent intelligi ſucceſſiuè, id eſt, poteſt adeſſe modò, modò verò abeſſe; & ita non ſunt oppoſita.

Et ſi dicas: Quando aliquid conuenit alicui per ſe, eius oppoſitum neque per ſe, neque per accidens poteſt competere; ſed accidenti per ſe cònuenit poſſe adeſſe ſubiecto: ergo eius oppoſitum, ſcilicet abeſſe, nullo modo illi competit. Reſpondetur, quod poſſe abeſſe ſubiecto, non eſt oppoſitum huius, quod eſt poſſe adeſſe, quia vt dixi, non debent intelligi illa duo ſimul, ſed ſucceſſiuè, ita vt accidens modò poſſit adeſſe, poſtea verò poſſit abeſſe, atque adeò non ſunt oppoſita. Præſertim, quòd vt docuit Ariſt. 1. de cælo, cap. 12. potentiæ ad actus contrarios non ſunt contrariæ, quia eadem potentia viſiua poteſt efficere viſionem albi, & viſionem nigri, qui ſunt actus contrarij, cum tamen ipſa non ſit contraria ſibi ipſi.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententię reſpondetur. Ad primum, quòd quamuis idem accidens, quod prius à Porphyrio definitum erat, poſtea diuidatur in ſeparabile, & in inſeparabile: tamen non opus eſt, quòd ſub eadem ratione definiatur, & diuidatur; & ita definitur accidens, prout inuoluit etiam ſecundam intentionem: diuiditur autem tantum ſumptum primè intentionaliter.

Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe, propoſitiones negatiuas non pertinere ad prædicabilia: tamen in præſentia negari non debet ſumi negatiuè, pro eo, quod eſt negari de ſubiecto, ſed contrariè, pro eo, quod eſt affirmare oppoſitum illius qualitatis, ita vt definitio efficiat hunc ſenſum: Accidens eſt, quod ita affirmatur de ſubiecto, vt etiam illius oppoſitum poſſit de eodẽ ſubiecto affirmari, ſalua eius eſſentia: qua ratione tam album, quam nigrum, poſſunt de homine, ſalua eius eſſentia affirmari; & ita non probatur, propoſitiones negatiuas pertinere ad prædicabilia.

Ad tertium reſpondere quis poſſet, quod paſſio de potentia abſoluta poſſet ſeparari à ſubiecto, accidens verò etiam de potentia naturali ſeparari poteſt. Hæc tamen ſolutio falſa

falſa eſt: nam multa ſunt accidentia, quæ naturaliter non poſſent ſeparari à ſubiecto, vt albedo à cygno. Quare reſpondetur, quòd quamuis propria paſſio poſſit de potentia abſoluta ſeparari à ſubiecto, & ita de illo negari; tamen non poteſt affirmari contraria qualitas de ſubiecto, v.g. quamuis poſſet riſibilitas ſeparari ab homine: tamen propria paſſio equi illi contraria non poteſt affirmari de ſubiecto: illa tamen particula, *Abeſſe*, quod idem eſt quod negari, debet ſumi contrariè, vt dicebamus, quando non verificatur de propria paſſione, verificatur autem de accidenti, quia res poteſt intelligi cum oppoſito illius, ſalua eſſentia, vt diximus.

Ex dictis infero, qualiter non repugnet diuiſio illa accidentis in ſeparabile, & in inſeparabile cum definitione accidentis, ſcilicet quod poteſt adeſſe, & abeſſe. Ratio eſt, quia illæ particulæ, *Adeſſe, & abeſſe*, non ſumuntur pro reali ſeparatione, ſed pro eo, quod eſt affirmari, & negari de ſubiecto, cum quo non repugnat accidens aliquod ſecundum rem eſſe inſeparabile à ſubiecto, quamuis per intellectum, ſalua eſſentia rei negari poſſit de illo.

Et ſi inquiras, qualis ſit hæc diuiſio accidentis in ſeparabile, & in inſeparabile? Reſpondetur eſſe diuiſionem analogi in analogata. Ratio eſt, quia hic diuiditur accidens reale in communi, vt diximus: accidens autem in communi eſt quid analogum, ad nouem prædicamenta accidentium, cum diuerſa prædicamenta non poſſint habere aliquid vniuocum, ſed analogum, vt ſæpè diximus.

Circa illam definitionem, qua definitur accidens hoc modo à Porphyrio: *Accidens eſt, quod neque eſt genus, neque ſpecies, neque differentia, ſemper tamen ineſt ſubiecto*, notandum eſt, in hac definitione etiam definiri accidens, prout inuoluit ſecundam intentionem, quia id, quod in ſubiecto ineſt, non debet intelligi de reali inhæſione, ſed de affirmari, ita vt ſit ſenſus: *Semper autem aptum eſt prædicari de ſubiecto.*

Sed contra definitionem iſtam hoc modo explicatam obijci ſolet: Nam res commodius explicatur per affirmationem, quam per negationem: malè ergo definitur accidens à Porphyrio, *Quod neque ſit genus, neque ſpecies, &c.* Reſpondetur tamen, quod hic non explicatur res per ſolam negationem, ſed etiam per affirmationem, quia tandem dicitur: *Semper autem in ſubiecto ineſt.*

Sed dubitabis vltimò in hac quæſtione, an iſtæ propoſitiones, Homo eſt mortuus: Homo moritur: Homo eſt

eſt exiſtens, pertineant ad hoc quintum prædicabile. Et ratio dubij eſt, quia illa prædicata non poſſunt adeſſe, & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, qualiter mortuum non poteſt aduenire homini præter eius corruptionem, & exiſtens non poteſt abeſſe ab illo, quin corrumpatur.

Reſpondetur, alijs omiſſis ſolutionibus, quòd res aliqua poteſt conſiderari ſecundum eſſe poſſibile, tamen apta ad exiſtendum vel non exiſtendum: & poteſt etiam conſideari ſecundum eſſe actuale exiſtentiæ, quod habet de facto à parte ei.

Dico ergo, quòd abſolutè loquendo, illæ propoſitiones ſunt accidentales, & quinti prædicabilis, quia prædicata in illis propoſitionibus habent vim, vt ſubiectum, nempè homo, accipiatur ſecundum eſſe poſſibile, & ita quia homini hoc modo conſiderato accidentale eſt, quòd exiſtat à parte rei, & quòd moriatur, vel non moriatur, ſalua eſſentia hominis, prout ſupponit in tali propoſitione, ſcilicet ſecundum eſſe poſſibile, ideò illæ propoſitiones, abſolutè loquendo, ſunt accidentales: ſi verò ſubiectum illarum propoſitionum, ſcilicet homo, ſumatur, prout dicit actualem exiſtentiam: tùm in primis illa propoſitio: Homo eſt exiſtens, non eſt accidentalis, ſed potiùs eſſentialis, quia non eſt accidentale homini actualiter exiſtenti, vt ſic, quòd exiſtat, ſed potiùs eſſentiale: illa verò propoſitio: Homo moritur, accidentalis eſt, nam verbum illud: Moritur, non ſignificat hominem non eſſe, ſed eſſe nimis propinquum corruptioni, quod poteſt adeſſe, & abeſſe, præter ſubiecti corruptionem, quia multi ſunt, qui, quamuis nimis ſint propinqui corruptioni, reuiuiſcunt: illa verò propoſitio: Homo eſt mortuus, eſt falſa, ſi homo dicat actualem exiſtentiam, quia repugnat hominem exiſtentem eſſe mortuum: abſolutè tamen loquendo, vera eſt, & contingens, vt ſuprà diximus, quia ſubiectum illud, Homo, ſupponit alio modo.

QVÆST. II.

Quæ ſit eſſentia, & natura accidentis realis.

EGimus hactenùs de natura accidentis, prout eſt quintum prædicabile, agendum reſtat de ipſa natura reali accidentali, & loquimur de accidenti, prout diſtinguitur contra ſubſtantiam, nempè quod pertineat ad aliquod ex nouem prædicamentis accidentium.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd cum accidens ſit illud ens, quod alteri accidit, procul dubio accidens, vt ſic, dicitur alteri ineſſe: tamen alteri ineſſe, ſtat dupliciter. Primò inhæſiuè, & extrinſecè

exiſtere in te, quam habet pro ſubiecto, in quo accidens exiſtit, qualiter albedo dicitur inhærere parieti, quia eſt aliquid extrinſecè in illo exiſtens, tanquam in ſubiecto. Alio modo poteſt eſſe accidens in alio adhæſiuè, non quia illi intrinſecè inhæreat, ſed quia illi adhæret: tamen eſt intimè exiſtens in re ipſa, qualiter veſtis dicitur accidens hominis, non quia illi inhæreat intimè; ſed quia adhæret illi: & res iſtæ, quæ alijs adhærent, non ſunt accidentia, abſolutè loquendo; nam veſtis potiùs eſt ſubſtantia quædam: quamuis reſpectu huius ſubiecti dicantur accidentia, quia illi contingenter accidunt: loquimur ergo de accidentibus, quæ inhærent, quæ appellantur accidentia prædicamentalia, quia pertinent ad aliquod ex nouem prędicamentis accidentium.

Secundò notandum eſt, quod inhærentia duplex eſt: alia actualis, & eſt illa actualis exiſtentia in ſubiecto, quam de facto habet: quæ inhærentia an diſtinguatur ex natura rei ab entitate ipſius accidentis, non eſt huius loci examinari. Alia verò eſt inhærentia aptitudinalis, & eſt potentia quædam, quam habet accidens, vt poſſit inhærere in ſubiecto.

Hoc ſuppoſito conueniunt omnes, quòd inhærentia actualis non ſit de eſſentia accidentis, ſed potiùs eſt aliquid accidentale illi. Ratio eſt, quia in Sacramento altaris manet eadem quantitas, quæ anteà erat in pane, ſine ſubiecto, cui inhæreat actu: ergo de eſſentia illius non eſt actu inhærere, ſiquidem remanet eadem quantitas ſine ſubiecto, cui actu inhæreat.

Sed obijcies contra hoc, quod reuerà non paruam habet difficultatem: nam inter accidentia quædam ſunt, quæ vocantur accidentia modalia, de quorum diſtinctione ab alijs dicam in Phyſic. qualiter ſeſſio eſt modus ſedentis, & figura eſt modus quantitatis; ſed iſta accidentia non poſſunt intelligi, neque eſſe de potentia abſoluta ſine ſubiecto, quia ſeſſio non poteſt concipi, quin ſit in aliquo ſedente: ergo ſaltem in his accidentibus modalibus inhærentia actualis eſt de eſſentia accidentis. Reſpondetur, quòd adhùc in his accidentibus modalibus inhærentia actualis non eſt de illorum eſſentia. Ratio eſt, quia quamuis de potentia abſoluta non poſſint iſta accidentia eſſe à parte rei, vel concipi exiſtentia à parte rei, quin ſint in aliquo ſubiecto: tamen ſi eorum eſſentia conſideretur ſecundum eſſe poſſibile, non petit quòd actu inhæreat, quia actu inhærere non conuenit rebus poſſibilibus, ſed actualibus; & ita iam eſſentia horum accidentium, ſaltem ſub eſſe poſſibili, conſideratur ſine actuali inhærentia, quamuis à parte rei ſine illa

Digitized by Google

illa dari non poſſint: in quo differunt ab alijs accidentibus, qui non ſunt modi, propriè loquendo, ſed res: nam iſtæ poſſunt dari à parte rei ſine actuali inhærentia de potentia abſoluta, vt diximus de quantitate.

Solùm ergo eſt controuerſia apud authores, vtrùm ſaltem inhærentia aptitudinalis ſit de eſſentia accidentis. Prima ſententia negat, quam tenet Soncin. 7. Metap. q. 1. & Scot. d. 12. q. 1. Cuius ſententiæ fundamentum eſt. Primò, quia illud eſt de eſſentia rei, ſine quo res non poteſt intelligi; ſed ſine inhærentia aptitudinali poteſt intelligi accidens: ergo illa non eſt de eſſentia accidentis. Probatur minor, quia Mathematicus, qui agit de quantitate, conſiderat illam abſtrahendo ab omni ſubiecto: neque enim conſiderat, vtrum circulus ſit in materia lignea, vel ferrea: ergo inhærentia aptitudinalis non eſt de eſſentia accidentis.

Secundò, quia potentia ad inhærendum eſt accidentalis accidenti: ergo non eſt de eius eſſentia. Probatur antecedens, quia illa potentia eſt accidentalis, quæ ordinatur ad actum accidentalem, qualiter potentia ad ridendum eſt accidens de prædicamento qualitatis, quia ordinatur ad actum accidentalem, ſcilicet ad actum ridendi; ſed inhærentia actu accidentale eſt accidenti: ergo potentia ad inhærendum, quæ eſt inhærentia aptitudinalis non eſt de eſſentia accidentis.

Tertiò: Nam in demonſtratione, qua denomonſtratur paſſio de ſubiecto, ante concluſionem habemus conceptum de paſſione; ſed non concipitur, vt inhærens ſubiecto, quia id eſt, quod demonſtratur, nempè quòd inſit tali ſubiecto: ergo poteſt concipi paſſio, non concepta inhærentia, atque adeò inhærentia non eſt de eſſentia accidentis.

His tamen non obſtantibus, communis ſententia à nobis amplectenda eſt, quæ aſſerit, inhærentiam aptitudinalem eſſe de eſſentia accidentis: eam enim tenet D. Thomas de ente, & eſſentia, cap. 7. & ibidem Caietan. quos ferè omnes alij authores ſequuntur.

Et ratione probatur, quia eſſe per ſe, eſt de ratione ſubſtantiæ: nam ſubſtantia eſt ens per ſe: ergo ineſſe in alio, eſt de eſſentia accidentis. Probo conſequentiam: nam ſicut ens contrahitur ad ſubſtantiam per eſſe per ſe, ita contrahitur ad accidens per eſſe in alio: ergo eſſe in alio eſt de eſſentia accidentis, ſed non eſſe in alio actualiter, vt probatum eſt, ergo inhærentia aptitudinalis eſt de eſſentia accidentis.

Secundò, quia quando accidentia definiuntur, definiuntur in ordi-

ne ad ſubiectum: ergo inhærentia aptitudinalis, quam dicunt in ordine ad ſubiectum, eſt de illorum eſſentia.

Ex tamen notandum, quod non ideò negandum eſt, relationem ad ſubiectum eſſe de eſſentia accidentis: nam ſicut accidens non poteſt concipi, quin concipiatur vt aptum ad inhærendum in ſubiecto: ita nec poteſt intelligi ſine ordine ad ſubiectum; & ita tam ordo ad ſubiectum, quàm inhærentia aptitudinalis, ſunt de eſſentia accidentis: neque ſunt idem formaliter ordo ad ſubiectum, & inhærentia aptitudinalis, vt plures falsò fingunt, quoniam illa relatio concipitur quaſi fundata in ipſa entitate accidentis, quæ eſt inhærentia aptitudinalis; & ita non ſunt idem formaliter.

Sed objicies: Si de eſſentia accidentis in communi eſt relatio ad ſubiectum, ſequitur, quòd omnia accidentia ſint relatiua, quia omnia participant rationem accidentis; & ita omnia accidentia pertinere ad prædicamentum relationis. Reſpondetur, quòd illa relatio accidentis ad ſubiectum eſt relatio ſecundum dici, non verò ſecundum eſſe; & ita ſolum probatur, omnia accidentia eſſe relatiua ſecundum dici, non tamen ſecundum eſſe, qualia ſunt, quæ ponuntur in prædicamento relationis. Quæ verò ſit differentia inter hæc relatiua, dicemus ibidem.

Hinc infero, quòd inhærentia aptitudinalis in communi ſolùm eſt relatiua ſecundum dici, & ita non eſt relatiua ſecundum eſſe, ſed potiùs abſtrahit ab abſoluto, & reſpectiuo, quia quædam accidentia ſunt abſoluta, vt quantitas; quædam relatiua, vt paternitas, & ita ſicut accidens in communi eſt quid abſtrahens ab abſoluto, & reſpectiuo, & quid analogum ad omnia prædicamenta accidentium; ita etiam inhærentia aptitudinalis.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum quod Mathematicus conſiderat quantitatem, abſtrahendo ab hoc, & illo ſubiecto in particulari, non tamen ſine ſubiecto aliquo in communi, quia Mathematicus ſaltem non abſtrahit à materia intelligibili.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd non quæcunque potentia ordinata ad actum accidentalem, etiam eſt accidentalis: nam potentia, quam habet ſubſtantia ad recipiendum primum accidens, vel cauſandam primam paſſionem; etiam ordinatur ad aliquod, quod eſt accidens, cum hoc tamen talis potentia nō poteſt eſſe accidēs, quia ante primū accidens non eſt dare accidēs aliquod; & ita quamuis potentia ad inhærendum ordinetur ad aliquid accidentale, non ideò probatur eſſe potentiam accidentalem. Vnde verò ſit cognoſcendum, quando potē-

tia

Digitized by Google

tia aliqua eſt accidens, vel quando eſt ipſa rei eſſentia, dicam capite de qualitate.

Ad tertium, quòd quando demonſtramus paſſionem aliquam de ſubiecto, in præmiſſis cognoſcitur, non vt inhærens in hoc determinato ſubiecto: nam hoc eſt, quod demonſtratur, ſcilicet quòd inſit huic ſubiecto: tamen cognoſcitur in præmiſſis, vt inhærens in aliquo ſubiecto, abſtrahendo ab hoc vel illo: poſtea verò in concluſione infertur inesse huic ſpeciali ſubiecto. Et hæc de hoc capite.

Finis Prædicabilium.

EXPOSITIO IN LIBRVM ANTE PRÆDICAMENTORVM.

HIc Liber tria tantum capita continet, quorum ſubſtantiam ſummatim referemus. In primo ergo capite agit Ariſt. de æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis, dicens æquiuoca illa eſſe, quorum ſolum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ, id eſt ratio ſignificata, maximè diuerſa: vniuoca verò eſſe illa, quorum nomen eſt commune, & ratio per nomen ſignificata eſt eadem reſpectu inferiorum: denominatiua verò ſunt illa, quæ habent appellationem ſecundum nomen, ſolo caſu differentia ab alio, qualiter dicitur Grammaticus, à Grammatica, à quo nomine ſolo caſu differt.

In

Digitized by Google

In ſecundo verò capite agit Ariſt. de complexis, & incomplexis, & inquit, quædam eſſe incomplexa, vt homo, quædam verò complexa, vt hæc dictio. Homo currit, quod eo ſine docet Ariſt. vt explicet inter res quaſdam eſſe complexas, vt ſignificatum huius dictionis complexæ. Homo currit, quaſdam vero incomplexas, vt res ſignificata per hoc nomen, homo, quia ſignificat vnicam tantum rem: ex quibus hæc, inquit, incomplexa, quædam ſunt, quæ de ſubiecto aliquo dicuntur, non tamen ſunt in ſubiecto (intellige inhæſionis) qualiter animal dicitur de homine, non tamen eſt in homine inhæſiuè, cum non ſit accidens, quamuis ſit in illo per modum incluſionis, quia includitur in eſſentia hominis; Alia ſunt, quæ ſunt in ſubiecto, non tamen dicuntur de ſubiecto, vt hoc album eſt in ſubiecto, non tamen dicitur de ſubiecto, quod intelligendum eſt de ſubiecto vniuerſali, nam hoc album non prædicatur de ſubiecto vniuerſali, ſed ſingulari, ſcilicet de hoc corpore in hac prædicatione: Hoc corpus eſt hoc album. Alia verò ſunt, quæ de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt, qualiter, inquit, ſcientia in ſubiecto eſt, nempè in anima inhæſiuè, & de ſubiecto dicitur, de ſubiecto ſcilicet prædicationis, vt de Grammatica; nam ſcientia de Grammatica prædicatur in hac prædicatione: Grammatica eſt ſcientia: Alia verò, inquit, ſunt, quæ nec dicuntur de ſubiecto, nec in ſubiecto ſunt, vt quidam homo, nam quidam homo, cum ſit ſubſtantia, non habet ſubiectum inhæſionis, neque de ſubiecto aliquo dicitur (intellige communi) nam quidam homo bene prædicatur de ſubiecto ſingulari, vt de Petro, & Paulo, vt ſuprà explicatum eſt.

In tertio capite duas adducit regulas obſeruandas. Prima eſt quando aliquid prædicatur de ſubiecto aliquo, etiam prædicatur de contentis ſub illo, vt ſi animal prædicatur de homine, etiam prædicatur de Petro, & Paulo, qui continentur ſub homine in communi.

Secunda regula eſt, quod diuerſorum generum non ſubalternatorum ſunt diuerſæ differentiæ, cuius ſenſus eſt; id eſt, generum diuerſi prædicamenti, diuerſæ ſunt differentiæ diuidentes talia genera, qualiter,

Digitized by Google

ter, inquit, per diuerſas differentias diuiditur animal, & ſcientia, quia animal, & ſcientia ſunt diuerſi prædicamenti: at verò generum ſubalternatorum poſſunt eſſe eædem differentiæ diuiſiuæ, v.g. quia animal eſt genus ſubalternatum reſpectu corporis, quia in eodem prædicamento ſubſtantiæ continetur ſub illo, ideò differentiæ, quæ diuidunt animal, ſcilicet rationale, & irrationale, etiam diuidunt corpus.

Circa hunc librum diſputari ſolet de analogia nominum, & rerum, & ita duo à nobis in hoc libro diſputanda ſunt. Primò de analogia in communi: ſecundò verò de analogia entis, quæ eſt ſpecialis ratio analogiæ.

DISPVT. I.

De analogia in communi.

QVÆST. I.

Quid ſit vniuocum, æquiuocum, & analogum.

PRo huius intelligentia notandũ eſt, quod cum nomina ſignificent res, illud nomen dicitur, v. g. vniuocum, quod ſignificat rem vniuocam cõmunem pluribus, & ſimiliter dicitur nomen analogum, aut æquiuocum, quod ſignificat rem, analogicè, vel æquiuocè cõmunem pluribus. Vnde vt facilè diſcerni poſſit, quod nomen ſit æquiuocum, vniuocum, vel analogum, prius de re ipſa vniuoca, æquiuoca, vel analoga diſputandum eſt.

Et hinc vlterius fit, quòd ratio vniuoci, æquiuoci, vel analogi, ſolum reperitur in vocibus tanquam in ſigno, ita quòd non ob aliud dicatur nomen aliquod, v.g. vniuocum, niſi quia ſignificat rem aliquam vniuocè communem; ad eundem modum, quo vrina appellatur ſana, quia eſt ſignum ſanitatis, quæ eſt in animali; ſed quia analogũ, veluti quoddam medium eſt inter vniuocum, & æquiuocum, ideò prius videndum eſt, quid ſit vniuocum, & æquiuocum, vt inde conſtare poſſit, quid ſit analogum.

Vniuocum verò definitur ab Ariſt. 1. c. huius lib. in hunc modum: *Vniuoca ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata per nomen, eadem*; vbi nomine ſubſtantiæ non intelligit ſubſtantiam de prædicamento ſubſtantiæ, nam etiam in

Digitized by Google

accidentibus reperiri poteſt vera vniuocatio, qualiter albedo, quid vniuocum eſt ad hanc, & illam albedinem, ſed intelligit eſſentiã, & quidditatem; eſſentia enim, & quidditas appellatur eius ſubſtantia, quia per ſe illi conuenit, & non accidentaliter, & ita definitio facit hunc ſenſum: *Vniuoca ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſeu quidditas per nomen ſignificata eadem eſt*, qualiter animal, quid vniuocum eſt ad hominem, & equum, quia non ſolum nomen animal, ſed ratio, & eſſentia ſignificata per illud, eadem eſt in homine, & equo, non quidem ſecundum rem, quia diuerſa realiter ratio animalis reperitur in homine ab ea, quæ eſt in equo, ſicut entitas ipſius hominis diuerſa eſt ab entitate equi, ſed eadem ſecundum genus,

Secundò aduertendum eſt, æquiuoca talia dici, quia in ratione ſignificata per nomen æquiuocè conueniunt, quamuis in alia ratione per aliud nomen ſignificata poſſint vniuocè conuenire, qualiter duo homines, quamuis vniuocè conueniant in ratione hominis, ſignificata per hoc nomen homo, tamen in ratione Petri æquiuocè conueniunt, quia nomen Petrus ſignificat hunc hominem ſingularem, in quo non conuenit alius, quia habet diuerſam indiuiduationem, & ſingularitatem ab alio.

Analoga verò ſic cõmuniter definiri ſolent: *Analoga ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata, neque eſt omnino eadem, neque omninò diuerſa*, quia ſimpliciter non eſt eadem, tamen ſecundum quandam proportionem, & habitudinem eadem eſt, & ita *Analogia*, nomen Græcum eſt, quod proportionem, & habitudinem vnius ad aliud ſignificat, qualiter ens eſt analogum, ad ſubſtantiam, & accidens, quia dicitur de accidenti habitudine, & proportione ad ſubſtantiam, quia accidens definitur, quod ſit entis ens, id eſt, ens habens habitudinem ad ſubſtantiam, quæ eſt ens ſimpliciter: eodem modo ſanum eſt quid analogum reſpectu vrinæ, & ſanitatis, quia dicitur de vrina cum quadam habitudine, & proportione ad ſanitatem animalis, ſcilicet in quantum dicitur vrina ſana, ex eo quòd ſignificat ſanitatem exiſtentem in animali: inferiora autem contenta ſub tali analogo appellantur analogata.

Eſt tamen aduertendum aliqua dici analoga, ſcilicet, quia vnum analogatum habet proportionem, & habitudinem ad aliud, qualiter accidens dicitur ens in ordine ad ſubſtantiam; aliquando verò aliqua dicuntur analogata, quia dicunt habitudinem ad aliud, quod non continetur inter ipſa analogata, qualiter ens dicitur analogicè de nouẽ prędicamentis accidentium, quia dicitur de illis ſecundum quandam proportio-

portionem, & habitudinem, quam habent ad ſubſtantiam, cuius dicuntur accidentia: tandem verò aliqua dicuntur analoga, propter ſimilitudinem, quam habet vnum cum alio, qualiter non ſolum homines, ſed prata dicuntur ridere, quia prata virentia ad ſimilitudinem hominum lætitiam quandam præ ſe ferunt.

Et ſi obijcias; nam eadem ratione ſequitur, quod homo dicatur analogicè de homine viuo, & picto, quia dicitur de picto ſecundũ quandam ſimilitudinem, & proportionem ad hominem viuum. Reſpondetur, quod homo pictus nullam habet ſimilitudinem cum homine viuo, in ratione eſſentiali hominis ſignificata per hoc nomen, *Homo*, neque enim homo pictus abſolutè dici poteſt animal rationale, quæ eſt ratio ſignificata per hoc nomen, *Homo*: ſolum habet quandam exteriorem ſimilitudinem cum homine viuo in figura, non verò in ratione ſignificata per hoc nomen, *Homo*; at verò analoga conueniunt in ratione eſſentiali ſignificata per nomen analogum, ſecundum quandã analogiam, & habitudinem vnius ad aliud, vt in exemplis adductis conſtat.

Et ſi obijcias ſecundò: nam eadem ratione, duo ſimilia dicerentur analogicè talia, quia vnum dicitur tale per proportionem, & habitudinem ad aliud, conſequens autem eſt falſum, quia ſimile quid vniuocum eſt ad hoc, & illud ſimile. Reſpondetur, negando conſequentiam, quià aliud eſt relatio, aliud verò analogia, nam quamuis duæ albedines, in quantum ſimiles ſunt, relatiuè dicat vna habitudinem ad aliam tanquam ad terminum, tamen fundamenta harum relationum nõ dicuntur talia per proportionem, & habitudinem vnius ad aliud: nam vna albedo non habet eſſe talis per attributionem ad aliam; at verò in analogis præter relationem conuenientiæ, quam dicũt fundamenta ipſa, dicuntur per proportionem vnius ad aliud, hoc enim ſignificat nomen, analogia, vt diximus: qua ratione ſanum dicitur de vrina, & animali analogicè, quia præter relationem ſigni adſignatum, habet quaſdam qualitates, quæ dicuntur ſanæ per attributionem ad ſanitatem animalis, quam indicant; & idem facilè inueniri poteſt in quouis analogo.

Ex dictis hactenus patet, qualiter diſtinguantur vniuoca, æquiuoca, & analoga, ſi propriè de illis loquamur: nam impropriè loquendo, aliquando confunduntur, ęquiuoca, & analoga, qualiter Porphyr. cap. de ſpecie ait, quod omnia entis æquiuocè cõueniunt in ratione entia, vbi æquiuocum impropriè ſumitur, pro vt idem eſt, quod analogum, tamen quod vniuoca, æquiuoca, & analoga propriè ſumpta diſtinguantur, ex

Aa 2 dictis

Digitized by Google

dictis patet, vt docuit Ariſt. 4. Metaph. c. 2. vbi dicit ens dici de inferioribus, non vniuocè, neque æquiuocè, ſed ad vnum per quandam vnitatem, & proportionem, quæ eſt analogia.

QVÆST. II.

Quotuplex ſit analogum, & qualiter diſtinguantur inter ſe.

VEniamus iam ad ſingulas analogiæ partes explicandas. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd cum analogum conſiſtat in quadam vnitate ſecundum quid, & proportione vnius analogi ad aliud, ex diuerſa vnitate, & habitudine analogatorum diuerſæ ſpecies analogiæ ſunt deſumendæ, ſunt autẽ duæ ſpecies analogiæ, vt colligi poteſt ex Ariſt. 1. Ethicor. c. 6. alia enim ſunt analoga attributionis, ſeu proportionis: alia verò proportionalitatis, de quibus ſigillatim dicendum eſt; ſemper tamen loquimur de his, quæ propriè dicuntur analoga: nam minus propriè, alia ſunt, quæ dicuntur analoga inæqualitatis, in quantum ratione differentiarum contrahentium, inæqualiter participatur genus ab ſpeciebus: qua ratione, vt ſæpè dixi, animal nobiliori modo reperitur in homine, quàm in equo; hæc tamen impropriè appellatur analogia, potius enim ſunt vniuoca, vt dictum eſt.

Prima ergo ſpecies analogiæ eſt analogia attributionis ſeu proportionis, qua ratione illa dicuntur analoga attributionis: *Quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata eadem eſt ſolum ſecundum proportionem quandam*, qua ratione ſanum dicitur analogia attributionis, ſeu proportionis de animali, vrina, & Medicina, quia hæc omnia dicunt quandam proportionem inter ſe in ſanitate, vrina tanquam ſignum illius, Medicina tanquam conſequentia, animal verò tanquam ſubiectum, in quo formaliter reſidet ſanitas.

Analoga proportionalitatis ſunt illa: *Quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata eadem ſecundum proportionalitatem*, id eſt ſecundum proportionem inter proportiones, qua ratione principium dicitur analogia proportionalitatis de corde, & fundamento domus; nam ſicut cor ſe habet ad animal, cuius eſt principium, ita fundamentum domus ad ipſam, cuius etiam eſt principium: vt viſus dicitur analogicè analogia proportionalitatis, de viſu corporeo, & intellectuali, nam ſicut ſe habet viſus corporeus ad viſibilia, ita intellectualis ad intelligibilia, & ita hæc analogia eſt proportio inter proportiones.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd hæc nomina proportio, & proportionalitas, deſumpta ſunt ab

Digitized by Google

ab Arithmeticis; nam proportio eſt habitudo vnius numeri ad alium, ſiue æqualem, ſiue inæqualem, vt habitudo, quæ eſt inter ternarium, & quaternarium, vel inter binarium, & quaternarium: proportionalitas verò eſt proportio inter duas proportiones, verbi gratia, ſicut quatuor ſe habent ad duo, ſic ſex ad tria, & vtrobique eſt duplex proportio, nam ſicut quatuor includit bis duo, ita ſex bis tria, & hinc ſequitur, quòd analogia proportionalitatis, neceſſariò requirit quatuor terminos: cuius ratio eſt, quia eſt proportionaliter duas proportiones; ſed quælibet proportio requirit duos terminos; nam proportio neceſſariò eſt inter duos: ergo analogia proportionalitatis requirit quatuor terminos.

Vtràque ergo iſta analogia iam definita, nonulla circa ſingulas ſpecies aduertenda ſunt.

Circa analogiam verò attributionis, ſeu proportionis, notandum eſt, quòd illa ſunt in duplici differentia; alia enim ſunt, quæ ſignificantur cum habitudine, & proportione, non inter ſe, ſed ad aliquod aliud, non comprehenſum ſub nomine analogo, qualiter omnia accidentia cõueniunt analogicè analogia proportionis in accidenti cõmuni, quia prout hoc nomine ſignificantur, dicunt quandã habitudinẽ ad ſubſtãtiam non compræhenſam ſub nomine analogo accidentis, accidentia enim appellantur talia, in ordine ad ſubſtantiam, cui accidunt; alia verò ſignificantur cum habitudine, & proportione inter ſe ipſa, non verò ad aliquod non compræhenſum ſub nomine analogo, vt diximus de homine ſano reſpectu animalis, medicinæ, & vrinæ.

Sed rurſus hæc ſecunda analogia attributionis quadruplex eſt ſecundum quadruplex genus cauſæ, in ordine ad quam analogiam poſſunt habere aliquam proportionem, & habitudinem: alia enim dicunt proportionem in ordine ad vnum finem, qualiter ſanum dicitur de animali, vrina, & medicina, quia hæc omnia tendunt ad ſanitatem, veluti ad finem: alia dicunt proportionem in ordine ad vnam cauſam efficientem, qualiter medicatiuum eſt analogum, reſpectu Medici, & inſtrumentorum medicorum, quia hæc dicuntur talia, in quantum efficienter cauſant ſanitatem: alia verò dicunt habitudinem, & proportionem in ordine ad vnum ſubiectum, quod eſt cauſa materialis, qualiter omnia accidentia conueniunt analogicè, in accidenti in communi, ſecundum quod omnia important habitudinem ad ſubiectum vnicum, ſcilicet ad ſubſtantiam, in qua omnia ſubiectantur. Tandem alia dicunt habitudinem, & proportionem cauſæ formalis: qualiter dextrum dicitur analogicè de animali,

& de columna, in quantum columna denominatur dextra, extrinſeca denominatione à dexteritate animalis, tanquam à forma extrinſeca.

Eſt tamen aduertendum, nonnullas eſſe conditiones requiſitas ad analogiam attributionis ſeu proportionis. Prima eſt, quòd tale analogum definiatur in ordine ad aliud, ad quod dicit habitudinem, & proportionem. Ratio eſt, quia cum huiuſmodi analoga ex natura ſua dicant proportionem, & habitudinem, vt rectè eorum natura per definitionem explicetur, debent cum huiuſmodi habitudine definiri: tamen hæc regula non eſt eodem modo in omnibus analogis attributionis intelligenda; nam illa, quæ dicunt ordinem, & proportionem, ad aliquid aliud non compræhenſum ſub nomine analogo, vt dicebam antea de accidentibus reſpectu ſubſtantiæ, debent definiri in ordine ad aliud, & ita omnia accidentia definiuntur per ſubiectum, quod eſt ſubſtantia: illa verò, quæ dicunt habitudinem, & proportionem ad aliquod analogum contentum ſub nomine analogo, vt vrina, & medicina in ordine ad animal ſub hoc nomine ſano, debent definiri in ordine ad tale analogatum principalius, & ita ſi definias medicinam, optimè dices, eſt cauſatiua ſanitatis animalis, & vrina eſt ſignificatiua eiuſdem ſanitatis.

Secunda conditio eſt, quod analogum per prius dicatur de vno analogato, quàm de alio, qualiter ſanũ priùs dicitur de animali, quã de vrina, & Medicina: hæc tamen regula intelligenda eſt de analogis attributionis, quæ dicuntur cum habitudine inter ſe, non verò de illis, quæ dicuntur cum habitudine ad aliquid aliud: nam accidens non dicitur per priùs de vno accidenti, quàm de alio; nullum enim eſt accidens, ad quod reliqua omnia referantur, vt ſuo loco dicetur; cum hoc tamen omnia accidentia analogicè conueniunt in accidenti in communi analogia attributionis penes ordinem ad ſubſtantiam.

Tertia conditio eſt, quòd analogata attributionis dicant habitudinem ad vnum numero terminum, quod in vtraque analogia attributionis iam explicata verum habet; nam analoga illa, quæ dicunt habitudinem inter ſe, hoc habent, qualiter vrina, & Medicina in ratione ſani dicunt habitudinem ad idem animal, inquantum illius ſanitatẽ cauſant, vel ſignificant: analoga verò, quæ dicunt habitudinem ad idem animal, inquantum illius ſanitatem cauſant, vel ſignificant: analoga verò, quæ dicunt habitudinem ad aliquod aliud non compræhenſum ſub nomine analogo, etiam hoc habent, qualiter omnia accidentia dicunt ordinem ad eandem ſubſtantiam, inquan-

inquantum eandem numero ſubſtantiam poſſunt afficere.

Quartam conditionem afferunt Sotus, Cardin. Tolet. & Maſius hoc loco, quòd ſcilicet ratio ſignificata per nomen analogum, ſolùm reperiatur intrinſecè in principali analogato, in alijs verò ſolùm per extrinſecam denominationem.

Hæc tamen conditio, quam plures communiter admittunt, falſa eſt: nam quamuis hoc aliquando contingat, vt videre eſt in ſano, quod intrinſecè tantùm reperitur in animali: in vrina verò, & Medicina tantum per extrinſecam denominationem à ſanitate animalis, quam cauſat, & ſignificat: non eſt tamen neceſſarium, vt in vtraque ſpecie analogia attributionis facilè diſcerni poteſt: nam ſi loquamur de analogis habentibus attributionem inter ſe, conſtat, quod ens eſt analogum ad ſubſtantiam, & accidens, quæ inter ſe habent habitudinem, & proportionem: cum tamen ratio entis intrinſecè reperiatur, tam in ſubſtantia, quàm in accidenti. Si verò loquamur de analogis, quæ dicunt attributionem ad aliud, non comprahenſum ſub nomine analogo, vt accidentia ad ſubſtantiam, etiam patet conditionem eſſe falſam, quia omnia accidentia intrinſecè participant rationem accidentis, in qua conueniunt analogicè.

Circa analoga proportionalitatis aduertendum eſt, quòd illa ſunt in duplici differentia, alia ſunt propria, quando propriè conueniunt in ratione ſignificata per nomen analogum, qualiter principium dicitur de corde, & fundamento domus propriè: nam ſicut cor propriè eſt principium animalis, ita fundamentum propriè eſt principium domus: nam ſicut cor ſe habet ad animal, ita fundamentum ad domum.

Alia verò ſunt analoga proportionalitatis, quorum alterum conuenit impropriè in ratione analoga, & per metaphoram, qualiter ridere dicitur de homine, & de prato: nam ſicuti ſe habet homo ad riſum, ita pratum ad hilaritatem, quam præ ſe ferre videtur mediantibus floribus, cùm hoc tamen pratum per metaphoram dicitur ridere: & de his eſt verum illud axioma: *Analogum per ſe ſumptum ſupponit pro famoſiori ſignificato*, quia cum de altero dicatur per metaphoram abſolutè, ſolùm ſupponit pro eo, de quo propriè dicitur: qualiter ridere abſolutè ſupponit pro riſu hominis. Habet etiam verum illud axioma in analogis attributionis, quando alterum analogatum eſt impropriè tale: qualiter ſanum non ſupponit abſolutè pro vrina, & medicina, ſed pro animali ſano.

Ex dictis infero, qualiter ſit intelligenda conditio illa, quæ cōmuniter afferri ſolet pro analoga proportionali-

tionalitatis, ſcilicet, quòd *Ratio ſignificata per nomen analogum formaliter reperiatur in vtroque analogato:* patet enim, quòd non debet reperiri formaliter propriè, ſed ſufficit impropriè, vt ridere in prato, reperitur in illo formaliter, quia pratum formaliter habet quandam floriditatẽ, quæ metaphoricè dicitur riſus.

QVÆST. III.

Vtrùm analogia attributionis neceſſario reperiatur coniuncta cum analogia proportionalitatis.

EX dictis patet, analogiam attributionis diuerſam eſſe ab analogia proportionalitatis: dubitatur tamen, an neceſſariò reperiatur coniuncta vna analogia ex his cum alia, ita vt neceſſarium ſit, eandem rem vtramque ſimul habere analogiam, quamuis ſub diuerſa ratione formali, tamen ſub eodem nomine, ita quòd idem nomen ſecundum diuerſam rationem neceſſariò vtramque habeat analogiam.

Ratio dubitandi eſt, quia inter analoga proportionalitatis neceſſariò vnum eſt perfectius alio, cùm ſint diuerſæ ſpeciei: ergo quod imperfectius eſt, dicitur per attributionem ad illud, quod eſt perfectius; ſed quæ hoc modo dicuntur, ſunt analoga attributionis: ergo analogia attributionis neceſſariò reperitur coniuncta cum analogia proportionalitatis.

Secundò, quia proportionalitas eſt proportio proportionis: ergo neceſſariò includit proportionem, atque adeò analogia proportionalitatis neceſſariò reperitur cum analogia attributionis coniuncta.

His tamen non obſtantibus, vera, & communis ſententia eſt, analogiam proportionalitatis poſſe dari ſine alia, & etiam poſſe dari vtramque ſimul. Quam tenet Caiet. libello de nominũ analogia. Et authoritate probatur. Primò, quod poſſit dari vna analogia ſine alia: nam Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 7. poſtquàm dixit, bonum analogicè dici de omnibus bonis, ſub dubio relinquit, an dicatur analogia proportionis, vel proportionalitatis: ſi autem vtraque analogia eſſet neceſſariò coniuncta, non eſſet locus dubitandi: ergo ſignum eſt, poſſe illas ſeparari inter ſe.

Sed ratione probatur, quia in primis datur analogia proportionalitatis ſine analogia attributionis: nam ens dicitur analogicè de homine, & equo, & non analogia attributionis, ſed proportionalitatis, quia homo non dicitur per attributionem ad equum, neque equus per attributionem ad hominem: tùm etiam, quia hic quodam modo intercedit proportio proportionis: nam ſicut ſe habet homo ad ſuum exiſtere, ita equus

equus ad ſuum: & ita conueniunt in ente analogia proportionalitatis: ergo datur hæc analogia ſine analogia attributionis. Ex quo patet, quod ſola proportionalitas eſt ſufficiens ad analogiam, è contra tamẽ analogia attributionis ſemper habet ſibi adiunctam aliquam proportionalitatem: nam de illis eſt verum dicere, quod ſicut ſe habet vnum extremum ad ſuum eſſe, ita aliud ad ſuum; & ita ſemper reperitur aliqua proportio proportionum, & ita ſunt quatuor termini ſaltem ratione diſtincti, ſcilicet duo extrema, & eſſentiæ illorum extremorum; & ita patet ſecunda pars concluſionis, ſcilicet vtramque analogiam poſſe reperiri ſimul. Quod etiam probatur, nam ſanum dicitur de pomo ſano, & animali, analogia attributionis: nam dicitur de pomo per attributionem ad animal, in quo cauſat ſanitatem, eo quòd eſt alimentum ſalutiferum: & etiam dicitur de illis analogia proportionalitatis, ſi attendamus quandam proportionem proportionis, quæ conſiſtit in hoc, quod ſicut ſe habet animal ad ſuas partes ſanas, ita pomum ad ſuas partes, quas etiam habet ſanas, id eſt, non corruptas putredine: ergo vtraque analogia poteſt reperiri ſimul.

Vnde ad rationes dubitandi reſpondetur, quòd ex eo quod vnum ſit perfectius alio, non rectè colligitur, quòd imperfectius dicatur tale per attributionem ad perfectius; alias equus, cum ſit imperfectior ſpecies animalis, quam homo, diceretur animal per attributionem ad hominem, & ita animal eſſet analogum ad hominem, & equum; & ita quamuis in analogis proportionalitatis ſemper vnum ſit perfectius alio, non ſequitur, quòd vnum dicatur per attributionem ad aliud, quamuis aliquando hoc contingat, ſcilicet, quando vnum analogum eſt impropriè tale, qualiter ridere dicitur de prato per attributionem ad hominem, cum hoc tamen ridere eſt analogum analogia proportionalitatis ad hominem, & pratum, vt dictum eſt.

Ad ſecundam reſpondetur, quòd non quælibet proportio conſtituit analogiam attributionis, ſed proportio, quæ eſt per attributionem, & habitudinem vnius ad aliud: hæc autem attributio vnius ad aliud non ſemper reperitur in analogis proportionalitatis, vt explicatum eſt, quamuis ſemper reperiatur proportio proportionum, id eſt, comparatio inter duas proportiones, quòd ſcilicet ſicuti ſe habet hoc ad illud, ita iſtud ad aliud: hæc autem comparatio non ſemper eſt attributio.

QVÆST. IV.

Vtrùm analogum dicat vnum conceptum communem analogatis, qui ab illis præſcindi poſſit.

HAc in re ferè communis ſententia aſſerit, analogum non ſignificare aliquem conceptum cõmunem analogatis, qui ab illis præſcindi poſſit, ſed ſignificare ipſa analogata, vt proportionantur in analogo ipſo. Tenet Capreol. in 1. diſt. 2. q. 1. Soncin. 4. Metaph. q. 12. Ferrara 1. contra Gent. 34. Pereira 2. Phyſic. cap. 2. Cuius ſententię fundamẽtum eſt. Primò, quia alias ſequeretur, nullam eſſe differentiam inter analoga, & vniuoca: nam vniuocum ſignificat quendam conceptum abſtractum ab inferioribus vniuocatis, in quo talia inferiora ſunt: ergo ſi analogum dicit etiam conceptum abſtractum, & communem, proculdubio eſſet vniuocum.

Secundò, quia analogia (vt dicebamus) eſt proportio inter res aliquas: ergo analogum in ſuo conceptu formali debet ſignificare inferiora analoga ſecundum quod proportionantur in illo: ergo non dicit aliquem conceptum diſtinctum; & præciſum ab analogatis.

Hanc tamen ſententiam, etſi ferè communem, ego ſemper falſam exiſtimaui; & ita dicendum eſt, analogum ſignificare conceptum quendã communem analogatis, qui ab illis abſtrahi poſſit. Tenet Iauell. 4. Metaph. q. 1. & colligi poteſt ex Ariſt. 4. Met. text. 7. vbi dicit, ens eſſe commune decem prædicamentis, & S. Thom. 1. p. q. 5. art. 3. ad 1. ait decem prædicamenta cõtrahere ens ad determinatum genus entis: ergo ens ex ſe abſtrahit à decem prędicamentis, cum tamẽ ſit analogum, poſteaque per modos intrinſecos contrahitur, & determinatur ad tale genus entis.

Et ratione probatur, Primò, quia poteſt aliquis concipere analogum in communi non concipiendo analogata inferiora: ergo ſignificat cõceptum præciſum, & abſtractum ab illis. Probatur antecedens, quia in ente, quod eſt analogũ ad ſubſtantiam, & accidens, ſæpè cõtingit, quod quis de re aliqua concipiat, quòd reuera ſit ens, ignoret tamen, quod ſit ſubſtantia, vel accidens: ergo concipit rationem aliquam præciſam ab inferioribus.

Secundò, quia ſi ens, quod eſt analogum ad ſubſtantiam, & accidens, dicit in ſuo conceptu ſubſtantiam, & accidens, quæ ſunt analogata, ſequitur, quod accidens ſit ſubſtantia, quia includit ens, quod ens in ſuo conceptu includit ſubſtantiam; dicendum ergo eſt, analogum ſignificare quendam conceptũ præciſum ab inferioribus.

Neque valet communis ſolutio, quòd

quòd ſubſtantia, & accidens poſſunt conſiderari duobus modis. Primò ſecundum ſuas eſſentias particulares, qua ratione ſubſtantia dicit eſſe per ſe, accidens verò ens in alio. Alio verò modo poſſunt conſiderari ſubſtantia, & accidens, non ſecundum ſuas rationes particulares, ſed ſecundum quod proportionantur in ente, & ita continentur actu in conceptu ipſius entis. Hæc tamen ſolutio verba tantùm continet, & eſt friuola, quia in ſubſtantia duplex conceptus reperitur. Primò reperitur conceptus vniuerſalis entis: ſecundò reperitur conceptus talis entis, ſcilicet entis per ſe: ergo ens in communi, quod eſt analogum, vel continet ſubſtantiam ſolum ſecundum gradus entis, & hoc non eſt cōtinere ſubſtantiam, quia ſubſtantia non dicit quodlibet ens, ſed ens per ſe, ſicut homo, quatenus animal, nō eſt homo, vel continet ſubſtantiam ſecundum ſuam peculiarem rationem ſubſtantiæ, & tunc currit ratio facta, ſcilicet, quod accidens eſſet ſubſtantia, quia accidens includit ens, quod ens actu in ſuo conceptu includit ſubſtantiam.

Tertiò probatur concluſio, quia omne diuiſum debet abſtrahi à mēbris diuidentibus, alias confunderentur diuiſum, & membra diuidentia, ſi membra diuidentia ſunt de eſſentiali conceptu diuiſi; ſed analogum ſuperius diuiditur in analogata inferiora, vt ens in ſubſtantiam, & accidens: ergo dicit conceptum ab illis abſtractum, & præciſum.

Ex quo infero, non ſolum dari talem conceptum præciſum ab analogatis per abſtractionem præciſiuam, quę eſt ſimplex apprehenſio vnius ſine alio, ſed etiam per abſtractionem negatiuam, quæ pertinet ad ſecundam operationem intellectus, vt tractu de Vniuerſalibus dicebam. Ratio eſt, quia non ſolùm per ſimplicem apprehenſionem, ſed etiam per iudicium verè cognoſcit intellectus, quòd ens, v. g. in ſe neque dicit ſubſtantiam, neque accidens, ſed aliquam rationem illis communem.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum, quòd quamuis tam vniuocum, quā analogum, dicat conceptum aliquē præciſum ab inferioribus, adhuc tamen eſt maxima differentia inter vniuoca, & analoga; nam inferiora non conueniunt in ratione ſuperiori vniuoca per attributionem vnius ad aliud, aut per proportionalitatē: neque enim homo dicitur animal per attributionem ad equum: at verò inferiora analogata conueniunt in ratione analoga in communi per quandam attributionem vnius ad aliud, aut per quandam proportionalitatem; & ita argumentum ſatis friuolum eſt.

Ad ſecundum verum eſſe, quòd

Digitized by Google

analogia eſt proportio inter duo, nego tamen, quòd nomen analogum debeat ſignificare inferiora analogata ſecundum quod proportionantur in illo; ſed debet ſignificare rationem aliquam præciſam, in qua inferiora analogata habeant proportionem, non tamen debet ſignificare ipſa analogata, quæ porportionantur in tali ratione ſuperiori.

Poſſet tamen in hac diſputatione inquiri, an de analogis poſſit haberi ſcientia? Et reſpondetur affirmatiuè. Ratio eſt, quia analoga habent veram entitatem ſcibilem, licet vnam ſecundum quandam proportionem; ergo ſcibilia ſunt, ſicut & definibilia.

Secundò, quia Metaphyſica vera, & nobiliſſima ſcientia eſt, cum hoc tamen diſputat de ente in communi, quod eſt analogum: imò addo etiam, de æquiuocis ſcientiam haberi poſſe, nam de illis aliquas paſſiones ſcientificè demonſtrari poſſunt, vt quòd æquiuocationem pariant. Addo tamen, non eſſe vtendum in argumentationibus terminis æquiuocis, ne res potius obſcuretur, quàm demonſtretur. Et hæc de hoc capite, & diſputatione de analogia in communi.

DISPVT. II.

De analogia entis, & accidentis.

EXplicata iam natura analogiæ in communi, veniamus iam ad analogiam entis, & accidentis explicandam: quod ſuppoſita doctrina generali iam tradita, breuiter, & minus difficilè expediemus.

QVÆSTIO I.

Qualiter dicatur ens de ſubſtantia, & accidenti, Deo, & creaturis.

IN hac re communis eſt illa diſtinctio, quòd ens poſſit ſumi duobus modis, ſcilicet participialiter, & nominaliter: tunc ſumitur participialiter, quando eſt participium huius verbi, *Sum, es, fui*, & ſignificat eſſentiam præcisè: nominaliter verò ſumitur, quando ſignificat eſſentiam, non quamcunque, ſed exiſtentem: qua ratione illud ſolùm appellatur ens, quod actu exiſtit, & eſt productum; aliud enim non eſt ens, niſi tantùm poſſibile; nos verò ſumimus in præſentia nomen, Ens, prout ſignificat entitatē aliquam diſtinctā cōtra nihil, ſiue actu ſit extra cauſas iam producta, ſiue non: itaq; ſumimus entitatem abſtrahendo ab exiſtentia.

In hac re in primis ſuppono, ens in communi dici æquiuocè de ente reali, & rationis, vt ſupra dixi diſputatio-

ratione 2. de Vniuerſalibus, & ita ſolum eſt quæſtio, qualiter dicatur ens reale de ſubſtantia, & accidēti, Deo, & creaturis.

Suppono ſecundò, ens eſſentialiter includi in differentijs vltimis omnium rerum, quod quamuis ſub controuerſia eſſe velit Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. & alij, quos refert Fonſeca 2. cap. 2 adeò tamen euidens eſt, vt dubitandum minimè ſit: nam in primis Ariſtoteles id expreſsè docet lib. 11. Metaph. cap. 1. vbi ex eo probat ens non eſſe genus, quia includitur in eſſentia omnium differentiarum: & ratio eſt, quia differentiæ, vt rationale, formaliter loquendo, non ſunt nihil, quia nihil non poteſt conſtituere aliquid reale poſitiuum, qualis eſt homo: ergo eſt aliquid: ergo ens; atque adeò ens eſſentialiter includitur in differentijs per quas contrahitur.

Et ſi obijcias ex hoc ſequi, quòd omnes definitiones ſint nugatoriæ: nam, v. g. in hac definitione, *Animal rationale*, idem ens bis poneretur: primò incluſum in animali, deinde verò incluſum in rationali. Reſpondetur negando conſequentiam, quia non eſt idem ens formaliter, quod clauditur in animali, & in rationali: nam ſicut animal, & rationale formaliter diſtinguuntur, ita habent entitates formaliter diuerſas; & ita non probatur, quòd idem ens formaliter ponatur bis in definitione.

Et ſi obijcias ſecundò, ex hoc ſequi differentias non eſſe primò diuerſas, ſiquidem iam conueniunt in aliquo, nempè in ente, quod eſſentialiter includunt. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia differentiæ non conueniunt in ente vniuocè, ſed analogicè, eo quòd differentiæ ſunt ens, cum quadam attributione, ad res, quarum ſunt differentiæ, & ita, quia in nullo vniuoco conueniunt, dicuntur primò diuerſæ.

Hoc ſuppoſito, prima ſententia hac in re aſſerit, ens dici æquiuocè de ſubſtantia, & accidenti, Deo, & creaturis; quam tenet Aureolus in 1. d. 2. q. 1. Cuius ſententiæ fundamentum eſſe poteſt, nam ex Ariſt. 7. Met. in principio, accidens non eſt ens, ſed entis ens, ergo æquiuocè conuenit in ratione entis cum ſubſtantia.

Secunda ſententia aſſerit, ens eſſe vniuocum ad ſua inferiora, ſcilicet ad ſubſtantiam, & accidens, Deum, & creaturas; quam tenet Scotus in. 1. d. 3 q. 3. quem ſui diſcipuli ſequuntur, vt refert Fonſeca. 4. Met. c. 2. Et fundamentum eſſe poteſt, quia potentiæ ſumunt ſuam ſpeciem ex obiectis, vt dicitur 2. de anima c. 4. ſed intellectus eſt potentia vniuoca ad omnes potentias intellectiuas in particulari: ergo obiectum à quo ſumit ſpeciem, debet eſſe vniuocum, ſed obiectum intellectus eſt ens in

communi prout compræhendit omnia entia,ſcilicet ſubſtantiam, & accidens, Deum & creaturas, ergo eſt vniuocum ad hæc omnia.

Secundò,quia ex Ariſt.4. Met. c. 1.in quolibet genere debet dari aliquod primum; quod ſit cauſa vniuoca cæterorum, vt in genere calidorum datur ignis, qui eſt cauſa calidorum: ergo in genere entis debet dari aliquod primum, quod ſit cauſa vniuoca cæterorum entium:ergo hæc omnia vniuocè conueniunt in ratione entis in communi.

Tertia ſententia à nobis tenenda eſt,ens eſſe analogum ad ſua inferiora, ſcilicet ad ſubſtantiam, & accidens, Deum,& creaturas, quam expreſsè tenet S.Thom.1.p.c.3.4. &5. & in 1, d, 8. q. 4. art. 2. & 1. contra Gent.c.25.& ibidem Ferra.Caiet.de ente, & eſſentia cap. 2. denique eſt communis ſententia Thomiſtarum.

Vnde dico primò in hac quæſtione: ens non dicitur æquiuocè de ſuis inferioribus,ſcilicet de ſubſtantia, & accidenti, Deo, & creaturis. Ita docuit expreſsè Ariſt.4.Met.c.2. dicens, quod ens non dicitur de ſuis inferioribus æquiuocè, neque vniuocè,ſed ad vnum; id eſt per quandam entitatem, & proportionem, quæ eſt analogia.

Et ratione probatur, quia æquiuoca ſunt, quorum ſolùm nomen eſt commune, ratio verò ſignificata per tale nomen eſt prorſus diuerſa: ſed inferiora entis, non ſolùm conueniunt in nomine entis, ſed etiam in re ſignificata per tale nomen,quia omnia entia realia verè, & propriè ſunt ens,& in illo non ſunt omninò diuerſa,ſed potiùs habent quandam proportionem, qua ratione accidens dicit quandam attributionem, & proportionem ad ſubſtantiam, cui accidit, & creaturæ dicuntur ens per attributionem quandam ad Deum, quia ſunt ens per participationem; ergo ens non eſt æquiuocum ad ſua inferiora.

Et ex his dico ſecundò, ens neque eſſe vniuocum ad ſua inferiora, ſed potiùs analogum, quod Ariſtotel. loco citato expreſsè docet:& ratio facta euidenter conuincit, quia vniuoca ſunt,quorum nomen eſt commune, ratio verò ſignificata per tale nomen eſt omninò eadem; ſed ratio entis in ſuis inferioribus, ſolum eſt eadem ſecundum quandam proportionem, & attributionem vnius ad aliud, vt diximus, quæ eſt vnitas ſecundum quid, & analogia: ergo ens non eſt vniuocum ad ſua inferiora,ſed potiùs analogum.

Secundò,quia ſi ens eſſet vniuocum ad ſua inferiora: ergo eſſet genus,quia genus eſt illud, quod vniuocè participatur, ab ſpeciebus, & per conſequens iam daretur vniuocum genus ſuperius ad omnia genera generaliſſima.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò, quia genus vniuocum, non debet includi in differentijs, per quas contrahitur, vt probauimus capite de differentia: ſed ens includitur eſſentialiter in omnibus differentijs, vt probatum eſt: ergo non eſt vniuocum, ſed potiùs analogum.

Dico tertiò: ens dicitur de ſubſtantia, & accidenti, Deo, & creaturis analogia proportionis Probatur, quia illud eſt analogum proportionis, quod de vno dicitur per attributionem ad aliud, ſed accidens appellatur ens per attributionem ad ſubſtantiam, reſpectu cuius appellatur accidens entis ens. Similiter creaturæ dicuntur ens per attributionem ad Deum, quia ſunt ens per participationem: ergo ens dicitur de ſubſtantia, & accidenti, Deo, & creaturis, analogia attributionis. Addo etiam dici per quandam analogiam analogia proportionalitatis, quia in his etiam poſſumus diſtinguere, veluti proportionem inter proportiones, hoc modo, quod ſicut ſubſtantia ſe habet ad ſuum exiſtere per ſe ita veluti proportionabiliter, ſe habet accidens ad ſuum exiſtere in alio: & ſicut Deus ſe habet ad ſuam exiſtentiam non participatam, ita proportionabiliter creatura ad ſuam exiſtentiam participatam.

Ex dictis infero, quòd ens non ſolùm eſt analogum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, quæ ſunt inferiora immediatè ſub illo contenta, ſed etiam reſpectu inferiorum, quæ ſub illo mediatè continentur, vt reſpectu duarum ſubſtantiarum, v.g. reſpectu hominis, & equi, vel reſpectu duorum accidentium, ita, quòd ens reſpectu quorumcunq; inferiorum ſit analogum, quid quid male ſentiat Fonſeca 4. Met. Ratio eſt, quia quęcunque creatura eſt ens per participationem: ergo quælibet in ratione entis habet attributionem ad Deum, quod eſt ens per eſſentiam. Similiter, quæcunque accidentia talia dicuntur, quia accidunt ſubſtantiæ; ergo per attributionem ad ſubſtantiam appellantur ens, quia ſunt entis ens: ergo ens quorumcunque inferiorum eſt analogum. Tùm etiam, quia eſſentialiſſime clauditur in vltimis differentijs omnium rerum, quod non poſſet habere, ſi eſſet genus vniuocum ad ſua inferiora.

Sed poſſet hoc loco dubitari, vtrum ens, quod eſt analogum ad ſubſtantiam, & accidens, & alia inferiora, ſignificet aliquem conceptum abſtractum, & præciſum à ſubſtantia, & accidenti, & alijs inferioribus.

In qua re communis ſententia aſſerit, non ſignificare aliquem conceptum præciſum à ſubſtantia, & accidenti: ſed immediatè ſignificare ipſam ſubſtantiam, & accidens, prout

ut proportionantur in eſſe, quod tamen mihi ſemper falſum viſum eſt, vt diſputatione præcedenti, quęſtione, vltima oſtēdi: tùm ſpecialiter de ente, tùm etiam in communi de omni analogo, quod ſignificet conceptum abſtractum, & præciſum ab analogatis, vt ibi, tùm; ex Ariſtot. & S. Tho. tùm ex ratione probaui. Legantur ibi dicta.

Et ex hoc infero, quòd conceptus entis ſecundum ſe abſtrahit ab abſoluto & relatiuo, nam abſtrahit à particularibus entibus, inter quæ alia ſunt relatiua, alia verò abſoluta: ergo ens in communi abſtrahit ab abſoluto, & relatio.]

Sed ſi dicas, illud eſt abſolutum, quod non dicit ordinem ad aliud, ſed ens in communi non dicit ordinem ad aliud, aliàs eſſet relatiuum: ergo conceptus entis non eſt relatiuus. Reſpondetur, ad rationem entis abſoluti non ſatis eſſe, quod negatiuè non dicat ordinem ad aliud, ſed requiritur, quòd dicat entitatem independentem ab alio, tanquam à termino, & quia in cōmuni abſtrahit ab entitate dependenti, vel non dependenti, ideò abſtrahit ab abſoluto, & relatiuo.

Infero ſecùndò, ex dictis, ens non eodem modo contrahi ad ſua inferiora, quo contrahitur genus ad ſpecies; nam genus contrahitur ad ſpecies per differentias, quæ non claudunt in ſuo conceptu genus ipſum, quod contrahunt, vt latè oſtenſum eſt cap. de differentia: at verò ea, quibus contrahitur ens ad ſua inferiora, quæ appellantur modi intrinſeci, includunt ens in ſuo conceptu, verbi gratia, eſſe per ſe eſt quidam modus, qui contrahit ens ad eſſe ſubſtantiæ, & eſſe in alio. Eſt alter modus contrahens ipſum ens, ad eſſe accidentis; ergo vterque iſte modus contrahens ens, includit ipſum ens, quia tam eſſe per ſe, quã eſſe in alio dicit eſſe, & ita, dicit ens, & ita iſti modi intrinſeci communiter, non appellantur differentiæ, quia differentia dicit aliquid, quod eſt extra rationem diuiſi, iſti autem modi non ſunt extra rationem entis.

Supereſt reſpondeamus ad rationes, quibus vtuntur contrariæ ſententiæ. Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur, quod accidens appellatur ab Ariſt. non ens ſed entis ens, non quidem, quia accidens non ſit verè, & propriè, ens, ſed quia eſt ens in alio, & ita appellatur entis ens non verò ens ſimpliciter, qualis eſt ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe, & ita non probatur ens in communi eſſe æquiuocum.

Ad rationes ſecundæ ſententiæ reſpondetur. Ad primam, verum eſſe intellectum eſſe potentiam vniuocam ad omnes potentias intellectiuas, nego tamen, quòd eius obiectum debeat eſſe aliquid vniuocum, quia potentiæ non ſumunt immediatè

Digitized by Google

diatè ſuam ſpeciem ex obiectis, ſed ex peculiari ordine, quem dicunt ad obiecta, & ita quamuis obiectum ſit analogum, potentia tamen eſt vna ſecundum ſpeciem, quia ordo potentiæ ad tale obiectum eſt vnus ſecundum ſpeciem, qua ratione potentia viſiua eſt vnica potentia ſecundum ſpeciem, cum hoc tamen eius obiectum adæquatum, ſcilicet color in communi, eſt vnum ſecundum genus ad diuerſos colores in ſpecie.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd ibi Ariſtotel. intendit eſſe dandam vnicam primam cauſam, quæ ſit cauſa reliquorum entium, quam vniuocam appellat minus propriè, ſumpto vniuoco pro analogo, vel æquiuoco, quia cum analoga media ſint inter vniuoca, & æquiuoca, minus propriè aliquando appellantur vniuoca, aliquando æquiuoca, qualiter colores medij, vt viride, in comparatione nigri dicitur album, in comparatione verò albi appellatur nigrum.

QVÆST. II.

Vtrùm accidens ſit analogum ad nouem prædicamenta accidentium.

HAc in re prima ſententia aſſerit, accidens eſſe aliquid vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium, quam tenet Herueus quodlibeto 2. quæſ. 7. Sotus q. 4. ante prædicamentorum a. 2. & fundamentum eſſe poteſt, quia illud eſt vniuocum, quod æqualiter reperitur in omnibus inferioribus; ſed ratio accidentis ita intrinſecè reperitur in qualitate ſicut in quantitate, vel relatione, quia hæc omnia ex ſua eſſentiali ratione ſunt accidens: ergo accidens in communi quid vniuocum eſt ad nouem prædicamenta accidentium.

Verùm tamen hæc quæſtio facilè reſolui poteſt ex ſuprà dictis, & ita dicendum eſt, accidens non eſſe vniuocum, ſed potiùs analogum ad nouem prædicamenta accidentium. Quam ſententiam tenet Caie. de ente, & eſſentia cap. 7. Ferrara 1. contra Gent. c. 32. Sonci. 4. Meta. q. 2. Fonſeca 4. Met. q. 2. c. 2. & ex eo probant, quia accidentia inhærent ſubſtantiæ media quantitate, ergo omnia appellantur per attributionem ad quantitatem, atque adeò accidens in communi, eſt analogum attributionis ad nouem prædicamenta accidentium.

Veruntamen hæc ratio ſatis friuola eſt. Primò, quia accidentia ſpiritualia, vt intellectus, & voluntas, non inhærent ſubſtantiæ media quantitate; quia cum ſint ſpiritualia, non pendent ex quantitate, quæ quid corporeum eſt; ergo ex hoc non probatur, quòd accidens in communi, prout etiam compre-

Digitized by Google

hendit accidentia ſpiritualia, ſit analogum.

Secundò adhuc inter accidentia corporea, non omnia inhærent ſubſtantiæ media quantitate, nam ſaltem de relatione dicemus ſuo loco poſſe immediatè fundari in ſubſtantia: ergo non omnia accidentia corporea dicuntur talia per attributionem ad quantitatem.

Quarè propria ratio concluſionis eſt, quia quamuis omnia accidentia non dicantur talia per attributionem vnius accidentis ad aliud, tamen omnia dicuntur accidentia per attributionem, ad ſubſtantiam, cui accidunt, & ita accidens ſępè appellatur ab Ariſtotel. entis ens: ergo accidens in communi eſt analogum attributionis ad omnia accidentia: nam vt vidimus diſputatione præcedenti, quædam ſunt analoga attributionis, non quia vnum analogatum dicat attributionem ad aliud analogatum, ſed quia omnia analogata dicuntur talia per attributionem ad ſubſtantiam, cui accidunt, quæ ſubſtantia non continetur ſub hoc nomine analogo accidens.

Secundò, quia ſi accidens eſſet vniuocum ad nouem prædicamenta accidentium, eſſet genus, & ita iam daretur aliquod genus ſuperius ſupra nouem genera generaliſſima accidentium.

Tertiò, quia nullum genus vniuocum debet includi in differentijs, per quas contrahitur, ſed accidens includitur in modis intrinſecis, per quos contrahitur: & ratio eſt, quia illud per quod conſtituitur accidens, eſt ens, & non ſubſtantia, quia accidens, non poteſt conſtitui in ſuo eſſe per ſubſtantiam, ergo accidens eſt, atque adeò accidens includitur in modis, per quos contrahitur ad determinata prædicamenta accidentium, ergo accidens non eſt aliquid vniuocum, ſed potiùs analogum ad nouem prædicamenta accidentium.

Vnde ad fundamenta contrariæ ſententiæ reſpondetur, quòd quãuis ratio accidentis reperiatur ęqualiter in omnibus accidentibus, adhuc tamen eſt analogum, quia omnia accidentia dicuntur talia per attributionem ad ſubſtantiam, cui accidunt, quamuis vnum accidens non dicat attributionem ad aliud acidens.

QVÆST. III.

Vtrùm ens ſufficienter diuidatur in decem prædicamenta.

DE hac re variè ſenſerunt antiqui Philoſophi: nam Plato in Sophiſta vnicum tantùm prædicamentum entis aſſignauit, vt refert Ariſt. 3. Met. c. 3. alij verò, vt Xenocrates, & Andronicus, duo tantùm prædi-

prædicamenta diſtinguebant: alterum ſubſtantiæ, alterum verò accidẽtis. Pythagorici verò viginti prędicamenta conſtituunt, decem bonorum, decem verò malorum, vt refert Ariſtotel. 1. Meta. cap. 5. Stoici verò tantum quatuor prædicamenta admittebant.

Verumtamen, vt in tanta opinionum varietate veram explicemus ſententiam, inueſtigandum priùs eſt, vnde nam prædicamenta diſtinguenda ſint. In qua re non placet eorum ſententia, qui aſſerunt prædicamenta accidentium diſtinguenda eſſe ex diuerſo modo, quo illa prædicãtur de ſubſtantia. Ratio eſt, quia accidentia omnia non habent modum eſſentialiter diuerſum prædicandi de ſubſtantia, aliàs eſſent nouem prædicabilia accidentium, cum prædicabilia diſtinguantur ex diuerſo modo prædicandi de multis, & eſſendi in multis, vt ſuprà viſum eſt.

Quare dicendum eſt, prædicamenta accidentium diſtinguenda eſſe ex diuerſo modo realiter afficiendi ſubſtantiam, in quantum diuerſum eſſe accidentale, & diuerſam denominationem accidentalem illi tribuunt, vt eſſe qualem, quantã, & relatam, &c. Ratio eſt, quia accidens ex natura ſua eſt ens in alio: ergo ex diuerſo modo eſſendi in alio nempè in ſubſtantia diſtinguenda ſunt diuerſa prædicamenta accidentium.

Hoc iacto fundamento, placet nobis ſententia Ariſt. aſſerentis prędicamenta eſſe decem, quem Peripatetici omnes ſequuntur: Cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia præter ſubſtantiam, quæ vnicum prædicamentum conſtituit, tantùm imaginari poſſunt nouem denominationes accidẽtales in genere, quas accidẽtia ſubſtantiæ poſſunt tribuere: ergo tantùm ſunt decem prædicamenta, vnum ſubſtantiæ, & nouem accidentium. Minor ſcilicet, quòd tantùm ſint nouem denominationes, aut nouem modi, quibus accidentia poſſunt afficere ſubſtantiam, non poteſt hoc loco clarè demonſtrari: pendet enim ex cognitione cuiuslibet prædicamenti, & ita probationem conſultò prætermitto, conſtabit autem ex dicendis, in quolibet prædicamento.

Et hæc dicta ſufficiant.

Finis huius libri anteprædicamentorum.

Digitized by Google

ma operatione intellectus ſæpè apprehendimus res reuera diuerſas, tanquam vnam, & eandem concipientes, & è contra; ſed hic defectus corrigitur per diuiſionem omnium Prædicamentorum entis: ergo diuiſio, & diſputatio de Prædicamentis ad Logicum pertinet, qui docet dirigere operationes intellectus. Neque ratio Mirandulani alicuius eſt momenti, quia quamuis ad Logicum non pertineat definire res omnes, tamen ad ipſum attinet docere omnes alias ſcientias modum definiendi, ad quod maximè deſeruit diſtributio entis in decem prædicamenta, vt res ſic diſtributæ facilè poſſint definiri.

CAPVT DE DECEM *Prædicamentis generatim.*

QVamuis in communi expoſitorum diuiſione liber hic à capite de ſubſtantia exordium ſumat, cum illa ſit prima omnium prędicamentorum, placuit tamen librum hunc in hoc capite exordiri, quia in eo Ariſt. diſputare incipit de prædicamentis, & ita intentum eius in hoc capite eſt, breuem, & generalem omnium prædicamentorum diuiſionem adducere. Caput hoc duas continet partes, in quarum prima Ariſt. generalem entis diuiſionem in decem prædicamenta adducit, in ſecunda verò parte vnum ex dictis infert.

Ad primam ergo accedentes partem, poſtquam Ariſt. in 2. cap. Ante prædicamentorum explicauerat, quæ ſint complexa, quæ verò incõplexa, inquit, quòd ea, quæ incomplexa ſunt, ad decem prędicamenta reuocari poſſunt: nam aut ſunt ſubſtantia, aut quantitas, aut qualitas, aut relatio, aut vbi, aut quando, aut ſitus, aut habitus, ſeu habere, aut actio, aut paſſio, quæ decem prædicamenta deinde exemplis demonſtrat: nam ſubſtantia, inquit, eſt, vt homo, vel equus: quantitas, vt bicubitum, aut tricubitum: qualitas, vt album: relatio, vt duplum, vel dimidium: vbi, vt in foro: quando, vt heri: ſitus, vt iacere, vel ſedere: habitus, vt calceatum eſſe, vel armatum eſſe: agere, vt ſecare: pati, vt ſecari,

Digitized by Google

Ex quibus infert Ariſt. quod ſingula ex his per ſe ſumpta nõ habent affirmationem, neque negationem; nam ſi quis proferat hanc vocem, ſubſtantia, vel quantitas, nec verum, nec falſum dicit. Tunc autem eſt negatio, vel affirmatio, quando vnũ ex his, cum alio componimus, vel dimouemus, vt cum dicimus: Subſtantia non eſt quantitas. Et hæc de litera huius cap.

Circa literam.

CVm in hoc c. Ariſtot. de decem prædicamentis generatim diſputet, non erit alienum ab hoc loco de prædicamento generatim diſputare, ſcilicet de illius natura, & de requiſitis ad illud, vt deinde ad ſingula prædicamenta tractanda perueniamus.

DISPVT. VNICA.

De natura Prædicamenti, & de requiſitis ad illud.

DISPVT. I.

Quid ſit Prædicamentum, ſeu Categoria.

CAtegoria idem Græce ſignificat, quod Latinè prædicamentum, id eſt, collectio prædicatorum, quæ inter ſe habent ſubordinationem; & ita communiter dici ſolet, quod prædicamentum eſt prædicabilium coordinatio, id eſt, naturarum, quæ denominantur vniuerſales, & prædicabiles: qua ratione Porphyr. in capite de ſpecie dicit, in vnoquoque prædicamento reperiri genus generaliſſimum, genera intermedia, & ſpecies infimas, tandem indiuidua.

Et ita dicendum eſt primò in hac quæſtione, prędicamentum eſſe nomen concretum, quod duo dicit, alterum de materiali, ſcilicet ipſa prædicata ſuperiora, & inferiora, qualia ſunt in prædicamento ſubſtantiæ hæc prædicata, Subſtantia, Corpus, Viuens, Animal, Homo: de formali verò dicit ordinem horum prædicatorum inter ſe: quæ relatio non eſt realis, ſed rationis: cuius ratio eſt, quia relatio realis debet eſſe inter extrema realiter diuerſa; ſed prædicata ſuperiora, & inferiora nõ diſtinguuntur ex natura rei, vt oſtenſum eſt diſp. 1. de Vniuerſ. q. 4. ergo talis ordo prędicatorum non eſt relatio realis, ſed rationis.

Ex quo infero primò, quod prædicamentum formaliter non eſt aliquid reale exiſtens à parte rei, vt optimè docuit S. Thom. opuſ. 48. & Scot. q. 2. Anteprædicamentorum, & plures alij. Ratio eſt, quia formaliter importat aliquid rationis: ergo non datur à parte rei.

Infero ſecundò, quod prædicamentum nõ importat aliquid, quòd ſit phyſicè vnum, ſed ſolum ordine. Ratio eſt, quia in prędicamento ponuntur indiuidua, genera, & ſpecies; ſed hæc non faciunt aliquid

vnum

Digitized by Google

vnum vnitate phyſica, ſed vnum ordine per ſubordinationem, quam habent inter ſe, ergo prædicamentum non eſt vnum quid phyſicum, ſed vnum ordine, quod optimè notauit Porphyr. cap. de ſpecie exemplo familiæ: nam ſicut in eadem familia ſunt proaui, aui, & parentes, & filij, ex quibus omnibus integratur vnica familia, habens non vnitatem phyſicam, ſed ordinem, ita prædicata omnia ſuperiora, & inferiora, quæ in prædicamento collocantur, faciunt vnum ordine, ſicut etiam exercitus ſolùm appellatur vnus per ordinem, quem milites inter ſe obſeruant. Ex quibus etiam, patet, qualiter, quamuis prædicamentum contineat plura prædicata, & plura indiuidua, ſit aliquid vnum, quia hæc omnia, quæ aliàs plura ſunt, faciunt vnum.

Dico ſecundò, in hoc libro prædicamentorum per ſe non conſiderari illum ordinem rationis, quem importat prædicamentum, ſed naturas ipſas reales, quæ talem ordinem obſeruant. Hæc concluſio apertè ſequitur ex doctrina à nobis tradita in procœmio Logicæ, vbi oſtendimus, ens rationis nõ eſſe per ſe obiectũ materiale, aut formale Logicę: ergo cũ hic liber prædicamẽtorum ad Logicum pertineat, non diſputat per ſe de aliquo ente rationis. Sed peculiariter poteſt hoc probari, quia ſub illa ratione diſputat Ariſtot. v. g. de relatione, vel qualitate, aut quantitate, ſub qua illã definit, & diuidit, eiuſque proprietates aſſignat; ſed non tradit proprietates rationis, ſed reales, vt quod ſubſtantiæ, vel quantitati nihil ſit contrarium, quod ſuſcipiat magis, & minus vel non ſuſcipiat, & ſimiliæ ſimiliter quando diuidit, & definit prædicamenta, naturas tantum reales definit, & diuidit, vt conſtabit ex dicendis in quolibet prædicamento: ergo per ſe tantùm agit Ariſtoteles de naturis realibus, non verò de relatione rationis.

QVÆST. II.

Ex quibus partibus componatur prædicamentum.

SVb hoc generali titulo plura in particulari inquiri poſſunt, quæ ſingulatim diſcutienda ſunt, & in primis ſupponendum eſt, falſam eſſe eorum ſententiam, qui aſſerunt in prædicamento non poni res, ſed ſolas voces. Cuius ratio eſt, quia Ariſtoteles non agit hic de hac voce, Quantitas, dum illam diuidit in continuam, & diſcretam, & dum eius proprietates aſſignat. Idemque facilè inueniri poteſt in quouis alio prædicamento: nam primò id expreſsè docet Ariſt. in hoc cap. vbi diuidit ens incomplexum in decem prædicamenta: ergo ſola entia incõplexa ponuntur in prædicamẽto.

Secun-

Digitized by Google

Secundò, quia complexa potiùs ſunt plura, quàm vnum: ergo ſub nulla determinata ſpecie collocari poſſunt. Et hinc infero tertiò certum eſſe, quòd ea, quæ ſunt vnum per accidens, non ponuntur in prædicamento, vt cumulus lapidum. Appello autem vnum per accidens, cuius partes non habent inter ſe aliquam realem vnionem, quia talia non ſunt verè vnum, ſed plura, atque adeò tanquam complexa reijciuntur ab Ariſt. à prædicamento.

Quartò ſupponendum eſt, differentias non poni directè in prædicamento, ſed reductiuè, quia cùm prædicamentum dicat collectionem plurium ſub vno genere generaliſſimo, illa ſolùm ponuntur per ſe in prædicamento, quæ ſunt inferiora directè contenta ſub tali genere; ſed differentiæ directè non continẽtur ſub genere, aliàs includerent illud in ſuo conceptu, & genus prædicaretur de illis: cuius contrarium oſtendimus capit. de differentia: ergo differentia non ponitur directè in prædicamento. Quòd verò ponatur reductiuè, patet, quia differentiæ ſunt partes componentes ſpeciem, qualiter rationale eſt pars metaphyſica hominis, vt ſuprà oſtendimus; ſed ſpecies ponitur directè in prædicamento: ergo differentia ponitur reductiuè, tanquàm pars ſpeciei.

Et ſi obijcias: Nam etiam genus componit ſpeciem: ergo etiam genus ponitur reductiuè in prædicamento. Reſpondetur negando conſequentiam, quia genus non ponitur in prædicamento, vt actu componit ſpeciem, qua ratione eſt pars illius, ſed vt eſt totum potentiale, continens ſub ſe plures ſpecies, qua ratione non eſt pars, ſed totum.

Et ſi inſtes: Nam etiam differentia poteſt conſiderari vt totum potentiale reſpectu illorum, de quibus prædicatur: ergo ſimiliter poterit poni directè in prædicamento. Reſpondetur negando conſequentiam, quia, vt dixi, differentia nullo modo poteſt eſſe inferior ad genus generaliſſimum, ſub quo debent contineri omnia, quæ directè ponuntur in recta linea prædicamentali, quod ſecus eſt de genere, nam genera intermedia continentur ſub genere ſupremo.

Quintò ſupponendum eſt, non ſolum collocari in prædicamento entia actualia, ſcilicet quæ actu exiſtunt à parte rei, ſed etiam entia cõſiderata ſecundum eſſe poſſibile, abſtrahendo ab exiſtentia. Cuius ratio primò ſumi poteſt eſt ex fine, ad quem ordinatur diſtinctio, & diuiſio prædicamentorum, ſcilicet vt intellectus faciliùs apprehendat res cum ordine, quem inter ſe habent; ſed apprehenſio intellectus ita verſatur circa res exiſtentes, ſicut circa

res,

res non exiſtentes: ergo res non ſolùm ponuntur in prædicamento ſecundum exiſtentiam actualem, quã habent, ſed ſecundum ſuas eſſentias, ſiue exiſtant, ſiue non.

Secundò, quia prædicamentum eſt coordinatio naturarum, quæ ſe habent ſicut ſuperius, & inferius; ſed ad talem coordinationem impertinenter ſe habet exiſtentia: nam eſſentia hominis in communi ita eſt vniuerſalis ad plures homines, ſiue exiſtant actu, ſiue non: ergo res non ponuntur in prædicamento tantùm ſecundum exiſtentiam, ſed ſecundum ſuam propriam eſſentiam, abſtrahendo ab exiſtentia.

His ſuppoſitis, primò dubitari poteſt in hac quæſtione, vtrùm infinitum ponatur in prædicamento. Partem affirmatiuam tenet Ocan. in 1. d. 8. & Galen. eadem diſt. quæſ. 3. Marſil. quæſt. 1. Et fundamentum eſſe poteſt, quia ſi daretur aliquod corpus infinitum, proculdubio illud eſſet in prædicamento quantitatis, quia verè, & propriè eſſet quãtum, & contineretur ſub quantitate in communi: ergo infinitum poteſt poni in prædicamento.

Verumtamen in hac re diſtinctione opus eſt; nam infinitum duplex eſt: aliud eſt ſecundum eſſentiam, quod appellatur infinitum ſimpliciter, & eſt illud, quod continet omnes perfectiones omnium rerum, & habet entitatem in omni genere perfectionis perfectam: aliud verò eſt infinitum ſecundum quid, ſcilicet quod abſolutè in ſua eſſentia finitum eſt, tamen ſecundum aliquid infinitum, qualiter ſi per poſſibile, vel impoſſibile Deus produxiſſet hominem ab æterno, ille ſecundum ſuam eſſentiam eſſet aliquid finitum, cùm ſit eiudem ſpeciei cum alijs hominibus, tamen ſecundum durationẽ diceretur infinitus, quia ab æterno duraſſet, & eodem etiam modo ſi daretur corpus, vel linea aliqua infinita, quamuis illa linea ſecundum ſuam eſſentiam eſſet aliquid finitum, eo quòd non differret ſpecie ab alijs lineis: tamen ſecundum quid eſſet infinita, ſcilicet ſecundum ſuam extenſionem in tali vel tali quantitate, quod accidentale eſt quantitati.

Vnde dicendum eſt in hac difficultate, infinitum ſimpliciter, & ſecundum eſſentiam non poni in prędicamento, benè tamen infinitum ſecundum quid. Tenet D. Thom. 1. pars. quæſt. 3. art. 5. Quam etiam ferè omnes ſcholaſtici ſequuntur in 1. diſt. 8. Soncin. 5. Metaph. quæſt 5. Fonſeca eodem lib. cap. 8. quæſ. 1. Sotus, Card. Tolet. & Marſil. cap. de ſubſtantia.

Et probatur ratione; quia infinitum ſimpliciter illud eſt, quod continet omne genus perfectionis: ergo tale infinitum ſub nullo certo genere continetur, atque adeò non

habet determinatum prædicamentum: at verò infinitum ſecundum quid ſimpliciter, & abſolutè eſt finitum ſecundum eſſentiam, & ita in determinato prædicamento collocari poteſt, qualiter linea infinita eſſet in prædicamento quantitatis, & calor infinitè intenſus in prædicamento qualitatis. Infinitum ſecundum ſubſtantiam, cùm ſit infinitum ſimpliciter, non poteſt poni in prædicamento: imò addo tale infinitum neque reductiuè poni poſſe in prædicamento, vt optimè vidit ſanctus Thomas loco allegato. Cuius ratio eſt, quia reductiuè ea ponuntur in prædicamento, quæ ſunt entia imperfecta, & partes eius, quod directè ponitur, qualiter punctum ponitur reductiuè in ſpecie lineæ, quia componit lineam, & anima rationalis in ſpecie hominis, quia cõponit illum, ſed infinitum ſimpliciter non eſt aliquid imperfectum, imò continet infinitam perfectionem: ergo neque reductiuè poni poteſt in prædicamento. Ex quo patet, quod ens. quod diuiditur in decem prædicamenta, eſt ens finitum, & limitatum.

Hinc ſecundò dubitari poteſt in hac quæſtione, vtrùm prædicamentum componatur ex rebus completis, & perfectis, an verò etiam incõpleta poſſint poni directè in illo: nã reductiuè certum eſt poni in prædicamento, tanquàm partes entis completi, quod directè ponitur in illo.

In qua re dicendum eſt, prædicamentum perfectum, prout Ariſtoteles loquitur de illo, non componi, niſi ex entibus completis: incompleta verò ſolùm poni reductiue. Ratio eſt, quia entia imperfecta natura ſua ordinantur ad ens perfectum, vel tanquam partes componentes illud, vel alio modo: ergo ſolum ponuntur in prædicamento reductiuè, ſcilicet in ſpecie illius entis completi, quod componunt & ad quod ordinantur.

Tertiò dubitari poteſt vtrum concreta ponantur in prædicamento, an vero abſtracta, id eſt, vtrum prædicamentum componatur ex rebus ſumptis in concreto, vel potiùs in abſtracto: & conueniunt omnes in prædicamento ſubſtantiæ, directè non poni abſtracta, ſed concreta, ita quod in prædicamento ſubſtantiæ non ponatur directè humanitas, ſed homo.

Ratio eſt, quia abſtracta ſubſtantialia ſunt entia incompleta: ergo non ponuntur directè in prædicamento. Probatur antecedens, quia vt dicemus in Phyſica, concreta ſubſtantialia addunt ſupra abſtracta ſubſiſtentiam, quia homo dicit humanitatem, non quomodocunque, ſed ſubſiſtentem, id eſt, per ſe exiſtentem, quod non dicit humanitas: nam humanitas, vt ſic, non ſignifica-

Digitized by Google

gnificatur, vt forma per ſe exiſtens incommunicabilis alteri ſuppoſito, vt conſtat in humanitate Chriſti, quæ erat in alieno ſuppoſito: at verò concreta ſubſtantialia, vt homo, ſignificantur, vt ſubſiſtentia, & incommunicabilia alteri ſuppoſito: ergo abſtracta ſubſtantialia non dicunt ſubſiſtentiam: ſed ſubſiſtentia eſt vltimus terminus, & vltimum complementum naturæ ſubſtantialis: ergo abſtracta ſubſtantialia ſignificantur ſecundum quod carent tali complemento ſubſtantiali, atque adeò ſignificantur, vt entia incompleta: ergo non poſſunt poni in prædicamento ſubſtantiæ directè, quod ſecus eſt de concretis ſubſtantialibus: nam hæc concreta, vt homo, includunt ſubſiſtentiam, nam homo ſignificatur, vt per ſe exiſtens, & non in alio ſuppoſito, atque ita, quia includunt vltimum complementum ſubſtantiale naturæ, ſcilicet ſubſiſtentiam, ſunt entia completa, & perfecta, & ita directè ponuntur in prædicamento.

Sed obijcies, prædicamentum eſt prædicabilium coordinatio, ſed in prædicabilibus etiam ponuntur directè naturæ incompletæ, vt diximus c. de ſpecie: ergo etiam in prædicamento directè ponuntur naturæ incompletæ directè, quia ibi præcipuè intenditur ratio vniuerſalis, & quia naturæ incompletæ verè, & propriè ſunt vniuerſales reſpectu ſuorum inferiorum, vt ibi oſtenſum eſt, ideò directè ponuntur in prædicabilibus, at verò in prædicamentis ponuntur res ſecundum ſuas entitates actuales, quas habent, & ita, quæ habent entitatem incompletã ſolùm ponuntur in prædicamento reductiuè qualia ſunt abſtracta ſubſtantialia.

Solum ergo eſt dubium apud autores, vtrum abſtracta accidentalia ponantur in prædicamento accidentis, vel potiùs concreta accidentalia.

In qua re prima ſententia aſſerit, Prædicamenta accidentium ſolùm eſſe conſtituenda ex abſtractis, non verò ex concretis. Ita tenet Sotus capit. de quantitate quæſt. 1. Willalpand. quæſt. 4. Fonſeca. 5. Metaph. cap. 7. quæſt. 5. Caietan. de ente, & eſſentia cap. 4. Huius ſententiæ fundamentum eſt, quia concreta accidentalia non ſunt vnum per ſe: ergo non ponuntur in prædicamento. Patet conſequentia, quia ex omnium ſententia in prædicamento ſolùm ponuntur, quæ ſunt vnum per ſe, nam vnum per accidens non eſt verè vnum, ſed plura. Quod verò cõcreta accidentalia ſint vnum per accidens, ex eo probant, quia talia concreta, v. g. album ſignificant res diuerſorum prædicamẽtorum, nam ſignificant albedinem, quæ eſt qualitas, & corpus de prædicamento ſubſtantiæ: ſed ex rebus diuerſorum

prædicamentorum non ſit vnum per ſe, ſed per accidens: ergo talia concreta ſunt vnum per accidens, atque adeò non ponuntur in prædicamento.

Secundò, quia ſi concreta accidentalia ponuntur in prædicamento, ſequitur quod ſubſtantia ponatur in prædicamēto qualitatis, quod eſt abſurdum. Probatur ſequela, quia album, quod eſt concretum accidentale, dicit albedinem, & corpus de prædicamento ſubſtantiæ: ergo ſi hoc concretum album ponitur in prædicamento qualitatis, ſequitur quòd ſubſtantia ponatur in prædicamento qualitatis.

Tertiò argumentantur, ex Ariſt. qui in hoc lib. anteprædicamentorum ſæpè vtitur nominibus abſtractis, vt hoc nomine, quantitas, qualitas, & relatio, & 3. lib. Topi. ait, iuſtum non eſſe in genere, ſed iuſtitiam: ergo abſtracta accidentalia ponuntur in prędicamento, non verò concreta.

Contraria tamen ſententia nobis tenenda eſt, ſcilicet concreta accidentalia directè poni in prædicamento, non verò abſtracta. Quam ſententiam, tenet Auguſtinus Niphus 5. Metaph. diſput. 7. Albertus tract. 3. prædica. Tolet. q. 2. poſt prædicamentorum. Pro cuius ſententiæ explicatione reuocandum eſt in memoriam, quod ſuprà oſtendimus c. de genere q. 3. concreta accidentalia eſſentialiter, & directè ſignificare tam formam, quàm ſubiectum eius, ita quod album, v. g. eſſentialiter nō dicat ſolam albedinem, ſed etiam corpus, quamuis vnum de formali, alterum verò de materiali, tamen vtrunque eſſentialiter, ſicut homo eſſentialiter non ſolùm dicit formam, ſcilicet animal rationale, ſed etiam corpus, quod eſt materia, quæ doctrina, tum ex Ariſtotel. tum etiam ex rationibus ſatis eſt à nobis probata loco allegato. Legantur, quæ ibi diximus.

Secundò reuocandum eſt in memoriam, quod etiam eodem loco oſtendimus huiuſmodi cōcreta accidentalia eſſe vnum per ſe, nō ſubſtantiale, ſed accidentale, quod etiam eodem loco probatum eſt ex Ariſtot. & communi ratione.

Quibus iactis fundamentis dico primò in hac quæſtione: Concreta accidentalia ponuntur directè in prædicamento, non verò abſtracta. Fauet imprimis huic ſentētiæ Ariſt. hoc c. vbi explicat prædicamenta per concreta, vt quantitatem per bicubitum, & tricubitum; qualitatem per album: & 1. Topi. c. 7. etiam illa enumerat in concreto, vt quantum, & quale, &c. & ſimilia repetit 5. Metaph. c. 4.

Et ratione probatur imprimis, quod concreta accidentalia ponantur directè in prædicamento, quia prædicamentum integratur ex entibus

bus completis, quæ ſint vnũ per ſe, ſed concreta accidentalia, vt album, ſunt entia completa, vt patet, & ſunt vnum per ſe, vt loco allegato oſtenſum eſt: ergo ponuntur directè in prædicamento. Quod verò abſtracta accidentalia non ponantur directè in prædicamento probatur, quia abſtractum accidentale, vt albedo eſt ens incompletum, ergo non ponitur directè in prædicamento. Antecedens probatur, quia illud eſt ens incompletum, quod natura ſua eſt pars, & ordinatur ad componendũ aliquod totum, qua ratione dicimus materiam primam eſſe ens ſubſtantiale incompletum, quia eſt pars natura ſua ordinata ad componendum totum Phyſicum ſubſtantiale, ſed eodem modo albedo natura ſua eſt quoddam ens accidentale, quod natura ſua ordinatur ad componendũ aliquod totum accidentale, nempè album: ergo eodem modo eſt ens accidentale incompletum.

Reſpondebit fortaſſe aliquis eſſe diuerſam rationẽ; nam materia prima non ſupponit aliquod totũ perfectum iam conſtitutum, ſed potiùs ordinatur ad componẽdum ipſum totum ſubſtantiale; at verò albedo ſupponit ipſum totum ſubſtantiale iam conſtitutum, quia illi aduenit.

Sed certè hæc ſolutio ſolum probat albedinem eſſe aliquid accidentale, quia aduenit enti iam in actu perfecto conſtituto: at verò materiam primam eſſe aliquid ſubſtantiale incompletum, quia ordinatur ad componendum ipſum totum ſubſtantiale, tamen non probat, quòd albedo non ſit aliquid accidentale incompletum, quia ordinatur ad componendum vnum totum accidentale, nempè album.

Sed objicies: etiam ſubſtantia cõpleta componit ipſum album, nam album componitur, v.g. ex homine, & albedine: ergo etiam probaretur ſubſtantiam completam eſſe ens incompletum. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia ſubſtantia, v.g. homo ex ſua natura, non petit componere album, quia naturaliter multi homines ſunt, qui non ſunt albi, & ita, quia natura ſua non petit eſſe partem huius totius accidentalis, quod eſt album, non eſt ſubſtantia ens incompletum: at verò forma accidentalis, vt albedo, ex natura ſua petit componere album, quia eſt forma natura ſua ordinata ad componendum illud, & ita natura ſua eſt pars, & ens incompletum.

Secundò probatur concluſio, quia abſtracta ſubſtantialia, vt humanitas, natura ſua ſunt entia incõpleta, quia natura ſua ordinantur ad componendum totum ſubſtantiale, vt probatum eſt: ergo etiam ſunt entia incompleta, & directè non ponuntur in prædicamento.

Neque hac in re placet doctrina Maſij c. 6. antepradicamentorum

ſect.2.q.4. quem plures ſequuntur, aſſerentis, quòd ſi prædicamenta conſiderentur quatenus pertinent ad Metaphyſicos, tunc in eis collocantur concreta accidentalia, ſi verò conſiderentur quatenùs pertinent ad Logicũ nõ collocantur in eis cõcreta accidentalia, ſed ſolum abſtracta. Hæc, inquam, ſententia non placet, nam quamuis verum aſſerat prædicamentum diuerſimodè pertinere ad Logicum, & ad Metaphyſicum, nam ad Metaphyſicũ pertinent in ratione entis, qua ratione Ariſtot. multa differit de prædicamentis in Meta. ad Logicum verò pertinent, in quantum deſeruiunt ſimplici apprehenſioni, vt ſcilicet intellectus rem quamlibet in ſuo genere concipiat, & etiam prout deſeruiunt ad definiendum: nam cum definitio conſtet genere, & differentia, cognoſcere prius oportet, in quo genere, & prædicamento res contineatur, vt poſteà poſſit facilè definiri. Quamuis ergo in hoc verum dicat, diſplicet in eo, quod aſſerit abſtracta accidentalia directè poni in prædicamento, prout prædicamentum conſideratur à Logico, quia apud Logicum ſolum ponuntur in prædicamento entia completa, vt omnes ſine controuerſia admittunt, ſed abſtracta accidentalia non ſunt entia completa, vt oſtenſum eſt, ergo neque hoc modo ponuntur in prædicamento, ſed reductiuè.

Vnde ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur. Ad primum negando, quòd concreta accidentalia, non ſunt vnum per ſe: & ad probationem, quòd quamuis ex rebus diuerſorum prædicamentorum, non poſſit fieri vnum per ſe ſubſtantiale, quia hoc componitur ex vtraque parte ſubſtantiali, ſcilicet ex materia, & forma ſubſtantiali, tamen fit vnum per ſe accidentale, quia album, v. g. eſt aliquid verè vnum, vt ſuprà explicatum eſt, denominatum à forma accidentali.

Ad ſecundum non eſſe inconueniens, eandem rem diuerſimodè conſideratam pertinere ad diuerſa prædicamenta, ſicut eadem entitas, quatenus actio pertinet ad prædicamentum actionis, at verò quatenus paſſio ad prædicamentum paſſionis, cum tamen actio, & paſſio ſint eadem entitas: Similiter ergo ſubſtantia ſecundum ſe præcisè cõſiderata, & excluſo omni accidenti, pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, at verò, vt conſideratur ſimul cum albedine, & facit album, pertinet ad prædicamentum qualitatis.

Ad tertium, quòd Ariſt. aliquando vtitur in prædicamentis nominibus abſtractis, non tamen, quia exiſtimet abſtracta directè poni in prędicamẽto, ſed quia per abſtracta explicantur concreta, quia abſtracta,

v.g.

v.g. albedo ſignificat formam, à qua concretum denominatur tale, & ita vt meliùs explicet concreta, aliquã do vtitur nominibus ſignificantibus abſtractum.

Ad alium locum reſpondetur Ariſto. in eo loco tantùm aſſeruiſſe iuſtum non eſſe in genere virtutis, ſed iuſtitiam, vt legenti patebit, quod verum eſt: nam iuſtus non eſt virtus, ſed iuſtitia ipſa, & ita iuſtus non eſt in genere virtutis, ſed iuſtitia. Vtrum autem abſtracta ponantur directè in prædicamento, vel non, eo loco non tractat Ariſt.

Vltimò dubitari poteſt, vtrùm entia rationis ponantur in prædicamento. In qua re certum eſſe debet, quod ens rationis non ponitur in aliquo ex decem prædicamentis aſſignatis ab Ariſt. quia illa ſunt prædicamenta entis realis, & ita idem Ariſt. 5. Met. c. 7. excludit ens rationis à decem prædicamentis: ſolùm ergo eſt dubium vtrum præter prædicamenta realia, ſit conſtituendum vnum prædicamentum entis rationis, cuius genus generaliſſimum ſit ens rationis in communi.

In qua re dicendum nobis eſt, nulla ratione poſſe conſtitui vnicum prædicamentũ entis rationis, cuius genus generaliſſimum ſit ens rationis in communi. Hæc concluſio apertè ſequitur ex doctrina à nobis ſuprà tradita diſput. 2. de vniuerſa. q. 1. quia vt ibi probatum eſt, ens rationis in communi, non eſt aliquid vniuocum, ſed analogum ad negationẽ, priuationem, & relationẽ, quæ ſunt inferiora ſub illo contenta; ſed genus generaliſſimũ debet eſſe aliquid vniuocũ; ergo non poteſt cõſtitui vnicum tantum prædicamentum, cuius genus generaliſſimum ſit ens rationis in communi, quare entia rationis in duo diſtribui poſſunt: alterum in quo continentur negationes, & priuationes, cuius generaliſſimum ſit carentia in communi, prout comprehendit negationem, & priuationem, hæc enim duo vniuocè conueniunt in ratione carentiæ in communi: alterum verò, in quo conſtituantur relationes rationis. Quæ verò ſit natura horum entium rationis, ſatis diffusè diſputauimus loco citato, & ita nobis ſatis eſſet impertinens diſputare de prædicamento entis rationis.

QVÆSTIO III.

Vtrùm prædicamenta habeant eſſe diuerſa ex natura rei.

HAc in re plures exiſtimant omnia prædicamenta eſſe inter ſe diuerſa ex natura rei, & nullo operante intellectu. Ita tenet Niphus 5. Met. diſput. 52. c. 4. Duran. in 1. d. 2. q. 2. Valeſi. 1. Phyſi. q. 3. Paulus

Digitized by Google

lus Venetus in ſua Met. cap. 31. & fundamentum eſſe poteſt, quia prędicamenta differunt genere, ac per conſequens differunt ſpecie, & numero, ſed quæ differunt numero diſtinguuntur realiter, vt Petrus, & Paulus: ergo prædicamenta omnia realiter diſtinguuntur.

Secundò, quia à parte rei prædicamenta habent diuerſas definitiones, quia alia eſt definitio ſubſtantiæ, alia relationis; ergo habent à parte rei diuerſas eſſentias: ergo diſtinguuntur ex natura rei.

Verumtamen hac in re dico primò, ſubſtantiam diſtingui ex natura rei ab omnibus accidentibus. In hac concluſione conueniunt autores citati, cum aſſerant omnia prædicamenta eſſe diuerſa ex natura rei, Tenet etiam S. Thom. in. 1. d. 8. quæſt. 4. Sonci. 5. Met. quæſt. 13. & plures alij. Et ratione probatur, quia ea, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio, diſtinguuntur realiter, ſed ſubſtantia poteſt reperiri ſine quolibet accidenti, ſaltem per diuinam potentiam, quia cum accidentia ſint extra eſſentiam rei, poſſunt abeſſe, & adeſſe, ſalua eſſentia rei; ergo ſubſtantia diſtinguitur ex natura rei ab omnibus accidentibus. Maiorem autem, ſcilicet quòd ea, quorum vnum poteſt eſſe ſine alio, diſtinguantur ex natura rei, latè demonſtrabimus infra cap. de relatione, dum probemus relationem ex natura rei differre à fundamento, & breuiter nunc probatur: quia ſeparatio arguit aliquam diſtinctionem eorum, quæ ſeparantur: ergo ſeparatio realis procuidubio arguit diſtinctionem realem.

Secundò probatur concluſio, quia idem non poteſt realiter dependere à ſe ipſo, alìàs idem poſſet eſſe cauſa ſui ipſius, ſed omnia accidentia realiter dependent à ſubſtantia, & ab illa cauſantur in genere cauſæ materialis, quia ſubſtantia eſt ſubiectum ſuſtentans accidentia; ergo ſubſtantia ex natura rei diſtinguitur ab omnibus accidentibus.

Reſpondebit fortaſſe aliquis, idem ſecundum vnam rationem formalem, poſſe dependere à ſeipſo ſecundum aliam rationem formalem, & ita ſolùm probari ſubſtantiam formaliter dependere ab accidentibus, non verò ex natura rei: Sed hoc facile impugnari poteſt, quia ſi idem ſecundum diuerſam rationem poſſet dependere à ſe ipſo idem ſecundum rem poſſet eſſe cauſa ſui ipſius, quod eſt ridiculum.

Secundò, quia dependentia realis, neceſſario debet eſſe ab alio realiter diuerſo, nam inter idem, & ſe ipſum ſolum poteſt eſſe dependentia rationis, ſicut ſolùm eſt diſtinctio rationis: ſed accidētia habēt realem dependentiā à ſubſtantia ergo diſtinguuntur ab illa ex natura rei.

Eſt

Eſt tamen aduertendum, quod inter accidentia, quædam diſtinguuntur ab illa, ſicut res à re, vt quantitas, quædam diſtinguuntur ab illa, vt modus rei à re, qualiter relatio, quæ fundatur in ſubſtantia, ſolum diſtinguitur ab illa, vt modus, quia relatio eſt modus fundamenti, quo totaliter ſe habet in ordine ad aliud extremum, ad quod refertur: vnde verò dignoſcendum ſit, quæ accidentia ſint modalia, quæ verò ſint re condiſtincta contra modum, dicemus in Phyſica latè.

Dico ſecundò in hac quæſtione, non omnia prædicamenta accidentium diſtingui inter ſe ex natura rei, ſed aliqua diſtingui tantum ratione. Eſt ſententia Ariſt. 3. Phyſi. text. 28. vbi docet actionem, & paſſionem tantùm ratione diſtingui, cum tamen conſtituant duo prædicamenta: tenet etiam S. Thom. 1. p. q. 18. art. 3. Iauellus 5. Metaph. q. 19. Ferra. 3. Phyſi. q. 5. Tolet. q. vnica prædicamentorum, & plures alij.

Et ratione probatur, quia eadem entitas actionis conſiderata, vt prouenit ab agente, eſt actio, conſiderata verò, vt reperitur in paſſo, eſt paſſio: ergo prædicamentum actionis, & paſſionis dicunt eandem entitatem ſecundum rem, atque adeò non diſtinguuntur realiter, ſed tantùm ratione.

Secundò, quia in eadem entitate ſecundum rem, diſtinguimus per rationem plura prædicata, quæ conſiderata ſecundum ordinem prioris, & poſterioris, conſtituunt vnum prædicamentum: ergo ſimiliter in eadem re poterunt diſtingui per intellectum plures rationes formales pertinentes ad diuerſum prædicamentum: ergo non opus eſt omnia prædicamenta accidentium realiter diſtingui.

Et ſi inquiras vnde cognoſci poſſit, quando diſtinguuntur realiter, quando verò non. Reſpondetur à poſteriori optimè colligi ex hoc, quod quando ratio vnius prædicamenti poteſt reperiri à parte rei ſine ratione alterius, illa duo prædicamẽta diſtingui realiter, quia (vt probabimus) quæuis ſeparatio realis vnius ab alio arguit diſtinctionem realem; & ita quantitas diſtinguitur realiter ab albedine, quę eſt qualitas, quia poteſt dari à parte rei, quin ſit alba; actio verò non diſtinguitur realiter à paſſione, quia non poteſt dari à parte rei actio ſine paſſione.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primũ, quod non quæcunque, quæ diſtinguuntur numero, diſtinguuntur realiter, quia quę diſtinguuntur ſpecie, etiam diſtinguuntur numero, eo quod maior diſtinctio benè infert minorem, & ita quæ diſtinguuntur ſpecie, etiam diſtinguuntur numero, cum hoc tamen aliquando diſtinguuntur ſpecie, imò & gene-

re ſolum per intellectum, vt dixi de actione, & paſſione: ergo non quæcunque, quæ diſtinguuntur numero, diſtinguuntur etiam realiter, ſed hoc aliunde petendum eſt; & ita quamuis prædicamenta diſtinguantur ſpecie, & numero, non probatur, quòd diſtinguantur realiter, quia ad totum hoc ſatis eſt diſtinctio rationis.

Ad ſecundum, quod non omnia prædicamenta habent definitiones, quæ à parte rei ſint diuerſæ, niſi ſolum fundamentaliter, in quantum in eadem entitate eſt fundamentum à parte rei, vt intellectus concipiat diuerſas definitiones: hæ tamen definitiones neceſſariò non ſunt diuerſæ actu à parte rei, ſed ſolum per intellectum, qui dum definit, poteſt præſcindere vnam rationem formalem ab alia. Et hæc dicta ſufficiant de prædicamento in communi.

CAPVT DE SVBSTANTIA.

PErgit iam Ariſt. ad ſingula prędicamenta explicanda, & in hoc cap. duo agit: in prima parte explicat, quid ſit prima, & ſecunda ſubſtantia, & qualiter ſe habeant inter ſe: in ſecunda verò parte adducit proprietates ſubſtantiæ. Ad primam accedentes hoc modo definit Ariſtot. primam ſubſtantiam, dicens: *Subſtantia, quæ propriè inprimis, principaliter, & maximè dicitur, eſt, quæ neque de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt, vt Petrus*: ita prima ſubſtantia idem eſt, quod ſubſtantia ſingularis. In quibus verbis non continentur plures definitiones, ſed illæ particulæ, *Quæ propriè, inprimis, & principaliter, & maximè dicitur*, ponuntur ad maiorem explicationem eius, quod definitur. Ponitur autem illa particula, *Propriè*, ad differentiam ſubſtantiæ impropriè dictæ, quæ eſt illa, quæ ſumitur pro quidditate, & eſſentia, quæ non eſt determinati prædicamenti, ſed per omnia diuagatur, quia in omnibus reperitur ſua eſſentia. Illa verò particula, *In primis*, & *Principaliter*, ponitur ad differentiam ſecundarum ſubſtantiarum, quæ ſunt ſubſtantiæ vniuerſales, vt homo: nam iſtæ ſecundæ ſubſtantiæ ſubſtant accidentibus ratione primarum: nam ideò homo eſt albus, quia Petrus eſt albus.

Illa

Illa verò particula, *Et maximè dicitur*, ponitur ad differentiam ſecundarum ſubſtantiarum: nam ſecundæ ſubſtantiæ, cum ſubſtent accidentibus ratione primarum, prima ſubſtantia maximè dicitur ſubſtantia. Differt etiam prima ſubſtantia à ſecunda per illam particulam, *Nec de ſubiecto aliquo dicitur*, quod intelligendum eſt de ſubiecto prædicationis: nam ſecundæ ſubſtantiæ, vt homo, prædicantur de primis, vt de Petro, & Paulo: at verò primæ ſubſtantiæ de nullo prædicantur, quod intelligendum eſt in prædicatione formali, vt ſupra explicuimus: nam prædicatione identica etiam prima ſubſtantia prædicatur de ſe ipſa, vt in hac propoſitione: Petrus eſt Petrus: per illam verò particulam, *Neque in ſubiecto eſt*: quod intelligendum eſt de ſubiecto inhæſionis, differt prima ſubſtantia ab accidentibus: nam hæc habent ſubiectum inhæſionis.

Explicat deinde, quid ſit ſecunda ſubſtantia, dicens, quod ſecundæ ſubſtantiæ ſunt genera, & ſpecies, quæ ſunt in primis ſubſtantijs, vt animal, & homo, qui ſunt in Petro, & Paulo; & ita inquit, quòd deſtructis primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum remanere: nam ſecundæ ſubſtantiæ, & accidentia ſunt in primis ſubſtantijs. Inter ſecundas autem ſubſtantias, ſpecies, inquit, ſunt magis ſubſtantiæ, quàm genera. Primò, quia illud eſt magis tale, quod magis accedit ad maximè tale; ſed ſpecies magis accedunt ad primas ſubſtantias, quæ ſunt maximè ſubſtantiæ, quàm genera, quæ ſunt vniuerſaliora: ergo ſpecies ſunt magis ſubſtantiæ, quàm genera.

Secundò, quia illud eſt magis ſubſtantia, quæ pluribus ſubſtat; ſed ſpecies pluribus ſubſtant, quam genera, quia ſubſtant etiam ipſis generibus: ergo ſunt magis ſubſtantiæ,

Tertiò, quia ſpecies magis explicant, quid ſint primæ ſubſtantiæ, quam genera: nam ſi quis interrogaret, quid eſt Petrus? melius reſponderet: Eſt homo, quàm, Eſt animal: ergo ſpecies magis ſunt ſubſtantiæ, quàm genera: loquitur autem Ariſt. de genere, & ſpecie, quę ſignificant naturas ſubſtantiales, nõ verò accidentales. Inter ſpecies verò infimas, inquit Ariſt. vna non eſt magis ſpecies, quàm alia. Hæc in prima parte capitis.

In ſecunda parte cap. adducit ſex proprietates ſubſtantiæ. Prima eſt: Proprium eſt ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto, intellige inhæſionis: nam ſecundæ ſubſtantiæ ſunt in primis, tanquam in ſubiecto prædicationis, quia in illis includuntur. Quã proprietatem etiam dicit conuenire differentijs ſubſtantialibus, & partibus ſubſtantiæ, nam nulla pars ſub-

Digitized by Google

ſtantialis poteſt eſſe in alio inhæſiuè cùm ſit ſubſtantia quamuis ſit in alio tanquàm in toto, qualiter caput eſt in homine.

Secunda proprietas eſt vniuocè prædicari: quæ non conuenit primæ ſubſtantiæ, cùm hæc de nullo prædicetur, ſed ſecundis ſubſtantijs; & ita inquit, accidentia non prædicantur vniuocè de ſubſtantia, quod intelligendum eſt in prædicatione, vniuoca eſſentiali: nam accidentia benè prędicantur vniuocè accidentaliter. vt dixi in capite de accidenti, non verò prædicantur vniuocè eſſentialiter, qualiter prædicantur ſecundæ ſubſtantiæ.

Tertia proprietas ſubſtantiæ eſt, ſignificare hoc aliquid, id eſt; rem certam, & determinatam, quæ proprietas potius, inquit, conuenit primis ſubſtantijs, quàm ſecundis: nam homo non ſignificat rem certam in ſingulari; & ita ſecundæ ſubſtantiæ, inquit, ſignificant qualequid, id eſt, ſignificant eſſentiam primæ ſubſtantiæ, vt exponit Diuus Thomas 7. Metaphyſic. capit. 13. nam eſſentia rei quodammodo appellatur eius qualitas eſſentialis.

Aduertit tamen Ariſtoteles diuerſimodè ſecundas ſubſtantias ſignificare qualequid, ac accidentia; nam ſecundæ ſubſtantiæ ſignificant qualitatem quandam eſſentialem, & ſubſtantialem de prædicamento ſubſtantiæ: accidentia verò vt album, ſolam qualitatem ſignificant, id eſt, accidentalem qualitatem ſignificant pro formali: nam adæquate etiam ſignificant directè ſubiectum, vt ſuprà dixi.

Quarta proprietas ſubſtantiæ eſt, quòd ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, & reddit rationem, quia contraria ſunt, quæ ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt; ſed ſubſtantia non habet ſubiectum, quod eſt ens per ſe, imò ipſa eſt ſubiectum accidentium: ergo ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; quæ proprietas, inquit Ariſtoteles, etiam conuenit quantitati.

Quinta proprietas eſt, non ſuſcipere magis, & minus, id eſt, non intendi, aut remitti, qualiter vnus homo non eſt magis homo ſubſtantialiter, quàm alius.

Sexta proprietas eſt, quòd ſit ſuſceptiua contrariorum per mutationem ſui, id eſt, accidentiũ contrariorũ, qualiter idẽ homo modò eſt calidus, modò eſt frigidus: dixi autem, per mutationem ſui, nam per mutationem in alio factam, inquit, etiam oratio ſuſcipit contraria, qualiter hæc propoſitio, Petrus ſedet, eſt vera, illo ſedente, illo verò ambulante eſt falſa. Et hæc de littera huius capitis.

Circa

Digitized by Google

Circa literam.

CIrca hoc caput in primis facilis eſt ratio, quare Ariſtotel. prius egerit de ſubſtantia, quàm de alijs prædicamentis accidentium. Primò, quia ſubſtantia eſt fundamentum accidentium, nam accidentia inhærent ſubſtantiæ, & ita priùs agendum erat de ſubſtantia. Secundò, quia ſubſtantia eſt perfectior omnibus accidentibus, cum ſit ens per ſe: accidens verò ens in alio. Tertiò, quia vt docuit Ariſtotel. 7. Metaph. cap. 4. ſubſtantia eſt prior natura, tempore, definitione, & cognitione accidentibus: natura quidem, quia ſubſtantia eſt cauſa accidentium, quæ ſunt in illa, cauſa autem eſt prior ſuo effectu ordine naturæ: tempore quia datur aliqua ſubſtantia ſine accidentibus, non tamen accidens ſine ſubſtantia: definitione verò, quia accidentia definiuntur per ſubiectum, vt ſuprà vidimus in cap. de genere; ſubiectum autem accidentium eſt ſubſtantia: ergo ſubſtantia eſt prior definitione, & cognitione, accidentibus.

Sed contra hanc rationẽ duo obijci poſſunt. Primò, quia ſubſtantia non eſt prior tempore accidentibus. nam eo inſtanti, in quo generatur ſubſtantia, v. g. homo, habet qualitatem, colorem, & alia etiam accidentia: ergo ſubſtantia non eſt prior accidentibus.

Secundò, quia neque eſt prior cognitione accidentibus, nam ex Ariſt. 1. de anim. c. 1. accidentia multum conducunt ad cognitionem ſubſtantiæ, qualiter per albedinem, figuram, & alia accidentia deuenimus in cognitionem ſubſtantiæ cygni: ergo ſubſtantia non eſt prior cognitione accidentibus, ſed è contrà.

Sed reſpondetur ad primum, relictis expoſitionibus, quas longum eſſet recenſere, quòd ſubſtantia non eſt prior tempore omnibus accidentibus, ſed illis, quæ adueniunt illi, iam productæ ex aliqua mutatione facta, tranſacta iam generatione, vt quòd ambulet, vel ſedeat; & ſimilia. Sic exponit Auerr. 7. Met. tex. 4.

Ad ſecundum reſpondetur, quod cognitione confuſa, & à poſteriori accidentia ſunt priora cognitione, quàm ſubſtantia, tamen à priori, & cognitione diſtincta, ſubſtantia eſt prior cognitione accidentibus; nam cùm accidentia definiantur per ſubſtantiam, tanquam per ſubiectum, vt diſtinctè cognoſcamus accidentia, opus eſt priùs cognoſcere ſubſtantiam.

Deinde obijci poteſt contra id, quod dicit Ariſt. quòd deſtructis primis ſubſtantijs impoſſibile eſt aliquid remanere: nam contrà eſt, quòd corrupto Petro manet anima rationalis, & materia prima, quia

hæc ſunt incorruptibilia. Reſpondetur, ſenſum Ariſ. eſſe. quòd corruptis ſubſtantijs nihil manet eorum, quæ ſubiectantur in illis, nam corrupto ſubiecto pereunt accidentia, quæ ſubiectantur in illo: at verò partes ſubſtantiales, vt materia prima, & anima rationalis, non ſunt in Petro, vt in ſubiecto, ſed ſicut partes in toto; & ita non mirum eſt, quòd maneant, illo corrupto.

Secundò dubitari poteſt circa id, quod docet Ariſtot. quòd primæ ſubſtantiæ ſunt ſubiecta ſecundarum, ipſæ verò primæ ſubſtantiæ non ſunt in alio, ſicut in ſubiecto: nam contrà eſt. Primò, quia accidens eſt illud, quod eſt in alio: ergo ſi ſecundæ ſubſtantiæ ſunt in alio vt in primis, ſequitur, quòd ſecundæ ſubſtantiæ ſint accidentia, atque adeò non ſubſtantiæ.

Secundò, quia etiam primæ ſubſtantiæ, ſcilicet ſubſtantiæ ſingulares, ſunt in alio, tanquàm in ſubiecto, qualiter forma ſubſtantialis eſt in materia prima, tanquàm in ſubiecto.

Sed reſpondetur ad primum, quòd primæ ſubſtantiæ dicuntur ſubiecta ſecundarum, non quidem inhæſionis, vt argumentum probat, quia habere tale ſubiectum eſt proprium accidentium, ſed ſubiectum prædicationis: quare ſecundæ ſubſtantiæ prædicantur de primis, vt homo de Petro, & Paulo.

Ad ſecundum, quod forma non eſt in materia prima, tanquam in ſubiecto inhæſionis, ſed tanquam in ſubiecto informationis, quia forma abſque eo quod inhæreat materiæ primæ, informat illam, & dat illi eſſe vt latiùs declarabitur 1. libr. Phyſic.

DISPVT. VNICA.

De natura, & proprietatibus ſubſtantiæ.

His circa literam adnotatis, iam de re ipſa diſputandum reſtat, vbi obiter plura, quæ circa textum explicatione indigent, adnotabimus.

QVÆST. I.

Quid ſit natura, & eſſentia ſubſtantiæ.

Pro intelligentia notandum eſt, quòd ſubſtantia multis modis accipitur, duobus tamen præcipuè: nam primò ſubſtantia accipitur pro eſſentia rei, qua ratione Ariſt. cap. 12. Antepprædicamentorum dixit vniuoca eſſe, quorum nomen eſt commune: ratio verò ſubſtantiæ omninò eadem, id eſt, ratio eſſentialis omninò eadem, vt ibi expoſuimus: & certum eſt, ſubſtantiam hoc modo acceptam non eſſe generaliſſimum huius prædicamenti, quin potiùs diuagatur per omnia prædicamen-

tamenta, quia in quolibet prædicamento reperitur ſua eſſentia.

Secundò ergo, & propriſſimè ſumitur ſubſtantia pro illo ente, quod ex ſua natura per ſe exiſtit, vt diſtinguitur ab accidenti, quod eſt in alio: & ita ſubſtantia dicta eſt à ſubſiſtendo, ſiue per ſe exiſtendo, quod idem eſt: vel, vt alij volunt à ſubſtando accidentibus, quia ſubſtantia quaſi ſub accidentibus ſtat, id eſt, per ſe exiſtit nulli alij inhærens.

Sed rurſus hæc ſubſtantia duplex eſt: alia eſt totalis, & completa, ſcilicet quæ componitur ex materia, & forma, quæ ſunt ſubſtantiæ incompletæ, alia verò eſt incompleta, & eſt illa, quæ componit hanc ſubſtantiam completam, qualiter materia, & forma ſubſtantialis dicuntur ſubſtantiæ incompletæ.

Secundò certum eſt, quòd ſubſtantia in communi, prout comprehendit ſubſtantiam completam, & incompletam, non ſit generaliſſimum huius prædicamenti. Ratio eſt. Primò, quia (vt ſuprà vidimus) in prædicamento tantùm ponuntur entia completa. Secundò, quia illa ſubſtantia non eſt aliquid vniuocum, ſed analogum. Ratio eſt, quia genus vniuocum non clauditur in differentijs, per quas contrahitur: ſubſtantia autem in communi, prout comprehendit completam; & incompletam, clauditur in differentijs ſubſtantialibus; nam rationale eſt ſubſtantia, ſaltem incompleta: ergo ſubſtantia comprehendens completam, & incompletam, non eſt genus generaliſſimum huius prædicamenti; & ita ſola ſubſtantia completa eſt genus generaliſſimum huius prædicamenti, & non quæcunque, ſed finita: nam ſubſtantia infinita, qualis eſt ſolus Deus, non ponitur in prædicamento, vt vidimus; ſubſtantiæ verò incompletæ, vt materia, & forma, tantùm reductiuè ponuntur in hoc prædicamento, inquantum ſunt partes componentes ſubſtantiam completam; & ita ponuntur reductiuè in ſpecie illius totius, quod componunt.

Solùm ergo reſtat dubium, quæ ſit eſſentia ſubſtantiæ, quæ eſt generaliſſimum huius prædicamenti. Prima ſententia affirmat non eſſe eſſentiam ſubſtantiæ, eſſe per ſe, ſed ſubſtare accidentibus: quam tenet hoc cap. Boëtius, non quidem ſubſtare actu accidentibus, nam fortaſſe poſſet dari de potentia Dei abſoluta ſubſtantia aliqua carens omni accidenti, ſed poſſe ſubſtare accidentibus.

Et probari poteſt hæc ſententia. Primò, quia eſſentia vnius rei non poteſt de potentia abſoluta alteri diuerſæ ſpeciei communicari, qualiter eſſe animal rationale nullo modo poteſt communicari equo; ſed eſſe per ſe communicatur accidentibus

tibus per miraculum, vt patet in Sacramento Eucharistiæ, vbi quantitas exiſtit per ſe abſque omni ſubiecto, vt fides docet: ergo eſſe per ſe non eſt de eſſentia ſubſtantiæ.

Secundò, quia humanitas eſt ſubſtantia: hæc autem poteſt eſſe in alio, vt patet de humanitate Chriſti, quæ erat in Verbo diuino, & ab illo ſubſtentabatur: ergo eſſe per ſe non eſt de eſſentia ſubſtantiæ.

Tertiò, quia eſſe per ſe dicit negationem eſſendi in alio; nam idem eſt eſſe per ſe quod non eſſe in alio; ſed non eſſe in alio, non poteſt eſſe eſſentia ſubſtantiæ, quia res poſitiua, qualis eſt ſubſtantia, non poteſt conſtitui per aliquid negatiuum: ergo eſſe per ſe, non eſt de eſſentia ſubſtantiæ.

Communis tamen, & vera ſententia eſt à nobis tenenda, eſſentiam ſubſtantiæ eſſe, eſſe per ſe. Tenet Diuus Thomas opuſculo 42. de natura generis, cap. 10. & ſæpè alibi. Diuus Damaſcenus in ſua Dialectica, cap. 23. Denique hoc tempore eſt communis ſententia. Vnde dico primò: Subſtare accidentibus, non eſt de eſſentia ſubſtantiæ, ſed proprietas eius: & non loquor de ſubſtare actu, ſed potentia. Hanc concluſionē docuit Ariſtoteles expreſſè in hoc capite, dum dicit, *Proprium eſſe ſubſtantiæ eſſe ſuſceptiuam contrariorum accidentium*: nam idem eſt prorſus poſſe ſubſtare accidentibus, & poſſe ſuſcipere accidentia. Et ratio eſt, quia ſubſtare accidentibus, conuenit ſubſtātiæ, ex eo quod eſt per ſe; nam ſubſtentare aliud, ſupponit ipſum ſubſtentans per ſe eſſe; & ita hæc cauſalis eſt vera: Ideò ſubſtantia ſubſtat accidentibus, quia per ſe exiſtit; ergo ſubſtare accidentibus potiùs eſt proprietas ſubſtantiæ quàm eius eſſentia.

Dico ſecundò: Eſſentia ſubſtantiæ eſt eſſe ens per ſe. Probatur, quia ens contrahitur ad ſubſtantiam per eſſe per ſe, & accidens per eſſe in alio: ergo eſſe per ſe eſt modus conſtitutiuus ſubſtantiæ: ergo eſt de eſſentia illius. Eſt tamen aduertendum, vt optimè docuit S. Thom. 3. p. q. 77. ar. 1. ad 2. quod eſſentia ſubſtantiæ non eſt actu exiſtere per ſe. Primò, quia actu exiſtere ſolùm eſt de eſſentia Dei, in quo ſemper exiſtere eſt de ſua eſſentia. Tùm etiam, quia eſſentia ex ſe abſtrahit ab exiſtentia: ergo actu exiſtere per ſe non eſt de eſſentia ſubſtantiæ, ſed poſſe ex ſua natura exiſtere per ſe aptitudinaliter.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum verum eſſe eſſentiam vnius rei, non poſſe communicari alteri, etiam de potentia Dei abſoluta, quia vna eſſentia eſſentialiter excludit aliam, vt eſſentia hominis excludit eſſentiam equi, & ita eſſentia ſubſtantiæ nullo modo poteſt communicari

accidenti. Ratio eſt, quia eſſentia ſubſtantiæ non eſt exiſtere per ſe, vtcunque, ſed connaturaliter, id eſt, eſſe ens ex propria natura petens per ſe exiſtentiam: at verò modus ille exiſtendi per ſe, quem accidentia habent per miraculum in Sacramento Euchariſtiæ, non eſt connaturalis illis; ſed præter naturalis, & miraculoſus, & ex ſua natura nõ petunt illam per ſe exiſtentiam, qualiter illam petit ſubſtantia.

Sed obijcies: De potentia abſoluta eſſe per ſe poteſt communicari accidenti, quamuis non connaturaliter: ergo ſimiliter poterit de potentia abſoluta communicari ſubſtantiæ eſſe in alio inhæſiuè, quamuis non connaturaliter, nam æqua eſt ratio vtrobique. Reſpondetur, negando paritatem rationis: nam de ratione ſubſtantiæ eſt, quod ſit primum ſubiectum omnium, quæ deinde illi aduenıunt, & ita ſi daremus vnam ſubſtantiam eſſe inhæſiuè in alio, iam eſſet aliud primum ſubiectum, & ita ipſa non eſſet primum ſubiectum, quod eſt contra ſuam eſſentiam, eſſentiæ autem non poſſunt immutari à Deo.

Ad ſecundũ reſpondetur, quòd eſſe in alio ſtat dupliciter: nam aliud eſt eſſe in alio inhæſiuè, qualiter albedo eſt in pariete, & hoc eſſe in alio conſtituit accidens; aliud verò eſt eſſe in alio tanquam in toto, aut tanquam in ſuppoſito, qualiter anima rationalis, quantumuis ſit ſubſtantia, eſt in homine tanquam in toto, quod componit, & hoc eſſe in alio, non repugnat ſubſtantiæ, & ita humanitas, quæ ſubſtantia eſt, erat in Verbo diuino, in Chriſto, tanquam in ſuppoſito, non verò inhæſiuè, vt ſuo loco dicetur.

Ad tertium, Sonci. 5. Meta. quæſt. 14. exiſtimat, quòd eſſe per ſe formaliter, & primariò dicit negationem, non eſſendi in alio. Cuius fundamentum eſt; nam ſicut ſe habet in Deo eſſe à ſe, ita ſe habet in creaturis ſubſtantialibus eſſe per ſe, ſed eſſe à ſe in Deo dicit negationem, quia idem eſt quod non eſſe ab alio: ergo ſimiliter in creaturis ſubſtantialibus eſſe per ſe dicit negationem primò, & per ſe, ſcilicet non eſſe in alio.

Dicendum tamen nobis eſt cum communi omnium ſententia, quod eſſe per ſe primariò non dicit negationem, ſed quandam entitatem poſitiuam habentem illum modum perſeitatis, quamuis ſecundariò dicat illam negationem, & per illam explicetur; ſicut incorporeum primariò non dicit negationem corporis, ſed entitatem quandam ſpiritualem, quæ explicatur per negationem corporis, quam ſecundariò dicit incorporeum. Quæ ſententia colligi poteſt ex Ariſto. in hoc cap. vbi ait, proprium eſſe ſubſtantiæ non eſſe in alio: ego negatio non eſſendi in alio, potiùs eſt proprie-

Ff tas

tas conſequens ad eſſentiam ſubſtantiæ, quàm ſit ipſa eſſentia ſubſtantiæ.

Secundò, quia ſubſtantia eſt aliqua entitas realis poſitiua: ergo debet conſtitui per aliquod reale poſitiuum; ſed conſtituitur per eſſe per ſe: ergo eſſe per ſe non dicit primariò negationem. Neque ratio, quam affert Sonci. aliquid conuincit; nam quamuis concedamus, quod eſſe à ſe in Deo dicat negationem, quod tamen non eſt adeo certum, & non eſt huius loci diſputare; tamen eſt diuerſa ratio de eſſe per ſe in ſubſtantia; nam in Deo intelligimus aliquid priùs ratione, in quo fundetur illa negatio non eſſendi ab alio, ſcilicet exiſtere per ſuam eſſentiam: nam quamuis in Deo omnia ſint vnum; tamen ad noſtrum modum intelligendi, hæc cauſalis eſt vera: quia Deus ex ſua eſſentia exiſtit, non habet eſſe ab alio; at verò eſſe per ſe in ſubſtantia, eſt prima ratio conſtitutiua illius, & ita debet eſſe aliquid poſitiuum, quia conſtituit rem poſitiuam: neque eſt dari aliquod prius, in quot fundetur illa negatio.

Qvæst. II.

Quæ ſint proprietates ſubſtantiæ.

POſt eſſentiam proprietates ſequuntur, & ita poſtquam actum eſt de eſſentia, ſequitur, quòd agamus de proprietatibus. Sed proprietates ſubſtantiæ adduxit Ariſtotel. in textu, quæ ſigillatim, & ſeorſim à nobis explicandæ ſunt,

Prima proprietas ſubſtantiæ eſt non eſſe in ſubiecto, quæ proprietas intelligenda eſt de non eſſe in alio tanquàm in ſubiecto inhæſionis, nam hic modus eſſendi in alio, ſolùm conuenit accidentibus; at verò eſſe in alio tanquam in ſubiecto informationis, etiam poteſt conuenire ſubſtantiæ ſaltem partiali, qualiter forma ſubſtantialis eſt in materia prima informando illam; non tamen illi inhæret ſicut accidentia inhærent ſubiecto.

Secunda proprietas ſubſtantiæ eſt vniuocè prædicari, quæ proprietas, vt dicebam in explicatione textus, potiùs conuenit ſecundis ſubſtantijs, quàm primis: nam primæ ſubſtantiæ, vt Ariſtot. docuit, de nullo prædicantur prædicatione formali, ſed identica tantùm, vt Petrus prædicatur de ſe ipſo.

Sed tunc dubitari poteſt, nam etiam accidentia prædicantur vniuocè, nam ratio albi vniuocè conuenit Petro, & Paulo. Reſpondetur, tantùm Ariſtot. intelligendum eſſe de prædicatione vniuoca eſſentiali, qualiter ſecundæ ſubſtantiæ, vt homo, & animal prædicantur de primis vniuocè eſſentialiter, accidentia autem, quamuis prædicentur eſſentia-

Digitized by Google

ſentialiter vniuocè de ſuis inferioribus, vt albedo de hac, & illa albedine, tamen non prædicantur vniuocè eſſentialiter de primis ſubſtantijs, ſed ſolum accidentaliter, & ita hæc proprietas hoc modo intellecta ſolùm conuenit ſecundis ſubſtantijs.

Tertia proprietas eſt ſignificare hoc aliquid, contra quam obijci poteſt, nam ſignificare hoc aliquid, eſt ſignificare rem ſingularem, nam hoc denotat illa particula, *Hoc aliquid*, ſed etiam accidentia ſingularia, vt hæc albedo, ſignificant rem ſingularem: ergo hoc non eſt proprium ſolius ſubſtantiæ.

Reſpondetur Ariſt. per hoc aliquid non intelligere quamlibet rem ſingularem, ſed rem ſingularem per ſe exiſtentem; nam cum, vt ipſe docuit 7. Metaph. accidentia ſint entis ens, non ſignificant rem ſingularem per ſe exiſtentē, qualiter primæ ſubſtantiæ illam ſignificant, & ita cum ſecundæ ſubſtantiæ ſint vniuerſales, non conuenit illis hæc proprietas, ſcilicet ſignificare: *Hoc aliquid*, quia non ſignificant rem ſingularem, & ita ſtatim dixit Ariſt. quòd ſecundæ ſubſtantiæ potiùs videntur ſignificare quale quid, vbi non loquitur propriè de quale quid, alias cum ſecundæ ſubſtantiæ ſint genera & ſpecies, prædicarentur in quale quid, ſed loquitur de quale quid largo modo ſumpto, prout idem ſignificat, quòd eſſentialiter, quaſi diceret ſecundam ſubſtantiam eſſentialiter prædicari de primis.

Quarta proprietas eſt non habere contrarium, cuius rationem reddit Ariſt. quia propriè cōtraria ſunt, quæ ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, vt calor, & frigus, ſed ſubſtantia non eſt in ſubiecto, quia eſt ens per ſe: ergo propriè non habet contrarium.

Sed obijci poteſt cōtra hanc proprietatem, quod elementa ſunt ſubſtantia, vt aqua & ignis: ſed hæc elementa ſunt contraria, ergo ſubſtantiæ aliquid eſt contrarium. Reſpondetur, quod elementa, vt aqua, & ignis non contrariantur ratione ſui, ſed ratione qualitatū, quas habent, ſcilicet aqua habet frigiditatē, ignis verò habet calorem, & ita non probatur, quòd ſubſtantiæ ratione ſui aliquid ſit contrarium, ſed ratione accidentium, quæ ſunt in illa.

Sed inſtabis, nam forma ſubſtantialis, & priuatio illius formæ opponuntur ratione ſui; ergo iam ſubſtantiæ, etiam ratione ſui aliquid eſt contrarium. Reſpondetur, quod forma, & priuatio formæ non ſunt contraria, ſed opponuntur priuatiue: nam contraria debent eſſe poſitiua extrema, vt album, & nigrum, & ita forma, & priuatio formæ ſolùm opponuntur priuatiuè, quia priuatio non eſt extremum poſitiuum.

Quinta proprietas ſubſtantię eſt, non ſuſcipere magis,& minus. Pro cuius intelligentia aduertendũ eſt, quòd ſuſcipere magis & minus, eſt proprium rei habentis partes, & ita ſicut habere partes ſtat dupliciter, ita & ſuſcipere magis, & minus; nam alia ſunt, quæ habent partes integrantes, vt quantitas componitur ex ſuis partibus, & fortaſſe ſubſtantia hoc modo ſuſcipit magis, & minus, quia ſatis probabile eſt, ſubſtantiam ex ſe, & ſecluſa omni quantitate, habere partes integrantes ſecundum quas quodammodo poſſit dici maior, vel minor, de quo ſuo loco dicemus; alia verò ſunt, quæ habent partes ſecundum intenſionem, quæ appellantur partes graduales, qua ratione calor habet plures gradus, ſecundum quos ſuſcipit magis, vel minus intenſus, & hoc modo nempe ſecundum intenſionem, negat Ariſt. ſubſtantiam ſuſcipere magis, & minus, vt indicat eius ratio, ſcilicet quia vnus homo non eſt magis homo, quam alius intenſiuè.

Sed contra obijci poteſt, nam ex Ariſt. primæ ſubſtantiæ ſunt magis ſubſtantiæ quam ſecundæ; iam ergo ſubſtantia ſuſcipit magis, & minus. Reſpondetur, primam ſubſtantiam appellari magis ſubſtantiam in ratione ſubſtandi, quia vt in litera explicuimus primæ ſubſtantiæ pluribus ſubſtant quam ſecundæ, nam ſubſtant accidentibus, & ipſis ſecundis ſubſtantijs: tamen res ipſa, quæ ſubſtat, non eſt vna magis ſubſtantia, quam alia, quia vnus homo non eſt magis homo, quam alius.

Vltima proprietas ſubſtantiæ eſt, quòd eadem numero manens ſit ſuſceptiua accidentium contrariorum. Cuius ratio eſt, quia ſubſtentare accidentia proprium eſt rei per ſe exiſtentis, ſed ſola ſubſtantia eſt per ſe: ergo ſola illa ſubſtentat accidentia, & ita quamuis quantitas etiam recipiat accidentia contraria, vt albedinem, & nigredinem, tamen non ſubſtentat illa, vt quod, quia nõ exiſtit per ſe, ſed vt quo, quia aliqua accidentia inhærent ſubſtantiæ mediante illa, & ita ſola ſubſtantia eſt, quæ vt quod ſubſtentat accidentia.

Et ſi obijcias: nam quantitas per ſe exiſtit in Sacramento altaris, & ibi per ſe exiſtens ſubſtentat accidentia; ergo hoc non eſt proprium ſubſtantiæ. Reſpondeo, quod ibi quantitas per miraculum ſubſtentat accidentia, vt quod: at verò naturaliter, & ex ſua natura, non ſubſtentat ea: nam hoc modo ſubſtentare accidentia eſt propriũ ſubſtantiæ, quod nulli alteri conuenire poteſt, atque adeò eſt proprietas quarto modo.

Et ſi inquiras, vtrum alię proprietates ſint proprietates quarto modo. Reſpondeo, quartam proprietatem, ſcilicet non habere contrariũ, non eſſe proprietatem ſubſtantiæ quarto modo; nam inter accidentia, ali-

aliqua ſunt non habentia contrarium, vt lumen & intellectus, qui qualitas quædam eſt. Similiter quinta proprietas, ſcilicet non ſuſcipere magis, & minus per intenſionem etiam conuenit accidentibus: nam quantitas, v. g. non ſuſcipit intenſionem, aut remiſſionem. Aliæ verò proprietates eodem modo quo à nobis explicatæ ſunt, ſunt proprietates quarto modo, vt diſcurrenti per ſingulas patebit.

QVÆSTIO III.

Qualis ſit diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.

HActenus egimus de ſubſtantia in communi, explicantes naturam, & proprietates eius; nunc verò in particulari de prima, & ſecunda ſubſtantia agendum reſtat. In præſenti ergo quæſtione. Prima ſententia affirmat hanc diuiſionem eſſe ſubiecti in accidentia, vt ſi dicamus: Corpus aliud album, aliud nigrum. Sic tenet Canter. in hoc c. Cuius ſententię fundamentum eſt, quia ſecundæ ſubſtantiæ, cum ſint ſubſtantiæ vniuerſales, inuoluunt ſecundã intentionem vniuerſalis: ſed ſubſtantiæ accidentale eſt denominari à ſecunda intentione: ergo hæc diuiſio eſt ſubiecti in accidentia. Secundò, quia ſubſtantiæ in communi accidentale eſt eſſe primam, vel ſecundam: ergo hæc diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam eſt ſubiecti in accidentia.

Vera tamen ſententia à nobis tenenda eſt, hanc diuiſionem eſſe analogi in analogata; Sic tenet D. Thom. de potentia q. 9. art. 2. ad 6. Albert. Sot. Caiet. Maſius, Tolet. in hoc cap. Pro cuius ſententiæ explicatione aduertendum eſt, quod in ſubſtantia poſſunt duo conſiderari. Primò eſſe ens per ſe. Secundò ſubſtare accidentibus. Secundò aduertendum eſt, quòd quamuis diuiſum in hac diuiſione ſit ſubſtantia completa in communi, nõ tamen diuiditur ſubſtantia completa in communi, prout eſt generaliſſimum huius prædicamenti, ſcilicet prout eſt ens per ſe completum, & quid vniuocum ad ſua inferiora, ſed potius diuiditur talis ſubſtantia in ratione ſubſtandi; quod aperte colligitur: nam poſtquàm diuiſit ſubſtantiam in primam, & ſecundam, dicit primam eſſe principaliter, & maximè ſubſtantiam: ergo illam rationem ſubſtantiæ diuidit, quæ principaliter conuenit primæ ſubſtantiæ, ſecundariò autem ſecundæ; ſed eſſentia generaliſſimi, abſolutè loquendo, æqualiter debet participari ab inferioribus: ergo cum ſubſtantia prima abſolutè dicatur ab illo magis ſubſtantia, non diuidit ſubſtantiam cõpletam in communi, prout eſt generaliſſimum, & aliquid vniuocum, ſed in ratione ſubſtandi accidẽtibus.

Digitized by Google

Et ſi objicias: nam Ariſt. dicit ſecundis ſubſtantiis vniuocè prædicari de primis: ergo conſiderat ſecundas ſubſtantias, non in ratione ſubſtandi, ſed in quantum eſt ſuperior ad primam ſubſtantiam, & illam continet in confuſo. Reſpondetur negando conſequentiam, nam vtrunque verificatur de ſecunda ſubſtantia, & quòd ſit vniuerſalior quàm prima, & quod in ratione ſubſtãdi ſit minus principalis, quàm prima, tamen in præſenti diuiſione præcipuè conſiderat illam Ariſt. in ratione ſubſtandi.

Quo iacto fundamento, ſit concluſio in hac quæſtione: Hæc diuiſio ſubſtantiæ in primam, & ſecundam, eſt analogi in analogata, quam tenent autores ſuprà citati. Et ratione probatur, quia illud eſt analogum, quod conuenit vni perpriùs quàm alteri, & vni per attributionem ad aliud: ſed ſubſtantia in ratione ſubſtantiæ, qualiter hîc diuiditur, conuenit per priùs primæ ſubſtantiæ, vt docet Ariſ. nam illam appellat maximè, & principaliter ſubſtantiam, & conuenit ſecundis ſubſtantijs per attributionem ad primas, quia vt ipſe Ariſt: docet ſecundæ ſubſtantiæ ſubſtant accidentibus ratione primarum: ergo ſubſtantia in communi, prout hîc diuiditur, eſt analogi in analogata. Ex quo infero, quòd diuiſum in hac diuiſione non inuoluit aliquam ſecundam intentionem, ſed tantùm dicit naturam realem ſubſtentantem accidentia. Ratio eſt, quia hîc diuiditur ſubſtantia prout ſubſtat accidentibus, ſed hoc quid reale eſt, neque inuoluit aliquid rationis: ergo diuiſum in hac diuiſione nihil rationis inuoluit.

Sed contra diuiſionem hoc modo intellectam objici poteſt, nam diuiſum, non debet eſſe inferius ad membra diuidentia: ſed ſubſtantia in communi continetur ſub ſecunda ſubſtantia: ergo hæc diuiſio nulla eſt. Quod contineatur probo, quia ſecunda ſubſtantia eſt ſubſtantia quælibet vniuerſalis: ſed ſubſtantia, quæ eſt diuiſum in hac diuiſione, eſt ſubſtantia quædam vniuerſalis: ergo continetur ſub ſecunda ſubſtãtia, atq; adeò diuiſio mala eſt.

Reſpondetur, quòd diuiſum eſſentialiter debet eſſe aliquid ſuperius membris diuidentibus, tamẽ accidentaliter, & denominatiuè poteſt contineri ſub aliquo membro diuidenti, v. g. vniuerſale in communi, diuiditur in quinque prædicabilia, ſcilicet in genus, ſpeciem, &c. cum hoc tamen tale vniuerſale accidentaliter denominatur genus, quia eſt genus ad quinque prædicabilia. Sic ſimiliter ſubſtantia in communi eſſentialiter abſtrahit à prima, & ſecunda ſubſtantia, tamen accidentaliter denominatur ſecunda ſubſtantia, in quantum eſt ſubſtantia vniuerſalis.

Super-

Supereſt reſpondeamus ad fundamenta contrariæ ſententiæ. Ad primum reſpondetur, quòd hîc Ariſt. non ſumit ſecundam ſubſtantiam prout inuoluit ſecundam intentionem vniuerſalis, ſed in ratione ſubſtandi, quod quid reale eſt, quãuis huiuſmodi ſubſtantia poſſit denominari à ſecunda intentione vniuerſalis, vt ipſe Ariſtot. docuit, tamen hæ duæ conſiderationes maximè diuerſæ ſunt.

Ad ſecundũ reſpondetur, quòd vt aliqua diuiſio ſit ſubiecti in accidentia, non ſatis eſt, quòd membra diuidentia, non ſint de eſſentia diuiſi in communi conſiderati: nam etiam non eſt de eſſentia animalis eſſe hominem, vel equum, cum hoc tamen diuiſio, qua diuiditur animal in hominem, & equum, non eſt ſubiecti in accidentia: vlteriùs ergo requiritur, quòd membra diuidentia ſint accidentalia diuiſo etiam conſiderato in ſuis inferioribus, v. g. diuiſio, qua diuiditur corpus in album, & nigrum, eſt diuiſio ſubiecti in accidentia, quia non ſolum reſpectu corporis in communi eſt accidentale, quod ſit album, & nigrum, ſed etiam cuilibet corpori inferiori, vt homini, & equo, accidentale eſt eſſe album, vel nigrum: at verò quamuis ſubſtantiæ in commmuni quodammodo accidentale ſit eſſe primam, aut ſecundam; tamen ſuis inferioribus, ſcilicet ſubſtantiæ primæ, & ſecundæ, non eſt accidentale, ſed ſunt ipſæ primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ, & ita hæc diuiſio non eſt ſubiecti in accidentia.

QVÆST. IV.

An prima, & ſecunda ſubſtantia benè definiantur ab Ariſt.

PRimæ ſubſtantiæ hoc modo definiuntur ab Ariſtot. *Prima ſubſtantia eſt, quæ neque in ſubiecto aliquo eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur.* Secunda verò ſubſtantia, licèt ex profeſſo, non definiatur ab Ariſt. tamen ex textu definitio colligitur. *Secundæ ſubſtantiæ ſunt genera, & ſpecies, quæ ſunt in primis*: quæ duæ definitiones ſigillatim examinandæ ſunt.

Circa definitionem primæ ſubſtantiæ aduertendum eſt, quòd hæc nomina, *Indiuiduum, perſona, prima ſubſtantia, ſeu ſuppoſitum*, ſe habent ſicut ſuperius, & inferius: nam indiuiduum, ſeu ſingulare, quod idem eſt, non ſolùm reperitur in ſubſtantijs, ſed etiam in accidentibus; nam non ſolùm ſubſtantias appellamus ſingulares, ſed etiam accidentia ipſa: ſuppoſitum verò, ſeu prima ſubſtantia, quod idem eſt, ſignificat non quamlibet rem ſingularem, ſed rem ſingularem ſubſtantialem: & quia prima ſubſtantia ſubſtat accidentibus, ideò appellatur etiam ſuppoſi-

poſitum, quia ponitur ſub accidentibus: perſona verò ſignificat non quamlibet ſubſtantiam ſingularem, ſed ſubſtantiam rationalem, vt Petrum: nam bruta non appellamus perſonas.

Quo ſuppoſito, ferè communis ſententia aſſerit, quòd definitum in definitione ſubſtantiæ primæ eſt ſecunda intentio, quę denominat primam ſubſtantiam ſingularem; & indiuiduum ad eum modum, quo ſuprà cap. de ſpecie dicebamus, indiuiduum denominari tale à quadam ſecunda intentione indiuidui. Cuius ſententię fundamentum eſſe poteſt, quia hæc definitio datur per terminos ſecundæ intentionis, ſcilicet per prædicari, quia dicitur; quæ nec de ſubiecto aliquo dicitur.

Dicendum tamen nobis eſt cum Caiet. in hoc cap. hic non definiri aliquam ſecundam intentionem, ſed aliquid reale, ſcilicet primam ſubſtantiam: nam vt optimè notauit Caiet. prima ſubſtantia non eſt nomen ſecundæ intentionis, quia ſignificat id, quod ſubſtat accidentibus, quod quid reale eſt: non ergo hic definitur aliqua ſecunda intentio.

Secundò, quia ante illa verba, *Quæ neq; in ſubiecto eſt neque de ſubiecto aliquo dicitur*, dixerat Ariſt. primam ſubſtantiam eſſe maximè, & principaliter ſubſtantiam; ſic enim ait; *Subſtantia, quæ propriè principaliter, & maximè dicitur, eſt, quæ nec in ſubiecto aliquo eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur*: ergo illam ſubſtantiam definit, cui conuenit eſſe maximè, & principaliter ſubſtantiam; ſed eſſe maximè, & principaliter ſubſtantiam, non conuenit ſecundæ intentioni, ſed ſubſtantiæ ſingulari reali, quia hæc eſt, quæ primò, & maximè ſubſtat accidentibus: ergo non definitur hic aliqua ſecunda intentio, ſed ſubſtantia realis, quę eſt prima ſubſtantia.

Tertiò, quia in prædicamentis diſputat Ariſt. de naturis realibus, quæ ponuntur in prædicamento, vt de ſubſtantia, quantitate, &c. ergo non eſt dicendum, quòd definiat aliquam ſecundam intentionem rationis.

Eſt tamen aduertendum, quod hęc prima ſubſtantia non eſt aliquid analogum, quia prima ſubſtantia non ſignificat aliquem conceptum, abſtractum tantum à differentijs indiuidualibus, quibus nihil datur commune vniuocum, ſed analogum, vt ſuprà viſum eſt, ſed ſignificat aliquid commune rebus ipſis, quæ conſtituuntur per differentias indiuiduales ſubſtantiales; quæ appellantur primæ ſubſtantiæ, quæ vniuocè conueniunt in hoc, quod eſt primò ſubſtare.

Sed contra hanc definitionem ſic explicatam aliqua obijci poſſunt.

Primò

Digitized by Google

Primò, quia vel hîc definitur aliquid ſingulare vel aliquid commune: nõ aliquid ſingulare, quia de ſingularibus ſicuti non eſt ſcientia, ita neque definitio, cum definitio ſit inſtrumentum ſcientificum, ſi autem definitur aliquid commune: ergo prædicatur de pluribus, quia omne vniuerſale de pluribus prædicatur: malè ergo dicitur, cum dicitur in definitione, ꝙ prima ſubſtãtia non prædicatur de ſubiecto aliquo.

Et confirmatur, quia Ariſt. poſuit exemplum, dicens, *Vt quidam homo*; ſed quidam homo prædicatur de pluribus in his prædicationibus: Petrus eſt quidam homo: Paulus eſt quidam homo: ergo non benè dicitur, quòd prima ſubſtantia de nullo prædicatur.

Secundò, quia hæc definitio datur per meras negationes ſcilicet quæ neq; in ſubiecto aliquo eſt, neque de ſubiecto aliquo dicitur: negationes autem non explicant, quid res ſit, ſed quid non ſit: ergo non benè definitur per negationes.

Tertiò, quoniam partes ſubſtantiæ, vt caput, neq; ſunt in ſubiecto, neque dicuntur de ſubiecto, quia non ſunt in homine, tanquam in ſubiecto, ſed tanquàm in toto, vt ſuprà diximus: & tamen partes ſubſtantiæ, non ſunt primæ ſubſtantiæ, ſed partes eius: ergo definitio conuenit alijs à definito. Plura alia argumenta contra hanc definitionem obijci poſſent, quæ ſiam ſunt à nobis ſoluta, dum ageremus de definitione indiuiduali ſuprà c. de ſpecie: legantur ibi dicta.

Vnde ad primum reſpondetur, quod hic definitur prima ſubſtantia in communi, prout comprehendit omnes primas ſubſtantias in ſingulari, qua ratione ſaltem accidentaliter, & denominatiuè eſt vniuerſalis, & ſpecies; & ita verum eſt, quòd prædicatur de pluribus primis ſubſtantijs in ſingulari conſideratis in his prædicationibus: Petrus eſt prima ſubſtantia: Paulus eſt prima ſubſtantia: tamen quando Ariſt. ait primam ſubſtantiam de nullo prædicari, ſenſus eſt, quod illa contracta in ſingularibus de nullo prædicatur, qua ratione explicuimus ſuprà definitionem induidui, & explicabamus hoc exemplo; nam quando definitur homo in communi, quòd ſit animal aptum ad ridendum, non eſt ſenſus, quòd homo, prout in communi, poſſit ridere, quia actiones ſunt ſuppoſitorum ex Ariſtotel. ſed ſenſus eſt, hominem contractum in ſingularibus eſſe animal aptum ad ridendum.

Ad confirmationem reſpondetur quæſt. 1. huius cap. quòd Ariſt. per particulam, *Quidam homo*, non intelligit indiuiduum vagum propriè ſumptum, ſed quidam homo, prout idem ſignificat, quod Petrus, aut Paulus determinatè: ſic etiam expli-

explicat Maſius hic quæſtione 2.ſe-ctio. 2.

Ad ſecundum reſpondet optimè Amonius, quem plures ſequuntur, quòd negatio non ſolùm explicat, quid res non ſit, ſed aliquando per negationes explicatur aliqua excellentia rei, ita quòd illæ negationes æquipolleant vni affirmationi explicanti rei excellentiam: qua ratione dicimus, Deum neque eſſe corporeum, neque Angelum, per quod explicamus eſſe ſupra omnia entia creata: & Ariſt. etiam definit materiam primam per negationes, dicens, quod neq; eſt quid, nec quantum, neque aliquid aliorum generum. Ita ſimiliter Ariſt. definit primam ſubſtantiam per negationes non eſſendi in ſubiecto, neque prædicandi de ſubiecto, ad explicandũ eſſe id, quod omnibus primò ſubſtat, ita vt illæ duæ negationes æquipolleant huic affirmationi.

Ad tertium, quod partes ſubſtantiæ, quamuis non ſint in ſubiecto, ſaltem materia prima, nec dicantur de ſubiecto, nõ comprehenduntur in hac definitione, quia nõ ſunt ſubſtantiæ completæ; & ita non ſunt primæ ſubſtantiæ, ſed partes eius: Ariſt. autem loquitur de ſubſtantia prima completa, nam dicit illam eſſe propriè, & principaliter ſubſtantiam.

Tandem reſpondetur ad fundamentũ eorum, qui aſſerunt hic definiri ſecundam intentionem, quod hæc definitio non datur per terminos ſecundæ intentionis affirmatiuè, ſicut genus, & alia prædicabilia definiuntur affirmatiuè per prædicari, qui eſt terminus ſecundæ intentionis, ſed potius datur per negationem termini ſecundæ intentionis per non prædicari de aliquo; & ita non probatur definiri ſecundam intentionem, quia non affirmatur hic de prima ſubſtantia aliquis terminus ſecundæ intentionis, ſed potius negatur.

Circa definitionem autem ſecundæ ſubſtantiæ etiam plures exiſtimant in ea definiri ſecundam intentionem generis, vel ſpeciei: & fundamentum eſt, quia talis definitio datur per terminos ſecundæ intentionis, & affirmatiuè, quia ſic dicitur: Secundæ ſubſtantiæ ſunt genera, & ſpecies, quæ ſunt in primis ſubſtantijs; ſed genus & ſpecies ſunt termini ſecundæ intentionis: ergo hic definitur aliqua ſecunda intentio.

Dicendum tamen eſt, neque hac definitione definiri aliquam ſecundam intentionẽ, ſed tantùm ipſam naturam realem, quæ eſt ſecunda ſubſtantia, ita quòd quamuis vniuerſalitas illa, à qua ſecunda ſubſtantia denominatur vniuerſalis, ſit aliquid rationis: tamen natura realis vniuerſalis, quæ appellatur ſecunda ſubſtantia, aliquid reale eſt, & hoc

eſt,

eſt, quod definitur. Ratio eſt, quia Ariſt. dicit ſecundas ſubſtantias eſſe in primis, id eſt, eſſentialiter includi in primis, vt animal, & homo ſunt de conceptu Petri: dicit etiam, ſecundas ſubſtantias ſubſtare accidẽtibus, quamuis ſecundariò, & ratione primarum, ſed includi in conceptu eſſentiali primæ ſubſtantiæ, & ſubſtare accidentibus, quid reale eſt: ergo definit naturam realem, non verò ſecundam intentionem.

Quare ad fundamentum contrariæ ſententiæ facilè reſpondetur, ꝙ ibi genera, & ſpecies non ſumuntur formaliter, ſed materialiter pro naturis denominatis, ita vt ſit ſenſus: Secundæ ſubſtantiæ ſunt naturæ genericæ, & ſpecificæ, quæ includuntur in primis; & ita genera, & ſpecies quæ ſunt naturæ accidentales, vt albedo, & color, non dicuntur ſecundæ ſubſtantiæ, quia non ſunt de conceptu eſſentiali primæ ſubſtantiæ, v.g. Petri, & Pauli; & ita ſecundæ ſubſtantiæ debent eſſe prædicata ſubſtantialia.

QVÆST. V.

Quæ ſint illa, quæ ponuntur in hoc prædicamento.

HÆc quæſtio per dubia aliqua breuiter, & facilè abſoluenda eſt. In primis tamen ſupponendum eſt, ſubſtantiam incompletam, vt materiam, & formam non poni directè in prædicamento, ſed reductiuè tantũ in ſpecie illius totius, quod componunt; quia entia incompleta (vt ſuprà vidimus) non ponuntur directè in prædicamento: & eadem eſt ratio de differentijs ſubſtantialibus, & abſtractis ſubſtantialibus, vt cap. præcedenti oſtenſum eſt. Et certum eſt in hac quæſtione, ſolas ſubſtantias completas directè poni in prædicamento, & non quaſcunque, ſed finitas: nam Deus, qui eſt ſubſtantia infinita, non ponitur in hoc prædicamento, vt etiam ibi oſtendimus. Solum ergo eſt dubium, vtrum omnis ſubſtantia finita, & completa ponatur in hoc prædicamento.

Primò dubitatur de Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, an ponantur in prædicamento: nam partem negatiuam ſequuntur omnes expoſitores veteres Ariſt. Auerr. 1. de cœlo, tex. 49. Simplic. Boëtius in hoc cap. Et probant ſuam ſententiam ex Ariſt. 10. Metaph. cap. vlt. vbi dicit, quòd corruptibile, & incorruptibile differunt genere; ſed in hoc prædicamento ponuntur ſubſtantiæ corruptibiles, vt homo, & equus: ergo ſubſtãtiæ incorruptibiles, quales ſunt Angeli, non poſſunt poni in eodem prædicamento, & genere. Et 9. Metaph. text. 17. ait, quod incorruptibilia non habent potentiã; ſed omne, quod ponitur in prædicamẽto, debet habere potentiã: nam ſi eſt

genus, dicit potentiam ad differentias, ſi verò eſt ſpecies, aut indiuiduum, componitur ex genere, & differentia: ergo cum genus dicat potentiam, omnia, quæ ponuntur in prædicamento debent dicere potentiam: ergo Angeli non ponuntur in prædicamento.

Verumtamen cōmunis ſententia eſt iam ab authoribus recepta, Angelos directè poni in prædicamento. Hoc tenet D. Thom. 1. q. 50. art. 2. ad 1. Gregor. in 1. d. 8. q. 3. & in hoc cap. Sotus, Tolet. & Maſius. Et ratio eſt, quia ſubſtantiæ ſpirituales vt Angeli, verè, & propriè ſunt ſubſtantiæ, & ſunt entia completa: ergo directè ponuntur in prędicamento hoc: neque eſt cur ab illo eijciantur, cum perfectè participent rationem ſubſtantiæ in communi.

Vnde ad loca ex Ariſt. adducta facilè reſpondetur. Ad primū, quod Ariſt. quando dicit, corruptibile, & incorruptibile differre genere, non loquitur de genere logico, ita vt differant prædicamento, ſed apertè loquitur de genere phyſico, quod ipſe ibi appellat materiam, quia genus phyſicum aſſimilatur materiæ, vt ſuprà diximus, quaſi diceret, quod corruptibile, & incorruptibile differunt in materia, nō quidem, quia incorruptibile nō poſſit habere materiam, quia corpora cœleſtia incorruptibilia ſunt, & tamen cōponuntur ex materia, & forma, ſed quia materia rei incorruptibilis eſt diuerſæ rationis à materia rei corruptibilis, vt ſuo loco dicetur.

Secundò dubitari poteſt de Chriſto Domino, vtrum ponatur in hoc prædicamento. In qua re dicendum eſt cum S. Thom. 1. p. q. 2. art. 5. quod quamuis Chriſtus, inquantum Deus, non ponatur in prædicamento (quia Deus non ponitur in hoc prędicamento) tamen Chriſtus, inquātum homo, directè ponitur in hoc prædicamento. Ratio eſt, quia Chriſtus in ratione hominis vniuocè cōuenit nobiſcum, aſſumpſit enim Verbum humanitatē noſtræ ſpeciei: ſed alij homines ponuntur in hoc prædicamento: ergo Chriſtus inquantum homo.

Tertiò dubitari poteſt de corporibus cœleſtibus, an ponantur in prædicamento iſto. Partem negatiuam tenet Auerr. 10. Metaph. c. vlt. & fundamentum eſſe poteſt, quia Ariſtot. in hoc cap. enumerans proprietates ſubſtantiæ, ait, proprium eſſe ſubſtantiæ, quod ſit ſuſceptiua contrariorum; ſed corpora cœleſtia non poſſunt recipere contrarias qualitates, quia incorruptibilia ſunt, vt latius dicemus 1. lib. de cœlo: ergo corpora cœleſtia nō ponuntur in hoc prædicamento, ſiquidem nō participant paſſionem ſubſtantiæ ponibilis in hoc prædicamento.

Con-

Digitized by Google

Contraria tamen ſententia communis eſt inter expoſitores, ſcilicet corpora cœleſtia directè poni in hoc prædicamento: ratio enim id manifeſtè oſtendit, quia corpora cœleſtia verè, & propriè ſunt ſubſtantia, & ſunt entia finita, & completa: nihil ergo illis deficit, vt directè ponantur in hoc prædicamento.

Neque argumentum Auerr. aliquid conuincit, quia quamuis corpora cœleſtia non poſſint recipere illa accidentia contraria, quæ ſunt qualitates corruptiuæ, vt calorem, & frigus, quia cauſant corruptionem: alia tamen accidentia contraria recipiunt; nam pars cœli, quæ modò eſt præſens in Orienti, poſtea eſt præſens in Occidenti, & ita recipit præſentias cõtrarias. Similiter inter partes orbis cœleſtis quædam ſunt denſiores; quædam rariores: & ita recipiunt accidentia contraria. Et hæc de hoc capite.

CAPVT DE QVANTITATE.

AB hoc capite agit Ariſt. de prædicamentis accidentium: duo agit in hoc capite: in prima parte adducit duas diuiſiones quantitatis: in ſecunda adducit tres proprietates illius. Ad primam accedens, prima diuiſio eſt. Quantum aliud continuum, aliud diſcretum: quantum continuum, inquit Ariſtot. eſt illud, cuius partes copulantur termino communi: qua ratione partes lineæ copulãtur punctis, quæ puncta, cum ſint inter duas illas partes, quas continuant, appellantur terminus communis illarum partium: & eadem ratione partes ſuperficiei continuantur lineis, & partes corporis ſolidi continuantur ſuperficiebus intermedijs. Quãtum verò diſcretum, inquit Ariſtot. illud eſt, cuius partes non copulantur termino communi, cuius ſunt duæ ſpecies, numerus ſcilicet, & oratio: nam partes numeri, quæ ſunt vnitates, non terminantur aliquo termino communi, qualiter tres lapides, qui numerum ternarium efficiunt, nullo termino copulantur: & eadem ratione oratio eſt quantitas diſcreta, quia eius partes, ſcilicet ſyllabæ, inquit Ariſtot. nullo termino communi copulantur. Quod autem oratio ſit quantitas, probat, quia oratio menſuratur ſyllaba longa, & breui, ſed longum, & breue ſunt paſſiones quantitatis: ergo oratio eſt quantitas.

Adducit deinde ſpecies quantitatis cõtinuæ, dicens, quod ſunt quinque

que, ſcilicet linea, ſuperficies, corpus, tempus, & locus. Linea eſt quantitas diuiſibilis ſolùm ſecundum longitudinem, ſuperficies ſolùm ſecundum latitudinem, & longitudinem, corpus verò ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Quòd verò hæc omnia ſint quãta continua, probatur, quia partes lineæ copulantur aliquo termino communi ſcilicet puncto, & partes ſuperficiei copulantur lineis, partes verò corporis copulantur ſuperficiebus, & partes temporis, quæ ſunt, præſens, præteritum, & futurum copulantur inſtanti, nam inſtans, quod eſt finis temporis præteriti eſt principium temporis præſentis, & quod eſt finis temporis presentis, eſt principiũ temporis futuri.

Quod verò etiam locus ſit quantitas continua probat, quia locus debet correſpondere locato: ſed tantùm partes corporis locati copulantur termino communi: ergo & partes loci: ergo locus eſt quantum cõtinuum.

Secunda diuiſio quantitatis eſt. Quantum aliud conſtat partibus habentibus poſitionem in continuo, aliud verò conſtat partibus non habentibus poſitionem in cõtinuo. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt, quod partes habere poſitionem in continuo, nihil aliud eſt, quàm quod partes habeant inter ſe diſpoſitionem, & ſitum, qua ratione manus eſt in brachio, & habet certum ordinem ſitus, & ita numerus, oratio, & tempus nõ habent poſitionem in continuo: nam partes numeri non habent certum ordinem in loco, oratio verò, & tempus cum ſint durationes per ſe non habent certas diſpoſitiones in ordine ad ſitum, nam tempus, & quæuis alia duratio non ſumitur in ordine ad ſitum. Aliæ verò quatuor ſpecies quantitatis, ſcilicet linea, ſuperficies, corpus, & locus conſtant partibus habentibus poſitionem in continuo; nam partes illorum habent certam commenſurationem, & diſpoſitionem in ordine ad ſitum. Concludit autem Ariſt. primam partem dicens, quòd illæ ſpecies ab ipſo connumeratæ ſunt quanta per ſe, reliqua verò quanta per accidens, qualiter motus, & oratio appellatur longa, aut breuis, quia menſuratur tempore longo, aut breui.

In ſecunda verò parte capitis adducit tres proprietates quantitatis. Prima proprietas eſt, quòd quantitati nihil ſit contrarium. Sed objicit ſibi Ariſtot. nam magnum, & paruum, multum, & paucũ ſunt quãtitates, & tamen ſunt inter ſe contraria, ergo. Reſpondet, quòd iſta non ſunt quantitates, ſed relatiua, atque adeò non ſunt propriè contraria, nam magnum dicitur tale in ordine ad paruum, & è contra, & ita

Digitized by Google

ita potiùs ſunt relatiua, & idem dicendum eſt de loco ſurſum, & deorſum, quamuis Ariſt. hanc obiectionem poſuerit, & nihil reſponderit; nam etiam ſurſum, & deorſum quodammodò ſunt relatiua, cum ſurſum tale dicatur, reſpectu deorſum.

Secunda proprietas quantitatis eſt non ſuſcipere magis, & minùs, quòd intelligendum eſt ſecundum intenſionem, qua ratione vnus bicubitus, nõ eſt magis bicubitus, quã alter: ſecundum extenſionem autem certum eſt quantitatem ſuſcipere magis, & minus, qua ratione vnum corpus eſt maius alio. Tertia proprietas quantitatis eſt, quòd per eam dicamur æquales, vel inæquales.

Circa literam.

Circa literam huius capitis in primis dubitant expoſitores. Vtrùm meritò Ariſtot. agat de quãtitate poſt ſubſtantiam. In qua re communis ſententia eſt meritò Ariſtotel. egiſſe de quantitate poſt ſubſtantiam, ad quod probandum plures rationes afferunt, quarum præcipuæ ſunt iſtæ. Prima eſt Amonij, nam quantitas maximam habet ſimilitudinem cum ſubſtantia, nam ſicut ſubſtantia ſubſtat accidentibus, ſic etiam quantitas ſubſtat pluribus accidentibus, ſaltem, vt quo, quia eſt ratio, quare multa accidẽtia inhæreant ſubſtantiæ, imò in Sacramento altaris, & per miraculum ſubſtat illis, vt quod, ſicut ſubſtantia. Præterea, ſicut ſubſtantia non habet contrarium, ita nec quantitas, & ſicut ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus ſecundum intenſionem, ita quantitas non ſuſcipit magis, & minus, vt explicatum eſt in litera huius capitis. Præterea: nam ſicut ſubſtantia eadem numero manens recipit accidentia contraria, ita, & quantitas, ſaltem, vt quo: nam quantitas modo eſt alba, modo nigra; propter hanc ergo ſimilitudinem, quam habet cum ſubſtantia, egit Ariſtot. de quantitate poſt ſubſtantiam.

Secunda ratio, quam refert Boëtius, nam quantitas immediatiùs afficit ſubſtantiam, quàm ferè omnia alia accidentia: inhærent enim ſubſtantiæ media quantitate, vt albedo, figura, & ſimilia.

Sed contrà hanc rationem objiciunt aliqui; nam plura ſunt accidentia, quæ inhærent ſubſtantiæ, & nõ media quantitate, qualiter accidentia ſpiritualia, vt intellectus, & voluntas inhærent in anima, & nulla media quantitate, quia cum ſpiritualia ſint, ſunt independentia ab ab omni quantitate. Præterea, nam adhùc in accidentibus corporalibus, relatio poteſt inhęrere ſubſtantiæ, nulla media quantitate. Et probatur ſic, quia prius ratione, quàm intel-

intelligamus aliquam ſubſtantiam habere quantitatem, eſt verum dicere de illa, quòd eſt eadem, vel diuerſa ab alia ſubſtantia; ergo habet relationem diuerſitatis, vel identitatis: ergo relatio aliqua poteſt fundari in ſubſtantia nulla media quantitate. Reſpondetur verum eſſe, vt argumentum probat, aliqua accidentia inhærere in ſubſtantia nulla media quantitate, tamen ſatis eſt, quòd abſolutè, & à toto genere ferè omnia accidentia corporea inhæreant ſubſtantiæ mediante illa, vt poſt ſubſtantiam agatur priùs de quantitate, quàm de alijs accidentibus.

Hoc ſuppoſito, vt in hoc capite clara methodo procedamus, tria à nobis diſputanda ſunt: Primò, de quantitate in communi explicantes eius eſſentiam, & proprietates. Secundò, de ſpeciebus quantitatis continuæ. Tandem tertiò, de ſpeciebus quantitatis diſcretæ.

DISPVT. I.

De natura, & proprietatibus quantitatis,

QVÆST. I.

Quæ ſit eſſentia quantitatis.

PRo cuius intelligentia notandum eſt, quòd quantitas duplex eſt; alia appellatur quantitas perfectionis, quæ attenditur ſecundum perfectionem cuiuſcunque rei, & ita cuiuslibet rei perfectio dicetur quãtitas illius rei: in quo ſenſu Auguſtin. 6. de Trinitate, capit. 9. ait: *In his, quæ non mole magna ſunt, idem eſt maius, quod perfectius.* Alia eſt quantitas molis, quam alij appellant dimenſiuam, & hæc quantitas eſt ſenſibilis, & tangibilis.

Certum ergo eſt in hac quæſtione, quòd quantitas perfectionis non eſt generaliſſimum huius prædicamenti, eo quod diuagatur per omnia prædicamenta, nam cum in quolibet prædicamento reperiatur ſua perfectio eſſentialis, ita etiam reperitur quantitas perfectionis, & ita ſola quantitas molis eſt generaliſſimum huius prædicamenti: huiuſmodi autem quantitas ſic definitur ab Ariſt. 5. Met. ſcilicet: *Quantum eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt, quorum vtrumque, vnumquodque aptum eſt eſſe*; id eſt, quantum eſt diuiſibile in partes, quas in ſe habet, quarum partium quælibet eſt apta, vt poſt diuiſionem ſit vnum totum: per illam particulam: *Diuiſibile* differt quantum à puncto, nam punctum eſt quędam entitas prorſus indiuiſibilis, continuans, vel terminans partes, quantitatis. Per illam verò particulam: *In ea, quæ inſunt*, excluduntur mixta, vt ait S. Th. loco citato, quia mixta dicuntur; diuidi in elementa, quæ non ſunt in illis formaliter, ſed ſolùm eminenter, vt

ſuo

Digitized by Google

ſuo loco dicetur; at verò quantum eſt diuiſibile in partes, quas actu, & formaliter habet in ſe. Per illam verò particulam: *Quorum vtrumque vnumquodque aptum eſt eſſe*; excluditur compoſitum ſubſtãtiale, nam quamuis ſit diuiſibile in ſuas partes eſſentiales, nempè in materiam, & formam, non tamen, quælibet pars ex his, eſt apta, vt ſit ens completũ, & perfectum, quod tamen habent partes quantitatis poſt diuiſionem.

Secundò aduertendum eſt, quod in quantitate multa cõſiderari poſſunt, de quibus poteſt dubitari, an ſint eſſentia quantitatis: nam primò in quantitate reperitur extenſio partium, ſeu habere partem extra partem. Secundò reperitur, eſſe diuiſibilem in illas. Tertio eſſe finitam, vel infinitam quantitatem. Quartò eſſe æqualem, vel inæqualem cum altera. Quintò, eſſe menſurabilem ab alia quantitate, vel eſſe menſuratiuam alterius quantitatis.

Certum eſt eſſe finitam, vel infinitam, æqualem, vel inequalem non eſſe eſſentiam quantitatis. Primò, nam Ariſt. 1. Phyſic. text. 15. dicit finitum, vel infinitum ſunt paſſiones quantitatis, vt de ęquali, vel inęquali docet in hoc capite, eſſe paſſiones quantitatis. Et ratio eſt, quia quantitatem aliquam eſſe finitam, vel infinitam, æqualem, vel inæqualẽ ſupponit habere partes ſecundum quas dicatur finita, vel infinita, æqualis, vel inæqualis alteri: ergo neutrum horum eſt eſſentia quantitatis. Patet conſequentia, nam eſſe rei eſt illud, quo primo conſtituitur res.

Quo ſuppoſito autores in varias ſententias ſunt diſtracti, quibuſdam aſſerentibus, eſſentiam quantitatis eſſe, quod ſit menſura. Quæ tamen ſententia falſa eſt: nam eſſe menſuram, aut menſurabilem, ſupponit quantitatem, quæ menſurare, aut menſurari poſſet. Secundò, quia ratio menſuræ, aut menſurabilis, dicit relationem pertinentem ad prædicamentum relationis: ergo non eſt eſſentia quantitatis, quia quantitas accidens abſolutum eſt.

Quare alij aſſerunt, quod diuiſibilitas in partes, ſit eſſentia quantitatis, non verò habere partes. Quam ſententiam tenet Capreol. in 2. diſt. 3. Iauellus 5. Metaph. quæſt. 20. Soncin. quæſt. 21. Scot. in prædic. quæſt. 17. Et probari poteſt, quia illud eſt eſſentia rei, quod explicatur per eius definitionem: ſed Ariſt. loco allegato definit quantum per diuiſibilitatem dicens, Quantum eſt diuiſibile, &c. ergo diuiſibilitas eſt eſſentia quantitatis.

Secundò probatur, quod habere partes non poſſit eſſe eſſentia quantitatis, quoniam habere partes etiam conuenit ſubſtantiæ corporeæ, nam hæc componitur ex materia, & forma, tanquam ex partibus; imò, & qualitas etiam habet partes, nam

eſt diuiſibilis in ſuos gradus, qua ratione dicimus calorem, habere quatuor, vel ſex gradus.

Vera tamen, & communis ſententia eſt nobis tenenda, eſſentiam quantitatis eſſe habere partes, extra partes, ſeu quod idem eſt habere extenſionem. Sic tenet Sotus, Toletus, & Maſius, in hoc cap. Fonſec. 5. Metaph. cap. 13. & plures alij, neque ab hac ſententia diſcedunt, qui exiſtimant, quod diuiſibilitas pro radice, ſit eſſentia quantitatis: nam ſicut riſibile poteſt ſumi dupliciter. Primò radicaliter, & pro radice, à qua oritur potentia ridendi, & ſic eſt eſſentia hominis: ſecundò pro potentia proxima ad ridendum, & ſic eſt paſſio hominis: ita ſimiliter ſi diuiſibilitas ſumatur pro potẽtia, quaſi proxima ad diuiſionem, eſt paſſio quantitatis: ſi verò ſumatur radicaliter, idem eſt, quod extẽſio, ſeu habere partes extra partes, quæ eſt eſſentia quantitatis.

Et probari poteſt imprimis hæc ſententia ex Ariſtot. in hoc capite, vbi ex eo probat aliquod quantum eſſe continuum, vel diſcretum, quia habet partes copulatas, aut non copulatas termino communi, ſentit ergo eſſentiam quantitatis in communi eſſe habere partes.

Et ratione probatur, quia illud eſt eſſentia alicuius rei, per quod primò talis res conſtituitur; & quod primò intelligitur in illa re; ſed primum, quod intelligimus in quantitate, & ad quod omnes aliæ paſſiones ordinantur, eſt quod habeat extenſionem, & partes extra partes: ergo hæc eſt eſſentia quantitatis.

Eſt tamen aduertendum, quod extenſio partium duplex eſt, alia eſt in ordine ad locum, & eſt, quòd vna pars habeat diuerſum locum, & ſitum ab alia, alia verò eſt extenſio partium in ordine ad ſe, & eſt quod vna pars ſit diſtincta ab alia, eſſentia ergo quantitatis non eſt, quod habeat extenſionem partium in ordine ad locum, ita quod vna pars habeat diuerſum locum, & ſitum ab alia. Ratio eſt, quia Chriſtus in Sacramento altaris habet verã quantitatem, non tamen habet extenſionem in ordine ad locum; nam in qualibet minima parte hoſtiæ reperitur totus Chriſtus, & tota illius quantitas modo ſupernaturali, & ita non habet vnam partem extra aliam in ordine ad locum. Sola ergo extenſio partium in ordine ad ſe, eſt eſſentia quantitatis, id eſt, quod in ſe habeat partes diſtinctas, & quæ natura ſua (niſi per miraculum impediatur) petant diuerſum locum: extenſio vero partium in ordine ad locum, ſolũ eſt propria paſſio quantitatis, quæ per miraculum ab illa auferri poteſt, vt de facto ſit in Sacramento altaris.

Circa illud, quod dicimus, ſcilicet Chriſtum in Sacramento altaris non

Digitized by Google

nõ habere extenſionẽ partiũ in ordine ad locum, ſed in ordine ad ſe, notandum eſt, quod cum extenſio partium in ordine ad ſe, ſit de eſſentia quantitatis, nullum datur quantum, quod non habeat talem extenſionem, ſed Chriſtus in Sacramento altaris habet veram quantitatem: ergo debet habere talem extenſionem. Vnde circa primũ dico, quod extenſio partium in ordine ad ſe, nihil aliud eſt, quam quod vna pars ſit diſtincta ab alia, qualiter in homine, cum componatur ex pluribus partibus partialibus, nempè ex manibus, pedibus, & capite, diuerſa pars eſt pars capitis à parte pedis, & ab alijs partibus, ex quibus integratur totum corpus: cum autem totum corpus Chriſti ſit in Sacramento altaris; debet habere omnes iſtas partes, ex quibus ſuum corpus, quãtum ad humanitatem, integratur: ſed omnes iſtæ partes ſunt inter ſe diuerſæ ſaltem partialiter, vt dictum eſt: ergo Chriſtus in Sacramento altaris habet veram quantitatem, & veram extenſionem partium in ordine ad ſe.

Sed contra dicta ſic obijci poſſet: Sequitur ergo quod ſi Chriſtus in Euchariſtia habet extenſionem in ordine ad ſe, quod etiam habeat extenſionem in ordine ad locum, ſed hanc non habet, ergo neque extenſionem in ordine ad ſe. Maior probatur, quia diuerſæ partes, quæ eſt extenſio in ordine ad ſe, diuerſa loca occupant, quod eſt extenſio partium in ordine ad locum. Minor verò probatur, nam vt Fides docet, pars capitis non eſt in diuerſo loco, ac pars pedis, neque cæteræ aliæ partes, quia totus Chriſtus reperitur in qualibet minima parte hoſtiæ, nam totus eſt in toto, & totus in qualibet parte: ergo cum vna pars non ſit in diuerſo loco, ac aliæ partes, ſed vbi eſt vna, ſunt, & aliæ omnes, ſequitur quod non habeat extenſionem in ordine ad locum, neque in ordine ad ſe.

Reſpondetur, quod naturaliter verum eſt, quòd ſi eſt extenſio in ordine ad ſe, debeat eſſe extenſio in ordine ad locum; nam, vt argumentum probat, diuerſæ partes, diuerſa loca petunt: at tamen ſupernaturaliter benè poteſt dari extenſio in ordine ad ſe ſine extenſione in ordine ad locum, vt in Sacramento altaris de facto datur; nam omnes partes corporis Chriſti penetrantur in vno, & eodem loco. Et hinc patet ſecundum, quod inquirebat noſtra dubitatio: & non mirum eſt, quòd detur extenſio in ordine ad ſe ſine extenſione partium in ordine ad locum, cum extenſio in ordine ad locum ſit paſſio conſequens eſſentiam quantitatis: paſſio autem bene poteſt de potentia Dei abſoluta ſeparari à ſubiecto.

Dico ſecundò in hac quæſtione,

quod Ariſt. conſiderat quantitatem in hoc capite ſecundum ſuam eſſentiam, non verò in ratione menſuræ, vt quidam volunt. Ratio eſt, quia, vt dicebam ſuprà de prædicamento in communi, Logicus, & Metaphyſicus diſputant de prædicamentis, diuerſimodè tamen: nam Metaphyſicus agit de prædicamentis præcisè in ratione entis, conſiderans eorum entitates ſecundum ſe, Logicus verò agit de prædicamentis, in quantum deſeruiunt ad primam partem intellectus, ſcilicet ad dirigendam apprehenſionē intellectus, vt quālibet rem in proprio genere concipiat, ſed ad rectè apprehendendam quantitatem principaliter iuuat cognitio eſſentiæ illius: ergo agit Logicus de eſſentia quantitatis, tamen prout deſeruit ad apprehenſionem.

Secundò, quia Ariſt. probat aliquid eſſe quantum continuum, vel non, quia habet partes copulatas, aut nō copulatas termino communi: ergo conſiderat hoc, quod eſt habere partes, quæ eſt eſſentia quātitatis, & non tantum rationē menſuræ. Neque obſtat, quod Ariſtot. probauerit eſſe quantitatem, quia menſuratur ſyllaba longa, & breui, quia hæc probatio eſt à poſteriori, & per paſſionem, ſicut ſi quis probauerit hominē eſſe rationalem, quia eſt admiratiuus, tamen à priori etiam conſiderat eius eſſentiā, vt probatum eſt.

Et ſi inquiras, ſi ergo Ariſt. agit de quantitate ſecundum ſuam eſſentiam, quare non definiuit illam. Reſpondeo, cum Toleto, cauſam eſſe, quia quamuis agat de eſſentia quātitatis, non tamen ita ex profeſſo, ſed ſecundum coordinationem ſpecierum eius, enumerans ſpecies, quę in hoc prædicamento ponuntur.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur, quod definitio debet explicare eſſentiam, aut proprium aliquod rei, & ita Ariſtot. definit ibi quantitatem deſcriptiuè explicando eius paſſionem, ſcilicet diuiſibilitatem, & ita non probatur, quod diuiſibilitas ſit eſſentia quantitatis.

Ad ſecundum, quod compoſitum ſubſtantiale cōponitur ex materia, & forma, tanquam ex partibus eſſentialibus ſubſtantialibus, eſſentia verò quantitatis eſt habere partes quantitatiuas integrantes. Similiter qualitas habet partes graduales, & ſecundum intenſionem; non verò habet partes quantitatiuas, & ita hic modus habendi partes quantitatiuas ſolum conuenit quantitati.

QVÆST.

Digitized by Google

QVÆST. II.

Vtrùm ſubſtantia habeat partes ſecluſa omni quantitate.

QVæſtio hæc multùm iuuat ad rectè intelligendam eſſentiam quantitatis, vt ex dicendis patebit. Suppono autem in hac quæſt. vt apud omnes certum, ſubſtantiam ex ſe, & ſecluſa omni quantitate, habere partes eſſentiales, quæ appellantur materia, & forma, quia cum iſtæ partes ſint eſſentiales, non pendent à quantitate, quæ accidens eſt. Solùm ergo eſt dubium, vtrum ſubſtantia ex ſe, & ſecluſa omni quantitate, habeat partes integrantes, ita vt ſubſtantia capitis ſit pars ſubſtantialis diuerſa à ſubſtantia pedis, & loquimur de ſubſtantia corporea: nam certum eſt, ſubſtantias ſpirituales nullas habere partes.

In qua re prima ſententia affirmat, ſubſtantiam ſecluſa quantitate, nullas habere partes integrantes, ex quibus ſit compoſita, ſed omnem extenſionem, & diuiſibilitatem in partes, habere rationem quantitatis. Sic tenet Soncinas 5. Metaph. q. 22. & plures alij Thomiſtæ, quorum fundamentum eſſe poteſt. Primò, quia eſſe quantum, eſt effectus formalis quantitatis, ſicut album eſt effectus formalis albedinis: ergo ſicut eſſe album non poteſt prouenire niſi ab albedine, ita neque eſſe quantum, niſi à quantitate: ſed habere partes integrantes, in quas aliquid ſit diuiſibile, idem eſt, quod eſſe quantum: ergo ſubſtantia ex ſe, & ſecluſa quantitate, nullas habet partes integrantes, niſi tantùm ratione quantitatis.

Secundò, quia ſi ſubſtantia ex ſe habet partes integrantes, in quas ſit diuiſibilis, ſecluſa quantitate: ergo ratione illarum partium ſubſtantia eſſet circumſcriptiuè, & ſimiliter haberet in illis partibus figuram aliquam: conſequens autem eſt falſum, quia eſſe in loco, & habere figuram, conuenit ſubſtantiæ ratione quantitatis: ergo ſubſtantia ex ſe, & ſecluſa quantitate non componitur ex partibus integrantibus.

Contraria ſententia nobis tenenda eſt, ſcilicet ſubſtantiam ex ſe, & ſecluſa quantitate habere partes integrantes, in quas ſit diuiſibilis. Sic tenet Paulus Venetus in ſua Metaph. cap. 12. Scot. 5. Metaph. q. 9. Anton. And. q. 10. Fonſeca. 5. Metaph. c. 13. Nec diſplicet Soto in hoc c. q. 1. & 2. Tenent autem plures alij, quos refert Capreol. in 2. q. 28.

Et ratione probatur, quia quando ab aqua detrahimus aliquam partem, ſimul cum parte quantitatis, quam detrahimus, diuidimus etiam partem ſubſtantiæ: aliàs illa quantitas detracta eſſet ſine ſubſtantia, atque adeò ſine ſubiecto, quod per naturam impoſſibile eſt:

ſi ergo auferimus cum quantitate particulas aquæ: ergo in aqua, quæ erat ante diuiſionem, erant partes ſubſtantiales integrantes, in quas ſit diuiſibilis: ergo ſubſtantia ex ſe ipſa habet partes.

Reſpondent authores contrarij, ex hoc ſolum probari, quòd ſubſtantia habet partes ratione quantitatis, non verò ratione ſui. Sed hæc ſolutio friuola eſt, nam pars ſubſtantialis aquæ, quę determinata eſt, fingamus Deum ab illa auferre quãtitatem, tunc illa pars ſubſtantialis aquæ, ablata quantitate realiter diſtinguitur ab aqua, cui anteà erat vnita, ſed eandem entitatem habet modò, ac anteà, quando erat illi vnita, ſolùm differt in hoc, quòd modò eſt ſeparata, anteà verò non: ergo etiam anteà illa pars erat ratione ſuę entitatis diſtincta ab alijs partibus aquæ: ergo ſubſtantia intrinſecè, & ratione ſui habet partes diuerſas, in quas ſit diuiſibilis.

Secundò, quia reuera negari non poteſt, quin ſubſtantia capitis ſit diuerſa à ſubſtantia pedis; ſed hæc diſtinctio partium non prouenit à quantitate: ergo ſubſtantia ratione ſui habet partes diuerſas. Quòd talis diſtinctio non proueniat formaliter à quantitate; probo ſic, quia quælibet res diſtinguitur ab alia per ſuam intrinſecam entitatem; ſed illæ partes non habent ſuam entitatem à quantitate, quia ſubſtantia eſt prior quantitate: ergo neque illæ partes habent inter ſe diſtinctionem à quantitate, ſed ratione ſui habet partes diuerſas, in quas ſit diuiſibilis.

Tertiò argumentor ſic: fingamus Deum de ſua potentia abſoluta auferre totam quantitatem ab homine: tunc ſic; Illa ſubſtantia occuparet totum ſpatium, quod occupabat anteà cum quantitate, ita quòd ſubſtantia capitis eſſet in diuerſo ſpatio à ſubſtantia pedis: ergo iſtæ partes ſunt diuerſæ inter ſe ſubſtantialiter, ſiquidem eſſent in diuerſis partibus ſpatij: ergo ſignum eſt, ſubſtantiam ex ſe habere diuerſas partes integrantes.

Reſpondent authores contrarij, quòd in tali caſu ſubſtantia, quæ anteà habebat partes extenſas ratione quantitatis, tota conflueret in vnum punctum ablata quantitate: ergo per aliam mutationem de nouo in illa factam, quæ actio, cum fiat mediante concurſu Dei, benè poteſt Deus illam actionem impedire: ergo tunc ablata quantitate, non maneret ſubſtantia redacta ad vnũ punctum; ſed in toto ſpatio diuiſibili, in quo erat anteà cum quantitate: ergo ſubſtantia ex ſe ipſa habet partes, per quas ſit in illo ſpatio diuiſibili in tali caſu.

Quartò pro hac ſententia facit, quia niſi in ſubſtantia ſecundũ ſe intelligamus diuerſas partes, quibus corre-

Digitized by Google

correſpondeant diuerſæ partes quantitatis, non poteſt ſatis intelligi, qua ratione ſit capax ad recipiendas diuerſas partes quantitatis: nam ideò Angelus eſt incapax quantitatis, quia eius ſubſtantia eſt prorſus indiuiſibilis: ſi ergo ſubſtantia corporea ex ſe nullas habet partes: ergo non poteſt ſuſcipere diuerſas partes quantitatis.

Ex quibus infero, quod non ſolùm ſubſtantia completa, ſed etiam materia, & forma ex ſe habent diuerſas partes integrantes, in quas ſint diuiſibiles: rationes enim hactenus factæ etiam conuincunt de his: nam quando diuidimus aquam, etiam detrahimus partem materiæ, & partem formæ; ergo etiam iſtæ habent ſuas partes integrantes, in quas ſit diuiſibilis, excipio tamen animam rationalem, quia cùm hæc ſpiritualis ſit, nullas habet partes, in quas ſit diuiſibilis, ſed eſt tota in toto, & totam qualibet parte.

Et ſi inquiras, an ſicut concedimus, ſubſtantiam ex ſe habere plures partes integrantes, ita etiam cõcedendum ſit, habere extenſionem propriam ſine quantitate. Reſpondetur, quòd ſi nomine extenſionis intelligatur pluralitas partium, concedendum eſſe, id eſt, habet plures partes, in quas ſit diuiſibilis: ſi tamen loquamur de extenſione quantitatiua, & ſenſibili, hanc non habet, quia ſubſtantia ex ſe, ſecluſa quantitate neque eſt ſenſibilis, nec quanta quantitate molis.

Sed inquires vlterius: Si ergo tam ſubſtantia, quàm quantitas habent partes integrantes, in quo diſtinguitur ſubſtantia à quantitate? Reſpondetur diſtingui in hoc, quòd quantitas habet partes ſe ipſis ſenſibiles, & tangibiles: quod tamen non habet ſubſtantia, quia hæc non eſt ſenſibilis, niſi mediantibus accidentibus. Tùm etiam, quia partes ſubſtantiæ natura ſua ſunt penetrabiles quantitate: at verò partes quantitatis non ſunt natura ſua penetrabiles cum alijs partibus quantitatis, niſi per miraculum.

Sed dubitabis tertiò, an iſtæ partes ſubſtantiales diſtinguantur realiter inter ſe. Reſpondetur, quòd diſtinguuntur realiter partialiter, ſicut partes quantitatis, quia ſunt entia partialia. Et ratio eſt, quia iſtæ partes ita inter ſe ſe habent, quia vna poteſt realiter ſeparari: ergo diſtinguuntur realiter.

Ex quibus facilè eſt ſoluere argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primum reſpondetur verum eſſe, quòd eſſe quantum eſt effectus formalis quantitatis, & ita non poteſt prouenire, niſi à quantitate, nego tamen, quòd ſubſtantia ex ſe ſit quanta, quia vt aliquid ſit quantum, non ſatis eſt habere partes ſubſtantiales, ſed debet habere partes quantitatiuas, & tangibiles, quod tamen

non

Digitized by Google

non habet ſubſtantii, quamuis habeat partes ſubſtantiales integrantes.

Ad ſecundũ reſpondetur, quòd eſſe in loco ſtat dupliciter, ſcilicet circumſcriptiuè, & definitiuè. Illud eſt in loco circumſcriptiuè, quod circumſcribitur à corpore locante: & quia aliquid circumſcribi ab alio locante, prouenit ratione quantitatis, ideò ſubſtantia ſine quantitate non eſſet in loco circumſcriptiuè, eſſet tamen in loco definitiuè, quod eſt realiter eſſe præſens in tali ſpatio, ita vt non ſit in alio, non tamen circumſcribatur ab aliquo corpore ambiente, qua ratione Angeli ſunt in loco, quamuis nullam habeant quantitatem.

Ad aliud de figura reſpondetur, quòd ſubſtantia, ſecluſa quantitate, non haberet figuram, quia figura natura ſua eſt modus quantitatis: & ita definiri ſolet: *Figura eſt vltimus terminus quantitatis*: & hinc fit, quòd figura neceſſariò requirat partes quantitatiuas, habentes molem, quod non habent partes ſubſtantiæ, & ita neque habent figuram.

QVÆSTIO III.

Quæ ſint paſſiones quantitatis.

HActenùs explicuimus, qualiter habere partes, ſit eſſentià quantitatis, nunc verò agendum eſt de eius paſſionibus: & quidem Ariſt. in præſenti capite tres adducit paſſiones eius, ſcilicet quòd quantitati nihil ſit contrarium. Secundò, quòd non ſuſcipiat magis, & minus, quod dicebamus in litera, intelligendum eſſe ſecundum intenſionem: nam ſecundum extenſionem benè poteſt vna quantitas eſſe maior alia. Tertiò, quòd ſit æqualis, vel inæqualis alteri.

Contra quam obijci poteſt, nam æqualia, vel inæqualia ſunt relatiua: ergo non ſunt paſſio quantitatis, quæ aliquid abſolutum eſt. Reſpondent aliqui, quòd æquale, vel inæquale, ſumpta formaliter, prout relata ſunt, non ſunt paſſiones quãtitatis, ſed pro fundamentis, ſcilicet prout dicunt quantitates ſe excedentes, vel non excedentes. Melius tamen reſpondetur, nullum eſſe incõueniens, quòd relatio eſt paſſio alicuius abſoluti, ſicut riſibilitas, quamuis ſit qualitas, eſt paſſio ſubſtantiæ; ita relatio, quamuis ſit diuerſi prædicamenti à quantitate, poteſt eſſe paſſio illius, qua etiam ratione relatio creaturæ ad creatorem eſt paſſio cuiuslibet creaturæ cuiuſcunque prædicamenti ſit.

Præter has autem paſſiones plures alias aſſignare poſſumus, nam eſſe finitum, vel infinitum, etiam ſunt paſſiones quantitatis, vt ſæpè docet Ariſt. 1. & 3. Phyſ. Præterea eſt pro-

Digitized by Google

proprium quantitatis extenſio in ordine ad locum, id eſt, quòd eius partes repleant diuerſas partes loci, & habeant diſtantiam inter ſe. Verum eſt, per miraculum hanc paſſionem impediri poſſe, vt ſuprà dicebamus de Chriſto Domino, qui in Sacramento altaris nullam habet extenſionem in ordine ad locum. Nec mirum eſt, quod paſſio de potentia abſoluta poteſt auferri à ſubiecto, in quo eſt, vt riſibilitas ab homine, vt ſæpè dictum eſt.

Tertiò etiam eſt propria paſſio quantitatis diuiſibilitas in partes quantitatiuas, & extenſas, nam ex eo quod aliquid habeat partes, ſtatim conſequitur, vt paſſio; quod ſit diuiſibile in illas partes, hæc tamē paſſio diuerſimodè competit quantitati continuæ, & diſcretæ, quia quantum continuum, vt corpus, eſt diuiſibile in infinitum, quia habet partes infinitas, vt ſuo loco dicetur: at verò quantum diſcretum, vt numerus, non eſt diuiſibilis in infinitum, quia ternarius tantùm eſt diuiſibilis in tres vnitates, quia tantum habet illas.

Et ſi dicas: Nam paſſio æqualiter debet participari ab omnibus, vt riſibile æqualiter participatur à Petro, & Paulo. Reſpondetur, quod ſicut ratione differentiæ contrahentis poteſt paſſio inæqualiter participari, ita quantum continuum ratione differentiæ, per quam conſtituitur, habet diuiſibilitatem in infinitas partes: ſecus verò quantum diſcretum.

Sed contrà obijci poteſt; nam cœlum eſt quantum: cœlum autem diuidi non poteſt, quia eſt incorruptibile. Reſpondetur, quod quāuis quantitas cœli non ſit diuiſibilis ratione ſubiecti, in quo eſt, quia ſubſtantia cœli, in qua eſt, eſt incorruptibilis; tamen eſt diuiſibilis ex ſe, & ratione ſui: nam ſi talis quantitas daretur ſeparata à cœlo optimè diuidi poſſet in ſuas partes.

Maiorem ergo habet difficultatem, vtrùm menſura ſit paſſio quātitatis: & non loquimur de menſura ponderis, qualis eſt libra, quia iſtæ menſuræ non menſurant per ſe quantitatem, ſed grauitatem, & pōdus rei: grauitas autem non eſt quātitas, ſed qualitas corporis grauis, loquimur ergo de menſura quantitatiua. Hæc autem duplex eſt: alia eſt menſura actiua, alia paſſiua: menſura actiua eſt illud quantum per quam menſuramus aliam rem, qua vlna eſt menſura panni; ipſa verò quantitas menſurata eſt menſura paſſiua.

Sed rurſus tam menſura actiua, quam paſſiua duplex eſt, alia actualis, & eſt quando actualiter menſurat, vel actualiter menſuratur: & certum eſt, hanc menſuram actualem non eſſe paſſionem quantitatis, quia actualiter menſurari, vel menſura-

ſurare, nimis accidentale eſt quantitati, nec ſemper illi conuenit: paſſio autem ſemper debet conuenire rei: alio ergo modo ſumitur menſura actiua, vel paſſiua, prout dicunt potentiam ad menſurandum actiuè, vel vt menſuretur paſſiuè: & de hac menſura ſumpta pro aptitudine quærimus, an ſit paſſio quantitatis.

Secundò notandum eſt, quod ad menſuram actiuam tres conditiones requiruntur ſecuudum Ariſt. 10. Met. tex. 2. Prima eſt, quod ſit certa. Cuius ratio eſt, quia per menſuram certificamur de re menſurata; ſed per incertum non poſſumus certificari de certo: ergo mēſura debet eſſe certa, & determinata.

Secunda conditio eſt, quòd ſit indiuiſibilis, & minima, non quidem abſolutè. nam vlna, qua menſuramus pannū, abſolutè loquendo diuiſibilis eſt, ſed debet eſſe indiuiſibilis ex hominum impoſitione, & vt tanta, qualiter ſi ab vlna aliquid detrahens, vel addas, non manet vlna, ſed alia menſura.

Tertia conditio eſt, quòd ſit homogenea, id eſt, quod ſit eiuſdem rationis cum menſurato, ita vt ſi menſuratum fuerit longum, etiam menſura ſit longa, & ſi menſuratum fuerit planum, etiam mēſura ſit plana. Cuius ratio eſt, quia longum nō poteſt metiri niſi longum.

Sed contra has conditiones obijci poteſt: Primò, nam vnitas eſt mēſura numeri, quia omnes numeri, menſurantur ſecundum quod habent plures, aut pauciores vnitates; ſed vnitas non eſt eiuſdem rationis cum numero, quia vnitas non eſt numerus: ergo menſura non debet eſſe homogenea. Secundò quia motus cœli eſt menſura motuum horum inferiorum: ille autem motus non eſt minimus, ſed maximus, quia pertranſit maximum ſpatium: ergo non eſt de ratione menſuræ, quod ſit minima.

Reſpondetur ad primum, quod vnitas nō eſt menſura numeri quomodocunque, ſed multiplicata, quia multiplicando aliquam vnitatem, bis metimur alium binarium, vt vnitas multiplicata numerus eſt.

Et ſi inſtes: Ergo iam idem menſurat ſe ipſum, quia vnitas multiplicata eſt ipſe numerus menſuratus: reſpondetur negando conſequentiā, quia ſicut vnum quantum continuum, non metitur ſeipſo, ſed per aliud quantū continuū, qualiter pannū metitur per vlnā, ita idē numerus nō mēſurat ſe ipſum, ſed mēſuratur per alium numerum, qualiter vnus quaternarius menſuratur per alium quaternarium, ſiue per duos binarios.

Ad ſecundum reſpōdetur, quod quamuis motus cœli ſit maximus ſecundum ſpatium, quia pertranſit maxi-

maximum ſpatium, tamen ſecundum tempus minimus eſt, quia pertranſit illud maximum ſpatium breui tempore, & ratione huius temporis menſurat motus horum inferiorum.

Quibus ſuppoſitis conueniunt omnes in hac quæſtione, quod mẽſura tam actiua, quam paſſiua non ſit paſſio quantitatis in communi prout comprehendit quantitatem finitam, vel infinitam. Ratio eſt, quia ſi daretur aliqua linea infinita, illa in primis eſſet immenſurabilis, quia infinitum non poteſt menſurari: ergo menſura paſſiua non eſt paſſio quantitatis in communi, neque talis linea poſſet habere rationem menſuræ actiuè. Ratio eſt quia menſura, vt dicebamus, debet eſſe certa, cùm per eam certificemur de quantitate alterius: infinitum autem maximè incertum eſt, neque per illud poſſumus certificari de quantitate alterius rei: ergo neque menſura actiua eſt paſſio quantitatis in communi.

Secundò certum eſt, quod menſura paſſiua ſit paſſio quantitatis finitæ, & non loquimur de menſura actuali, vt ſuprà dicebam, ſed prout dicit potentiam, qua ratione idem eſt quod mẽſurabilitas paſſiua. Cuius ratio eſt, quia menſurabilitas ſecundum extenſionem conuenit omni, & ſoli quantitati finitæ, nam quamuis etiam aliæ res ſint menſurabiles, qua ratione menſuramus grauitatem alicuius ponderis per libras: tamen illa non eſt menſurabilitas ſecundum extenſionem quantitatiuam, ſed ſecundum pondus; & ita menſurabilitas ſecundum extenſionem eſt propria paſſio quantitatis finitæ quarto modo, quia conuenit omni, ſoli, & ſemper. Solùm ergo eſt dubium, vtrùm menſura actiua ſit paſſio quantitatis finitæ.

In qua re prima ſententia aliquorum affirmat, quòd menſura actiua non ſit paſſio quantitatis adhùc finitæ. Et probant ſuam ſententiam, quia paſſio debet conuenire vniuocè omnibus, quibus conuenit eſſentia; ſed eſſe menſuram, priùs cõuenit numero, quàm quantitati continuæ: ergo non eſt paſſio illius. Minorem probant ex Ariſt. 10. Met. c. 2. vbi ait quod tandem omnia menſurantur vnitate, quæ eſt pars numeri, quia verbi gratia, menſurando vlnas, menſuramus pannum: eugo ratio menſuræ conuenit quantitati continuæ ratione diſcretę, quia numerando menſuram, metimur rem.

Secundò, quia eſſe menſuram, etiam conuenit vnitati, vnitas enim eſt menſura numeri, vt dicebamus anteà; ſed vnitas non eſt quantitas, ſed principium quantitatis, quia eſt principium numeri: ergo menſura actiua nõ eſt paſſio quãtitatis finitæ.

Digitized by Google

Nobis tamen dicendum eſt, mẽſuram actiuam eſſe paſſionem quãtitatis finitæ. Cuius ratio eſt, quia eſſe menſuram ſecundum extenſionem conuenit omni quantitati finitæ, & ſoli, & in hoc vniuocè conueniunt omnes quantitates, nam omnes eſſe poſſunt inſtrumenta ad menſurandam extenſionem alterius rei: non ergo eſt cur negemus menſuram actiuam eſſe paſſionem quantitatis finitæ. Neque Ariſtot. loco allegato dixit rationem menſuræ priùs conuenire quantitati diſcretæ quàm coutinuæ, ſed ſolùm ait, omne quantum menſurari vno, id eſt menſurari vna menſura ſingulari quæ repetita menſurat aliud, qua ratione per vlnam repetitam menſuramus pannum.

Ad ſecundum reſpondetur, qnod vnitas eſt menſura numeri non quomodocunque, ſed multiplicata, vt anteà dictum eſt, & vnitas multiplicata quantitas eſt, quia eſt numerus.

QVÆST. IV.

Vtrùm quantitas diſtinguatur à re quanta.

SEnſus quæſtionis eſt vtrum quãtitas diſtinguatur à ſubſtantia: nam ſubſtantia eſt res quanta, & tota difficultas procedit de quantitate continua, nam cum quantitas diſcreta componatur ex pluribus quãtis continuis, qualiter numerus cõponitur ex lineis, vel ex corporibus, ſi quantitas continua diſtinguatur realiter à ſubſtantia, etiam quantitas diſcreta debet diſtingui realiter ab illa.

Conueniunt ergo omnes quantitatem, & ſubſtantiam ad minus diſtingui formaliter, quia cum ſint diuerſi generis, & prædicamenti, neceſſarium eſt, quòd ad minus diſtinguantur formaliter, ſolùm ergo eſt dubium an diſtinguantur realiter.

In qua re ferè omnes nominales exiſtimant non diſtingui realırer à ſubſtantia; quorum fundamentum eſt, quia cum ſubſtantia ſecundum ſe ipſam habeat partes integrantes, nullam realem diſtinctionem admittunt inter ſubſtantiam, & quantitatem. Sed quia hoc fundamentum iam à nobis ſolutum eſt, dicendum eſt breuiter quantitatem realiter diſtingui à ſubſtantia. Eſt ſententia S. Thom. 3. p, q. 77. ar. 2. & in 4. d, 12. quem ferè omnes ſequuntur. Et ratio eſt, nam quantitas poteſt realiter ſeparari à ſubſtantia, vt patet in Sacramento Euchariſtiæ. vbi quantitas panis reperitur ſine ſubſtantia panis; ergo diſtinguitur realiter à ſubſtantia. Probo conſequentiam, quia nihil poteſt realiter ſeparari à ſe ipſo, & propter eandem rationem dicendum eſt, partes quantitatis diſtingui inter ſe reali-

Digitized by Google

realiter, partialiter ſaltem, quia vna pars poteſt realiter ſeparari ab alia.

Neque hac in re placet modus loquendi aliquorum dicentium, quod partes quantitatis quando actu illam componunt, ſunt actu partes, non tamen ſunt actu entia: Hoc, inquam, ridiculum eſt, quia ſi partes non ſunt actu entia: ergo nihil; ergo totum, quod ex illis reſultat, nihil erit, quia componitur ex nihilo, nam totum proculdubio habet eſſe à ſuis partibus.

Quare dicendum eſt, quod partes quantitatis, dum actu illam cōponunt, ſunt actu entia, ſaltem partialia, quia actu illam componunt, poſtea verò per diuiſionem fiunt entia totalia, quia poſt diuiſionem quælibet pars manet ſeparata ab alijs, & ita eſt quoddam totum id, quod antea erat pars.

QVÆST. V.

Quales ſint diuiſiones quantitatis adductæ ab Ariſt. in hoc capite.

ARiſtot. in hoc capite expreſsè duas refert diuiſiones. Prima eſt; Quantum, aliud continuum, aliud diſcretum. Secunda, Quantum, aliud eſt conſtans partibus habentibus poſitionem in continuo; aliud verò eſt conſtans partibus, non habentibus poſitionem in continuo; tamen implicitè aliam tertiam affert diuiſionem Quanti, in quantum per ſe, & per accidens, cum dixit ſpecies ab ipſo cōnumeratas eſſe quanta per ſe, reliqua verò eſſe quāta per accidens, quæ diuiſiones ſigillatim examinandæ ſunt.

Et primò conueniunt omnes, quòd hæc diuiſio Quanti, in quantum per ſe, & per accidens ſit analogi in analogata, quia quod per accidens tale, dicitur per attributionem ad id, quod eſt tale per ſe: ergo quātum per accidens dicitur tale per attributionem ad quantum per ſe, qua ratione dixit Ariſt. quod ideò appellamus orationem breuem, vel longam, quia menſuratur tempore lōgo, aut breui: ergo hæc diuiſio eſt analogi in analogata.

Secundò conueniunt omnes, quòd diuiſio illa quanti in quantum conſtans partibus habentibus poſitionē in continuo, & conſtans partibus non habentibus poſitionem, ſit diuiſio ſubiecti in accidentia, quia poſitio dicit extenſionem partium in ordine ad locum, & ſitum, vt conſtat ex Ariſt. in hoc capite vbi talem poſitionem explicat per ordinem ad ſitum, extenſio autem in ordine ad locum non eſt de eſſentia quantitatis, vt ſuprà viſum eſt; & ita hæc diuiſio eſt ſubiecti in accidentia.

Sed obijcies, nam ex hoc ſequitur, quod locus non habeat poſitio-

 nem

Digitized by Google

nem in continuo, quod eſt contra Ariſt. Conſequentiam probo, quia locus non eſt in loco. Secundò, nam etiam punctum habet poſitionem in continuo, & tamen punctum nõ eſt quantum. Sed reſpondetur ad primum, quod locus ſaltem ſecundum partes quodammodo eſt in loco, nam vna pars eius continetur inter alias duas, & ſecundum hoc dicitur habere poſitionem in continuo.

Ad ſecundum, quod punctum ſicut eſt indiuiſibile, ita non occupat ſitum diuiſibilem, ſed correſpondet illi quoddam indiuiſibile ſpatij, & ita quia non occupat ſitum diuiſibilem, ideò propriè non habet poſitionem in continuo.

Vbi aduertendum eſt, quod duæ conditiones requiruntur, vt quantum aliquod habeat poſitionem in continuo, vt ex textu huius capitis facilè colligi poteſt. Primò, quod ſit quantum continuum, nam partes quanti diſcreti, vt partes numeri, nõ dicunt certum aliquem ordinem ad ſitum, nam vnitates componentes ternarium non dicunt certum aliquem ordinem ad ſitum.

Secundò, quod ſit quantum permanens, & non ſucceſſiuum: appellatur verò quantum permanens illud, quod habet omnes partes ſimul in tempore, qua ratione linea eſt quantum permanens, quia omnes eius partes ſunt in quolibet tempore. Quantum verò ſucceſſiuum eſt, quod non habet partes ſimul, ſed vna ſuccedit alteri, vt tempus, cuius vna pars non eſt ſimul cum alia, ſed ſucceſſiuè fluunt. Debet igitur quãtum aliquod eſſe permanens, vt habeat poſitionem in continuo, nam partes temporis per ſe non dicunt certum ordinem ad ſitum, neque per ſe occupant ſitum, ſed ratione corporis, in quo eſt.

Solùm ergo eſt dubium qualis ſit illa diuiſio quanti in continuum, & diſcretum, an ſcilicet ſit generis in ſpecies. Et ratio dubitandi eſt, quia nulla ſpecies poteſt componere aliam, qualiter homo non componit equum: ſed quantum diſcretum, vt numerus componitur ex quantis continuis, nam ternarius componitur ex tribus corporibus, vel ex tribus lineis: ergo hæc diuiſio non eſt generis in ſpecies.

Secundò, quia quantum per prius dicitur de continuo, quam de diſcreto, quia diſcretum componitur ex quantis continuis: ergo non eſt diuiſio generis in ſpecies, quia genus non dicitur priùs de vna ſpecie, quam de alia.

Communis tamen ſententia nobis tenenda eſt, hanc diuiſionem eſſe generis in ſpecies; & ratio eſt facilis, quia illud eſt genus, quod prædicatur de pluribus eſſentialiter, & vniuocè in quid; ſed quantum eſſentialiter prædicatur de continuo, & de diſcre-

Digitized by Google

diſcreto, quæ differunt ſpecie, & vniuocè, quia in hoc, quod eſt habere partes extra partes, quæ eſt eſſentia quantitatis, vniuocè cõueniunt.

Vnde ad rationes dubitandi reſpondetur ad primam, quod quamuis vna ſpecies formaliter ſumpta, & vt totum quoddam eſt, non poſſit componere aliam, tamen materialiter benè poteſt aliam componere, id eſt poteſt eſſe pars materialis alterius, qualiter quaternarius componitur ex duobus binarijs, cum tamen binarius ſit etiam ſpecies numeri, ſic ergo quantum cõtinuum, materialiter componit quãtum diſcretum, quia ex pluribus quantis continuis fit numerus.

Ad ſecundam reſpondetur negando, quod ratio quantitatis per prius reperiatur in quanto cõtinuo, quam in diſcreto: nam quamuis quantũ diſcretum componatur ex quantis continuis, tamen habere partes abſolutè, & eſſentialiter conuenit vtrique, quia habere eſſe à ſuis partibus vniuerſale eſt cuilibet compoſito, quamtumuis ſit vniuocum, qualiter homo habet eſſe à ſuis partibus, requiritur ergo ad rationem analogiæ, quod ratio analoga reperiatur per priùs in altero toto.

Vltimò dubitari ſolet in hac diſputatione, vtrum in hoc prædicamento, ponantur abſtracta, an verò concreta: de qua re iam diximus diſputantes de prædicamento in cõmuni, in nullo prædicamento directè poni abſtracta, ſed concreta tantum. Legantur ibi dicta.

Eſt tamen aduertendum peculiare eſſe in hoc prædicamẽto, quod concreta prædicantur de abſtractis eſſentialiter, nam quantitas dicitur quanta, quod tamen in alijs prædicamentis non cõtingit, nam in prædicamento qualitatis albedo nõ appellatur alba. Cuius ratio eſt, quia eſſe quantũ eſt habere partes quantitatiuas, & quia quantitas ſecundũ ſe habet partes, ideo eſſentialiter dicitur quanta.

Sed ſtatim obijci poteſt, nam ſi in hoc prędicamento ponuntur cõcreta directè, & quantitas eſſentialiter eſt quanta; ergo quantitas directè ponitur in prædicamento, atque adeò etiam abſtracta ponuntur directè in hoc prædicamento. Reſpondetur, quod in prædicamento non ponuntur directè quæcumque concreta, ſed illa tantum, quæ ſunt entia completa, quantitas autem in abſtracto, quantumuis denominetur quanta, tamen ſemper eſt aliquid incompletum, quia vt loco citato oſtendimus omnia abſtracta ſunt entia incompleta. Solum ergo ponuntur in hoc prædicamento illa concreta, quæ reſultant ex quantitate, & ſubiecto, hęc enim ſunt entia completa. De qua re videantur ſupra dicta. Et hæc de hac quæſtione, & diſputatione.

Diſp.

Digitized by Google

DISPVT. II.

De ſpeciebus quantitatis continuæ.

EGimus hactenus de quantitate in communi, nunc verò de eius ſpeciebus diſputandum reſtat, ſed quia quantum diſcretum, vt numerus, componitur ex quantis continuis, vt à partibus ad totum procedamus, prius agendum eſt de ſpeciebus quantitatis continuæ.

QVÆST. I.

Vtrùm linea, ſuperficies, & corpus ſint ſpecies quantitatis continuæ.

PRo cuius intelligentia aduertendum eſt, quod corpus ſumitur tribus modis. Primò, pro ſubſtantia corporea completa, quæ componitur ex materia, & forma, & hac ratione corpus directè pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & eſt prædicamentum quoddam, quod ponitur directè in recta linea prædicamenti ſubſtantiæ.

Secũdò ſumitur corpus pro quadam parte viuentis, quæ ſimul cum forma componit totum ſubſtantiale perfectum, qua ratione dicimus, quod homo componitur ex corpore, & anima, & hoc modo corpus pertinet reductiuè ad prædicamentum ſubſtantiæ, quia eſt pars ſubſtãtialis componens ſubſtantiam completam.

Tertiò, & ad noſtrum propoſitum ſumitur corpus pro quodam accidenti, quod natura ſua habet extenſionem, & partes extra partes, & eſt diuiſibile ſecundum trinam dimenſionem, ſcilicet ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & hoc corpus, quia quantum eſt, & extenſum, pertinet ad hoc prædicamentum.

Secundò notandum eſt, quod corpus aliquod continuum ex duobus conſtat, nempè ex partibus, & continuatiuis. Partes ſunt, vel duæ medietates, vel duo, aut tres palmi, quædam verò entia, quæ vniunt, & continuant has partes inter ſe, appellantur continuatiua partium.

Tertiò notandum eſt, quod cum in corpore quolibet reperiatur longitudo, latitudo, & profunditas, in corpore reperiuntur lineæ & ſuperficies, hæc tamen differunt inter ſe: nam partes lineæ copulantur punctis, quæ puncta ſunt quædam entitates incompletæ omninò indiuiſibiles: partes verò ſuperficiei copulantur ſuperficiebus, quæ continuatiua quædam ſunt, & an diſtinguantur à continuo ipſo non eſt huius loci diſputare, ſed de hoc dicemus in Phyſica.

Quartò notandum eſt, quod linea, & ſuperficies poſſunt duobus modis cõſiderari: vno modo ſecundum proprias extenſiones, quas habent, linea quidem ſecundum longitudinem, ſuperficies verò ſecundum latitudinem, & longitudinem:

gitudinem: alio modo poſſunt conſiderari, vt ſunt continuatiua, & ſic appellari ſolent indiuiſibilia, non quidem, quia linea, & ſuperficies non ſint diuiſibiles, quia cum habeant partes neceſſario ſunt diuiſibiles in illas, ſed dicuntur indiuiſibiles, vt continua ſunt, quia linea, vt continuat partes ſuperficiei, eſt indiuiſibilis ſecundum latitudinem, quia continuat partes ipſius latitudinis; & ſuperficies, vt continuatiua partium corporis, eſt indiuiſibilis ſecundum profunditatem, quia continuat partes profundas; ita quod ratione illius indiuiſibilitatis appellantur continuatiua indiuiſibilia, non verò, quia abſolutè indiuiſibilia ſint.

Ex dictis ergo ſumitur ratio dubitandi in hac quæſtione. In hoc prædicamento ſicut in quolibet alio ſolùm ponuntur entia completa: ſed linea, & ſuperficies non ſunt entia cõpleta, quia natura ſua ordinantur ad integrandum corpus, cuius rei argumentum eſt, quia, ſaltem de potentia naturali, non poteſt dari linea, aut ſuperficies ſeparata à corpore: ergo totum eſſe illarum ordinatur ad componendum corpus: ergo non ſunt quantitates completæ, atque adeò non ponuntur directè in prædicamento.

Secundò, quia vna ſpecies non poteſt componere aliam, ſed linea & ſuperficies ingrediuntur in compoſitionem corporis, vt oſtenſum eſt: ergo non ſunt ſpecies quantitatis.

Vera tamen, & communis ſententia ab omnibus recepta eſt, quòd linea, ſuperficies, & corpus ſunt verè ſpecies quantitatis continuæ, & inter ſe eſſentialiter diuerſæ, quã in hoc capite communiter expoſitores tenẽt, quia ratio euidẽter oſtendit, quòd eſſentia quantitatis in cõmuni eſt extenſio, ſeu habere partes extra partes; ergo illæ ſunt diuerſæ ſpecies quantitatis, quæ diuerſam participant rationem formalem extẽſionis, ſed linea, ſuperficies, & corpus participant diuerſam rationem extenſionis: nam linea eſt tantùm diuiſibilis ſecundum longitudinem; ſuperficies tantùm ſecundum longitudinem, & latitudinem; corpus verò ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ergo ſunt diuerſæ ſpecies quantitatis. Quòd verò ſint quantitates continuæ probauit Ariſt. in hoc capite, quia quantum continuum eſt, cuius partes copulantur aliquo termino communi, ſed partes lineæ copulantur punctis, & partes ſuperficiei copulantur lineis, & partes corporis copulantur ſuperficiebus vt explicatũ eſt: ergo ſunt ſpecies quãtitatis continuæ.

Ex dictis ſequitur falſam eſſe ſententiam aſſerentium, corpus eſſentialiter tantùm dicere profunditatem,

tem, accidentaliter longitudinem, & latitudinem, & eodem modo ſuperficiem eſſentialiter tantùm dicere latitudinem, accidentaliter verò longitudinem. Hoc, inquam, falſum eſt, quia inintelligibile eſt eſſe aliquod corpus, quod nullā habeat longitudinem, vel magnam, vel paruam, & quod non habeat aliquam latitudinem: ergo etiam hæc duo ſunt de eſſentia corporis. Similiter inintelligibile eſt, aliquā eſſe ſuperficiem, quæ non habeat aliquā longitudinem: ergo etiam de eſſentia ſuperficiei eſt longitudo. Verum eſt, quod ſuperficies, v. g. addit vltra longitudinem, latitudinē; ita quod vltimatè conſtituatur per latitudinem, tamen vtrunque eſt de eſſentia illius, ſicut quamuis homo vltra rationem animalis addat rationale, tamen etiam animal eſt de eſſentia hominis, & idem dicendum eſt de profunditate reſpectu corporis.

Poteſt tamen dubitari, an hæc longitudo, quam eſſentialiter includit ſuperficies, vel corpus ſit alia diuerſa à longitudine lineæ. Et reſpondetur, quod non: nam ſicut quaternarius eſſentialiter componitur ex duobus binarijs; ita ſuperficies eſſentialiter includit longitudinem ipſius lineæ, & idem eſt de latitudine ſuperficiei reſpectu corporis. Vtrum verò vnum continuatiuum, v. g. vnum punctum ſit immediatè poſt aliud, & in quo ſubiecto ſint iſta continuatiua, & quid ſint dicemus in Phyſica, vbi propriam habet ſedem.

Sequitur ſecundò ex dictis, quòd iſtæ ſpecies connumeratæ ſint ſpecies infimæ, nam quòd corpus aliquod, vel linea, ſit recta, aut circularis, non variat eſſentialiter ſpeciem quantitatis, ſed potiùs eſt differentia accidentalis ratione figuræ.

Vnde ad rationes dubitandi reſpondetur, quod linea poteſt conſiderari duobus modis. Vno modo, vt continuatiua eſt partium ſuperficiei: & hoc modo eſt quid incompletum, quia potiùs conſideratur, vt componit aliud totum, quàm, vt quoddam totum; tamen ſi conſideretur ſecundum ſe præcisè, qua ratione eſt diuiſibilis ſecundum longitudinem; hoc modo eſt quantitas completa, quia participat integram eſſentiam quantitatis, nempè habere extenſionem, & habere partes, ideò hoc modo eſt quantitas completa.

Ad ſecundum reſpondetur, quod iam diximus vnam ſpeciem, materialiter poſſe aliam componere, qualiter quaternarius componitur ex duobus binarijs, ſic etiam linea, & ſuperficies, materialiter ſumptæ, & vt partes ſunt quodammodò, componunt corpus.

Quæſt.

QVÆSTIO II.

Vtrum locus ſit ſpecies quantitatis diuerſa à ſuperficie.

DE loco diſputat ex profeſſo Ariſt. 4. lib. Phyſi. vbi longiorem de hac re diſputationem habebimus, & ita nunc ea tantùm attingemus, quæ præſentis ſunt inſtituti.

Primò ergo aduertendũ eſt, quod locus definitur ab Ariſt. loco citato in hunc modum: ***Locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis immobilis primò***; vbi ponitur illa particula: ***Immobilis primò***, ad ſignificandum, quod primario, & per ſe conuenit loco eſſe fixum, & immobilem: nam eo ipſo, quod aliquis mutat diſtantiã ſpatij, non manet idem locus, ac antea erat.

Pro cuius intelligentia aduertendum eſt ſecundo, quod in corpore ambiente, ſunt duæ ſuperficies extremæ; alia eſt ſecundum quam cõtinet locatum, & appellatur ſuperficies concaua, alia eſt ſecundum quam continetur ab alio corpore, & appellatur ſuperficies conuexa; illa ergo ſuperficies concaua, quæ ambit locatum appellatur locus, & ita locus eſt in corpore locante inhæſiuè, quia eſt vltima ſuperficies corporis locantis.

Tertiò notandum eſt, quod ad locum potiſſimum tres conditiones requiruntur. Prima eſt, quòd diſtinguatur realiter à locato, quia ſi locus, & locatum eſſent idem realiter, idem eſſet locus ſui ipſius. Secunda, quod locus ſit æqualis locato, nam ſi locus excedit locatum, iam in parte loci, quæ ſupereſt, erit aliud locatum, & ita locus ille erit æqualis vtrique locato ſimul ſumpto. Tertia eſt, quod ſit immobilis, vt probatum eſt.

Hoc ſuppoſito duo à nobis examinanda ſunt. Primò, vtrum locus ſit ſpecies quantitatis continuæ. Secundò, an ſit diuerſa ſpecies à ſuperficie. Circa primum plures aſſerunt locum non eſſe ſpeciem quantitatis continuæ, neque pertinere ad hoc prædicamentum, ſed ad prædicamentum vbi, vel ad prædicamẽtum relationis. Sic tenet Scotus in prædicamentis, quæſt. 21. & 22. Antonius Andr. 5. Met. q. 10.

Et probari poteſt hæc ſententia. Primò, quia locus dicit formaliter continentiam, & ambire locatum, ſed continentia dicit relationem ad corpus contentum: ergo locus formaliter pertinet ad prædicamentum relationis.

Secundò, quia locus idem videtur eſſe, quod vbi, ergo locus pertinet ad prædicamentum vbi.

Tertiò probatur, quod locus nõ ſit quantitas continua, quia ſi ponamus virgam, cuius medietas ſit in aqua, medietas verò altera in aëre, tunc illa virga, cum ſit vnum loca-

tum, tantum habet vnum locum, ſed ille locus non eſt continuus: ergo locus non eſt quantum continuum; Quod vero ille locus non ſit continuus, probatur, quia locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis; ſed ibi ſunt duæ ſuperficies ambientes illam virgam; altera aëris, altera aquæ, quia ſupponimus habere medietatem in aëre: ergo ille locus non eſt continuus, ſicut neque ſuperficies ambientes continuę ſunt, ſed potius contiguæ: ergo locus non eſt quantitas continua.

Contrariam tamen ſententiam ſequuntur ferè omnes expoſitores Ariſt. nempè, quòd locus ſit quantitas continua, quia expreſsè enumerat Ariſtot. inter ſpecies quantitatis continuæ locum.

Et ratione probatur, quia locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis, ſed ſuperficies eſt quantitas continua, vt probatum eſt: ergo etiam ſuperficies locans, quæ eſt locus.

Secundò probatur, quia cui conuenit paſſio debet conuenire eſſentia; ſed loco conuenit paſſio quantitatis, ſcilicet eſſe menſuram, quia locus eſt menſura locati: ergo locus eſt ſpecies quantitatis.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſp. quod locus poteſt ſumi dupliciter. Primò, prout formaliter dicit continentiam, quæ eſt relatio continentis ad contentum, & hoc modo locus non pertinet ad hoc prædicamentum, ſed ad prædicamentum relationis: alio modo ſumitur locus quaſi materialiter, pro illa ſuperficie ambiente, in qua fundatur relatio continentiæ, & hoc modo locus eſt de prædicamento quantitatis, quia ſuperficies ambiens, quanta eſt, & diuiſibilis.

Ad ſecundum reſp. locum maximè differre ab vbi; nam locus eſt vltima ſuperficies corporis ambientis, & ita locus eſt ſubiectiuè in corpore locante: vbi verò eſt ſubiectiuè in corpore locato, quia eſt quidam modus, quo ipſum locatum replet locum, qui modus idem eſt, quod præſentia localis, vt dicemus in Phyſica, & hoc vbi, ſeu hæc præſentia localis eſt terminus primarius, & per ſe motus localis, non verò locus, vt ſuo loco dicetur.

Ad tertium reſp. Sot. & Tolet. locum illum eſſe vnum, & continuum, quia quamuis ſuperficies aquæ, & aëris ambientes virgam, in ratione ſuperficiei ſint duæ ſuperficies, & diſcontinuæ, tamen, inquiunt, in ratione loci efficiunt vnum locum continuum. Nec mirum eſt, inquiunt, quia ea, quæ ſunt plura in vno genere poſſunt eſſe vnum in alio, qualiter tres lineę, quæ ſunt plura quanta continua, efficiunt vnum quantum diſcretum.

Hæc tamen ſolutio omninò falſa eſt, quia locus, adhuc, vt locus eſt, eſt

Digitized by Google

eſt ſubiectiuè in corpore locante; ſed corpora locantia illam virgam ſunt duo, & diſcontinua, nempè aër, & aqua: ergo & locus diſcontinuus eſt. Probo conſequentiam, quia diſcontinuitas ſubiecti, ſufficiens eſt ad diſcontinuanda accidentia, qua ratione ſi diuidamus aliquod corpus album, etiam albedo diuiditur, & diſcontinuatur, alias eodem modo dicere poſſemus, quod illa albedo, quæ eſt in corporibus diuiſis eſt cõtinua in eſſe albedinis, ſicut ipſi aſſerunt illum locum eſſe continuum in ratione loci, ꝙ tamen ridiculum eſt.

Secundò, quia locus, & ſuperficies, ſunt idem realiter: ergo multiplicato vno realiter, debet multiplicari aliud: ergo ſi ſunt duæ ſuperficies diuerſæ realiter, debent eſſe duo loca realiter diuerſa, ergo non eſt vnus locus continuus.

Quare verius, & facilius reſpondetur, quod illic non eſt vnus locus, ſed duplex, quorum quilibet in ſe continuus eſt, ita quod ſuperficies aquæ ambiens medietatem virgæ, ſit vnus locus in ſe continuus, & altera ſuperficies aëris ſit alter locus in ſe continuus, nec mirum eſt vnum locatum habere duo loca partialia, illa tamen non efficiunt vnum locum, quia non ſunt continua.

Maiorem ergo habet difficultatem ſecunda pars quæſtionis, ſcilicet an locus ſit diuerſa ſpecies à ſuperficie. In qua re, prima ſententia affirmat locum non eſſe ſpeciem quantitatis eſſentialiter diuerſam à ſuperficie, ſed ſolum accidentaliter penes hoc, quod ſit ſuperficies ambiens, vel non ambiens, quod non cauſat diuerſam extenſionem, ſed ſolum addit relationem continentiæ, quæ non eſt huius prædicamenti. Hanc ſententiam tenet expreſsè S. Thom. 5. Metaph. lect. 15. Auerroes eodem lib. text. 18. Sonci. eodem lib. quæſt. 40. Scotus q. 23. prædicamentorum, Gregor. in 2. diſp. 6. quæſt. 1. art. 2. Valle. controu. 27. Et in primis aliquantulum fauet Ariſtot. qui poſtquam 4. lib. Phyſic. determinat, locum eſſe vltimam ſuperficiem corporis continentis, poſtea 5. libr. Metaph. c. 13. nõ enumerauit locum inter ſpecies quantitatis, quaſi ſentiat non eſſe ſpeciẽ diuerſam eſſentialiter à ſuperficie, & ita in hoc capite numerauit locum inter ſpecies quantitatis, quia nondum probauerat, an eſſet aliquid diſtinctum à ſuperficie, poſtea enim præſtitit, 3. Phyſic.

Sed ratione probatur, quia eſſentia quantitatis, eſt extenſio, vt ſuprà vidimus: ergo illæ ſpecies diſtinguuntur eſſentialiter, quæ dicunt extenſionem eſſentialiter diuerſam: ſed locus nõ habet extenſionem eſſentialiter diuerſam à ſuperficie: ergo diſtinguitur eſſentialiter ab illa. Quòd non dicat diuerſam extenſionem patet, quia locus, cum ſit

Digitized by Google

ſuperficies vltima corporis continentis, eſt diuiſibilis ſecundum longitudiuem, & latitudinem, ſed etiam ſuperficies ſecundum ſe ſumpta habet eandem diuiſibilitatem, & extenſionem: ergo non diſtinguitur realiter à ſuperficie.

Secundò, quia locus vltra ſuperficiem ſolum habet continentiam in ordine ad locatum: ergo locus in genere quantitatis non diſtinguitur eſſentialiter ab ipſa ſuperficie.

Reſpondent autores contrarij, quod locus vltra ſuperficiem non ſolùm addit relationem continentiæ ad locatum, ſed addit fundamentum illius relationis, per quod diſtinguitur à ſuperficie.

Sed certè hæc ſolutio verba tantùm continet, quia de illo fundamento rurſus argumentari poſſumus: nam certè ſolùm dicit extenſionem diuiſibilem ſecundum longitudinem, & latitudinem, ſed hanc eandem dicit ſuperficies: ergo locus, & ſuperficies: non diſtinguuntur eſſentialiter.

Tertiò, quia ſi ſuperficies locans conſtituit nouam ſpeciem diuerſam à ſuperficie abſolutè, penes hoc, quod dicat ordinem ad locatum, ſequitur quod etiam in linea poſſumus diſtinguere alias duas ſuperficies: primam, in quantum abſolutè eſt diuiſibilis ſecundum longitudinem; ſecundam, in quantum dicit ordinem ad locatum: nam in ſuperficie ambiente, lineæ contentæ in illa ſuperficie, etiam ambiunt locatum: ergo etiam erunt aliæ duæ ſpecies in linea, & ita erunt plures ſpecies quantitatis præter connumeratas ab Ariſt.

Reſponderi poſſet lineam prout continentem, non conſtituere nouam ſpeciem quantitatis directè ponibilem in prædicamento, quia linea ſolum poteſt continere locatum ſecundum vnicam dimenſionem, ſecundum quam tantum eſt diuiſibilis, & ita quia adæquatè non ambit locatum, ſicut locus, non cõſtituit hoc modo ſpeciem completam ponibilem directè in hoc prædicamento.

Sed hæc ſolutio nullius eſt momenti, quia quantumuis linea ſolum ſit diuiſibilis ſecundum vnam dimenſionem, ſcilicet ſecundum longitudinem, nihilominus eſt quantum completum directè ponibile in hoc prædicamento, vt etiam autores contrarij fatentur: ergo etiam ex eo ſolum, quod contineat locatum ſecundum vnam dimenſionem, non erit ſpecies incompleta; erunt ergo plures ſpecies quantitatis.

Dicendum ergo eſt locum nullam habere extenſionem, aut quantitatem diuerſam à ſuperficie, ſed ſolum addere relationem continentiæ ad locatum, quæ potiùs eſt de prædicamento relationis, & ita in gene-

Digitized by Google

genere, quantitatis eſſentialiter non differre à ſuperficie, ſed ſolum accidentaliter penes hoc, quòd ſit ſuperficies continens, aut non continens.

Neque fundamentum contrariæ ſententiæ alicuius momenti eſt, quia licèt Ariſtot. in hoc capite enumerauerit locum inter ſpecies quãtitatis, non tamen dixit eſſentialiter differre à ſuperficie: enumerauit verò illum, quia nondum probauerat contra antiquos Philoſophos, an eſſet aliquid diſtinctum à ſuperficie ambiente, vel non, id enim probat 4. Phyſicorum.

Neque valet dicere. Aliæ ſpecies diſtinguuntur eſſentialiter inter ſe; ergo, & locus. Reſpondetur enim eſſe diuerſam rationem, quia aliæ ſpecies dicunt extenſionẽ, & diuiſibilitatem, eſſentialiter diuerſam, vt dictum eſt, locus verò minimè.

QVÆST. III.

Vtrùm tempus, & motus ſint ſpecies quantitatis continuæ.

QVæſtio hæc primò de tempore diſputanda eſt. Secundò de motu. Circa primum, videtur, quòd tempus non ſit quantitas. Primò quia Ariſt. 5. Met. c. 13. dicit tempus eſſe quantum per accidens: ſed in hoc prędicamento ſolum ponũtur quanta per ſe: ergo tempus non eſt ſpecies quantitatis.

Secundò, quia partes temporis, vt ait Ariſt. in hoc prædicamento, ſunt præſens, præteritum, & futurum; ſed præteritum & futurum nihil ſunt: quia non ſunt: ergo & tempus ipſum nihil eſt. Probo conſequentiam, quia totum habet eſſe à ſuis partibus.

Tertiò, quia tempus definitur hoc modo ab Ariſt. 4. Phyſic. *Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius*: ſed numerus eſt quãtitas diſcreta: ergo & tempus, atque adeò non eſt quantitas continua.

Sed pro intelligentia huius difficultatis aduertendum eſt, quod tempus definitur hoc modo ab Ariſt. *Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius*, id eſt menſura menſurans partes priores, & poſteriores, ipſius motus; de qua definitione plura dicemus ſuo loco. Nunc verò quod ad nos attinet breuiter dicendum eſt tempus eſſe ſpeciem quantitatis continuæ. Ita docuit Ariſt. in hoc capite enumerans tempus inter ſpecies quantitatis cõtinuæ.

Et ratione probatur, quia eſſentia quantitatis eſt habere extenſionẽ, ſeu habere partes extra partes; ſed tempus habet extenſionem propriam, & partes extra partes ſecundum durationem, qua ratione hora eſt diuiſibilis in partes, quarum vna eſt extra aliam, nam ſecundus quadrãs eſt poſt primum, & ſic de alijs:

Digitized by Google

lijs : ergo tempus eſt quantitas. Quod verò ſit quantitas continua probauit in hoc cap. Ariſ. quia partes temporis, ſcilicet præſens, præteritum, & futurum, copulantur inſtantibus: nam inſtās, quod eſt temporis præſentis eſt initium temporis futuri. Qualiter verò tempus ſit præſens, & qua ratione ſit ens reale, non eſt huius loci diſputare vſque ad quartum librum Phyſi.

Nunc ſolum aduertendum eſt eſſe quantum ſucceſſiuum, quia non habet omnes partes ſimul exiſtentes, ſicut linea, & corpus, cuius omnes partes ſunt in quolibet inſtanti, ſed potiùs cum conſiſtat in fluxu, modo habet vnam partem poſt aliam, ſicut motus ipſe, quem menſurat, quid ſucceſſiuum eſt, nam modo habet vnam partem poſt aliam.

Sed obijcies: Tempus habet partes priores, & poſteriores penes ordinem ad partes priores, & poſteriores motus: ergo non habet proprlam diuiſibilitatem; & extenſionē ſed ſolum ratione motus.

Reſpondetur, quod aliud eſt habere extenſionem ab alio, aliud verò in ordine ad aliud extenſionem habere, ſicut quantitas habet propriam extenſionem, tamen dicit ordinem ad ſubſtantiā, tanquā ad ſubiectum: ſic ſimiliter tempus propriam habet extenſionem, tamen habet illam cum quodam ordine ad motum: nam cum ſit menſura motus partes temporis correſpondent partibus motus.

Vnde ad ratioes dubitandi reſpondetur, quòd quando Ariſt. vocat tempus quantum per accidens, non ſumit ibi per accidens propriè, vt diſtinguitur contra per ſe, quia re nera tempus per ſe eſt quantum: ſed ſumitur ibi per accidens, id eſt cum dependentia à motu, & ita, quia tēpus habet extenſionem dependenter à motu, in quo eſt, & quem menſurat, propriam tamen, vt dixi, ideò impropriè appellatur ab Ariſtot. quantum per accidens, at verò in hoc capite propriè vtitur illa particula: *Per accidens* quando dicit, quædam eſſe quanta per accidens, id eſt per aliud, qualiter, inquit, appellamus orationem longam, vel breuem quia menſuratur tempore longo, & breui.

Ad ſecundam, quòd de ratione quanti permanentis eſt, quod habeat omnes partes ſimul exiſtentes in quouis inſtanti, vt videre eſt in linea, tamen de ratione quantitatis ſucceſſiuæ, cum conſiſtat in fluxu, & ſucceſſione, non eſt qnòd habeat omnes partes ſimul exiſtentes, ſed modo vnam, poſteà aliam, & ita quamuis præteritum, & futurum, quæ ſunt partes temporis, non exiſtant nihil impedit, quo minus tempus ſit quantum, quia futurum ali-

quan-

Digitized by Google

quando erit, & præteritum aliquando fuit: tempus verò præſens actu eſt, quo modo autem tempus ſit præſens, dicemus ſuo loco, ſcilicet 4. Phyſi.

Ad tertiam reſpondetur, quòd numerus eſt triplex, alius enim eſt numerus numerans, & eſt ipſe intellectus numerans partes aliquas: alius eſt numerus numeratus, & ſunt ipſæ partes numeratæ: alius eſt numerus numerabilis, qualis eſt numerus huius prædicamenti. Reſpondetur, quod quando Ariſtot. appellat tempus numerum, non loquitur de numero numerabili, qui eſt quãtitas diſcreta, ſed loquitur de numero numerato, nõ quidem quia tempus ſit idem realiter cum motu, cuius partes numerantur ab intellectu, fortaſſe enim probabile eſſet tempus realiter diſtingui à motu, de quo ſuo loco dicemus: ſed quia partes temporis numerantur ab intellectu, ideò appellatur numerus numeratus, reſpectu intellectus numerantis, tamen reſpectu motus eſt tempus numerus numerans, quia quamuis non ſit intellectus numerans, tamẽ eſt menſura actiua menſurans partes motus, & ita reſpectu motus eſt numerus numerans, quæ omnia ampliùs ſuo loco patebunt.

Secunda difficultas in hac quæſtione examinanda erat de motu, an ſit ſpecies quantitatis, pro cuius intelligentia aduertendum eſt, quòd motus nihil aliud eſt, quàm via ab vno termino ad alium, qua ratione motus localis eſt via ab vno loco ad alium, vt frigefactio eſt via à calore ad frigus, de quo latius 3. Phyſic.

Secundò notandum eſt, quòd in hoc motu poteſt imaginari quadruplex extenſio. Prima eſt ratione ſubiecti, in quo eſt: nam omne accidens corporeum eſt diuiſibile, & extenſum per accidens ratione ſubiecti, in quo eſt; qualiter albedo eſt extenſa per totum corpus.

Secundò, etiam motus eſt extenſus per accidens ratione ſpatij, qua ratione motus localis habet extenſionem ratione ſpatij, quia fit per ſpatium diuiſibile. Tertiò habet motus extenſionem ratione termini, qua ratione calefactio fit ſucceſſiuè, quia calor, qui per eam acquiritur, extenſionem habet ſecundum quam paulatim acquiri poteſt: & certum eſt has tres extenſiones conuenire per accidens motui ratione ſpatij, ſubiecti, & termini, atque adeò ſecundum has extẽſiones non pertinet motus ad hoc prædicamentum. Quartò ergo motus habet extenſionem propriã, quia aliqui ſunt motus, qui ex ſua propria eſſentia ſunt ſucceſſiui, vt motus localis, & ita habent propriam extenſionem, & ſucceſſionem.

Et quòd hoc ita ſit dicendum, probatur, quia vbi ſunt propria continuatiua, neceſſarium eſt, quod

Digitized by Google

habeat proprias partes, quæ per illa continuatiua copulentur; ſed motus habet propria continuatiua diſtincta ab alijs, quę communiter appellantur mutata eſſe, ita quòd ſicut partes temporis copulantur inſtantibus, ita partes motus copulantur mutatis eſſe: ergo motus habet proprias partes, & ita propriam extenſionem.

Et ſi obijcias: Nam motus in tantum habet extenſionem, inquantum terminatur ad terminum diuiſibilem: nam ſi calor, qui acquiritur per calefactionem, non eſſet diuiſibilis, calefactio, quę ad illum terminum terminatur, non poſſet eſſe diuiſibilis, quia terminus indiuiſibilis indiuiſibili actione acquiritur: ergo nunquam habet propriam extenſionem motus, ſed tantum ratione termini. Reſpondetur, aliud eſſe, habere extenſionem ab alio, aliud verò in ordine ad aliud, vt antea dicebā de tempore: ſic ergo quamuis motus habeat propriam extenſionem, nihilominus habet illam ordinatam ad terminum, quia motus natura ſua reſpicit terminum, tamen non habet illam à termino, quia ſicut habet propria continuatiua diſtincta ab alijs, ita habet propriam extenſionem, & proprias partes illius continuatas.

Et ſi inſtes: Nam Ariſtot. in hoc capite appellat motum quātum per accidens, qualiter, inquit, appellamus actionem breuem, vel longam, quia menſuratur tempore longo, vel breui. Reſpondetur, quòd hic Ariſtot. non conſiderat motum ſecundum propriam extenſionem, quam habet, ſed ſecundum extenſionem, quam accipit à tempore: qua ratione nos menſuramus motum per tempus, & ſecundum hanc extenſionē appellat motum quantum per accidens, quia menſuratur tempore longo, & breui.

Quo iacto fundamento dicendum eſt in hac definitione, quod quamuis motus habeat propriam extenſionem, tamen non ponitur directè in hoc prædicamento. Sic tenet ferè omnis interpretum ſententia. Et ratio eſt, quia in prædicamento directè tantum ponuntur entia completa; ſed motus eſt ens incompletū, quia natura ſua eſt via, & acquiſitio alterius: ergo non ponitur directè in hoc prędicamento.

Et ſi obijcias: Nam etiam eſt via ad terminum actio; ſed nihilominus actio directè ponitur in prædicamento actionis: ergo & motus debet directè poni in hoc prædicamento.

Reſpondent aliqui communiter, quod actio, vt actio, non eſt via, quia via neceſſario eſt inter duos terminos, à quo, & ad quem: actio autem ſub nomine actionis tantum dicit ordinem ad agens, non verò ad terminum: motus autem tantum dicit

cit ordinem ad terminum, inquantum motus eſt, quia vt ſic, eſt via ad terminum; & ita actio, vt actio eſt, non eſt aliquid incompletum. Verumtamen hæc ſolutio inintelligibilis eſt, quia actio, vt actio, eſſentialiter eſt productio: ergo eſſentialiter eſt via ad terminum, ita vt non ſolum reſpiciat agens, ſed terminũ productum: ergo actio, vt actio, eſt aliquid incompletum.

Secundò, quia actio eſt abſtractum, eo quod eſt forma quædam accidentalis, ſicut albedo; ſed omnia abſtracta ſunt entia incompleta, vt probatum eſt ſuprà diſputatione de prædicamento in communi: ergo actio, vt actio, eſt aliquid incompletum. Quare in noſtra ſententia facilius reſpondetur, quòd actio eſt aliquid incompletum; & ita directè non ponitur in prædicamento, quia abſtracta directè non ponuntur in prædicamento, ſed cõcreta, vt ibi probatum eſt.

Sed dubitabit aliquis, an ſaltem reductiuè ponatur motus in prædicamento hoc. Reſpondetur, quod ſi motus conſideretur ſecundũ propriam extenſionem, quam habet, ponitur in hoc prędicamento reductiuè in ſpecie temporis, eo quod eſt quantum ſucceſſiuũ, ſicut tempus, & continuum: ſi verò præcisè conſideretur, vt eſt via ad terminũ, ponitur reductiuè in prædicamento termini, ita quod ſi terminus fuerit qualitas, ponetur reductiuè in prædicamento qualitatis; & ſic de alijs prædicamentis.

DISPVT. III.

De ſpeciebus quantitatis diſcretæ.

POſt quantitatem continuam agendum reſtat de quantitate diſcreta, ſcilicet de numero, & oratione, de quibus ſuo ordine diſputandum eſt.

QVÆST. I.

Vtrum numerus ſit ſpecies quantitatis diſcretæ.

PRima ſententia affirmat, numerum non eſſe aliquid vnum, nec veram ſpeciem quantitatis. Sic tenent Albertus 8. Metaphyſ. cap. 8. Marſil. in 1. diſt. 27. art. 1. Gregor. diſt. 24. quæſt. 2. art. 2. & ferè omnes Nominales; & probabile nimis reputat Fonſeca. 4. Metaphyſ. cap. 8. quæſt. 4.

Et probari poteſt hæc ſententia, quia numerus componitur ex vnitatibus; ſed vnitates nihil ſunt, quia vnitas conſiſtit in carentia diuiſionis, vt diximus diſputatione prima de Vniuerſalibus: ergo totus ipſe numerus ex illis conflatus nihil erit.

Secundò, quia illud eſt verè vnum, quod habet veram vnionem in-

inter partes: nam vnum reſultat ex vnione partium; ſed partes numeri nullam habent inter ſe vnionem realem, quin potius ſunt diſcretæ, & diuiſæ: ergo numerus ex illis conflatus non eſt aliquid verè vnum, atque adeò non eſt ſpecies quantitatis.

Neque valet dicere, quòd partes numeri, quæ ſunt vnitates, ſaltem habent inter ſe vnitatem ordinis, inquantum hæc eſt prima, illa vltima. Nam contra hoc eſt, quia inter vnitates numeri, quod hæc ſit prima, illa vltima, pendet ex intellectu numerante hanc, vel illam in priori, aut poſteriori loco: ergo iam numerus haberet eſſe, & vltimum complementum ab intellectu, atque adeò non erit ens reale.

Tertiò, quia Ariſtot. 4. Phyſi. ait, quod ſi non eſſet intellectus numerans, non eſſet numerus: ergo numerus habet ſuum eſſe, & ſuum cõplementum ab intellectu: ergo eſt ens rationis.

Quartò, quia numerus ternarius componitur, verbi gratia, ex tribus lineis, aut ex tribus corporibus, quæ ſunt quantitates completæ, & entia in actu; ſed ex pluribus entibus in actu non fit vnum per ſe, ſed per accidens: ergo numerus eſt vnum per accidens, atque adeò non ponitur in hoc prædicamento.

Verumtamen vt res hæc exactè intelligatur, & plura, quæ in hac re diffusè nimis tractari ſolent, breuiter comprehendamus, aduertendum eſt, quod numerus eſt triplex: alius eſt numerus numerans, & eſt ipſe intellectus, vel id, quod aliud numerat, quod ſatis impropriè appellatur numerus: alius eſt numerus numeratus, & ſunt res ipſæ numeratæ ab intellectu, & ita hic numerus diuagatur per omne prædicamentum; quia res cuiuslibet prædicamenti numerari poſſunt ab intellectu: alius eſt numerus numerabilis, & ſunt ipſæ vnitates diſcretæ, & diuiſæ, ac proinde aptæ, vt numerentur ab intellectu, & hic eſt numerus huius prædicamenti, de quo nunc agitur.

Secundò notandum eſt, quod numerus eſt triplex: alius eſt prædicamentalis, & eſt ille, qui componitur ex quantitatibus continuis huius prædicamenti: & appellatur prædicamentalis, quia tantum hic numerus ponitur in hoc prædicamento. Alius eſt numerus tranſcendentalis, & eſt ille, qui componitur ex rebus cuiuſcunque alterius prædicamenti à quantitate. Et ſimiliter vnitas eſt duplex: alia prædicamentalis, quales ſunt quantitates continuæ componentes numerum huius prædicamenti: alia eſt vnitas tranſcendentalis, quæ tranſcendit per omnia entia, cuiuſcunque prędicamenti: ſit

ti ſit: nam quodlibet ens appellatur vnum tranſcendentaliter: & hæc vnitas tranſcendentalis componit uumerum tranſcendentalem.

Tertiò notandum eſt, quod ad numerum prædicamentalem, de quo nunc agimus, aliquæ conditiones requiruntur. Prima eſt, quod componatur ex vnitatibus huius prædicamenti, & ita numerus trium ſubſtantiarum, vel qualitatum, aut relationum, non eſt numerus huius prædicamenri. Secunda conditio eſt, quod iſtæ vnitates, quæ ſunt vnitates componentes numerum prædicamentalem ſint inter ſe diſcretæ, & diuiſæ. Cuius ratio eſt, quia cum numerus ſit quantitas diſcreta, debet conſtare partibus diſcretis, & diuiſis; & ita numerus partium, quæ ſunt in continuo, quamuis illæ partes ſint quantitates, non efficiunt numerum prædicamentalem, quia illæ partes ſunt continuæ, & non diuiſæ. Tertia conditio eſt, quod iſtæ quantitates componentes numerũ, ſint quantitates permanẽtes. Et ratio eſt, quia numerus eſt quantitas permanens, in quo diſtinguitur ab oratione: nam illa eſt quid ſucceſſiuum, vt poſteà dicemus; & ita multitudo temporum, aut motuum, non eſt numerus prædicamentalis, quia tempus, & motus ſunt quantitates ſucceſſiuæ.

Sed circa primam conditionem dubitabit aliquis, quare numerus prædicamentalis neceſſario requirat componi ex vnitatibus huius prædicamenti, ita vt numerus trium ſubſtantiarum, vel trium qualitatum, non poſſit eſſe numerus huius prædicamenti. Reſpondetur, rationem eſſe, quia eſſentia quantitatis, vt ſuprà vidimus, non eſt quomodocunque habere partes: nam etiam ſubſtantia habet partes integrantes; vt probatum eſt: ſed eſt habere partes extra partes, id eſt, quarum vna petat natura ſua diſtantiam, & extenſionem extra aliam, & hoc ſolum poſſunt habere partes quantitatiuæ: nam quæ non habent quantitatem, vt duæ ſubſtantiæ, vel tres qualitates ex natura rei ſunt penetrabilia, qua ratione albedo, & dulcedo, quæ ſunt qualitates, penetrantur in lacte: ſolus ergo numerus partium quãtitatiuarum eſt numerus huius prædicameuti.

Sed dubitabis ſecundò, an ſaltem numerus trium ſubſtantiarum ſit ponendus in prædicamento ſubſtantiæ, & numerus trium qualitatum in prædicamento qualitatis: & ſic de alijs.

Ratio dubitandi eſt, quia numerus prædicamentalis ponitur in eodem prædicamento, in quo ponuntur eius partes, nempè quantitates continuæ: ex quibus componitur: ergo etiam numerus ſubſtantiarum debet eſſe alia ſpecies ponibilis in

Digitized by Google

prædicamento ſubſtantiæ: & ſic de alijs. Reſpondetur tamen, illum numerum non poni in determinato prædicamento, ſed tranſcēdere per omnia prædicamenta. Ratio eſt, quia dualitas, ſiue ſit in ſubſtantijs, ſiue in qualitatibus, non variat eſſentiam dualitatis, ſicut albedo in homine, & in equo, non diſtinguuntur ſpecie, ita quod illa dualitas, ſiue ternitas, ſiue ſit in ſubſtantijs, ſiue in qualitatibus, non variat eſſentiam numeri, & ita eſt quid tranſcendens per omnia prædicamenta: at verò numerus dicit partialem rationem pertinentem ad hoc prædicamentum, eſſe ſcilicet quantitatem diſcretam, per quam diſtinguitur à quantis continuis, ex quibus componitur, & ita habet peculiare prædicamentum, quod non habet numerus tranſcendentalis.

His ſuppoſitis, ſit concluſio in hac quæſtione: Numerus eſt quantitas diſcreta directè ponibilis in hoc prædicamento: quam tenet expreſsè Ariſt. in hoc cap. dum enumerat numerum inter ſpecies quantitatis diſcretæ; quem communiter expoſitores ſequuntur. Et ratio eſt, quia eſſentia quantitatis diſcretæ eſt habere extenſionem, ſeu partes extra partes; ſed numerus habet partes extra partes, nempè vnitates, quæ ſunt quantitates continuæ, quarum vna eſt extra aliam, vt patet in tribus lineis, aut tribus corporibus, quæ efficiunt numerum ternarium: ergo numerus quantitas eſt. Quòd verò ſit quantitas diſcreta, probat in hoc capite Ariſtoteles, quia quantum diſcretum eſt, cuius partes non copulantur termino communi, ſed partes numeri, quæ ſunt vnitates, verbi gratia, tres lineæ, aut triā corpora, non copulantur aliquo termino communi, ſed potiùs ſunt diſcontinua: nam ſi ſunt vnum corpus, non efficiunt numerum: ergo numerus eſt quantitas diſcreta.

Ex dictis poteſt colligi definitio numeri, quæ eſt in hunc modum. *Numerus eſt quantitas diſcreta integrata ex pluribus quantis continuis permanentibus*, per quam vltimam particulam differt ab oratione, hæc enim integratur ex pluribus quantis continuis ſucceſſiuis; & ita eſt quantum ſucceſſiuum.

Sed contra concluſionem obijci poteſt: nam diuiſibilitas eſt paſſio quantitatis; ſed numerus non eſt diuiſibilis: ergo non eſt quantitas. Quod non ſit diuiſibilis, probatur, quia numerus eſt iam diuiſus in ſuas vnitates: ergo non eſt diuiſibilis. Reſpondetur, numerum eſſe diuiſibilem, & habere potentiam ad diuiſionem, non quidem potentiam ſeparatam ab actu, vt argumentum probat, ſed incluſam in ipſo actu, ſicut ens actu exiſtens etiam eſt poſſibile, poſſibilitate tamen reducta ad actum, & non ſeparata ab actu exiſtendi.

Super-

Digitized by Google

Supereſt reſpondeamus ad argumenta in contrarium adducta, vbi dubitationes aliquas incidentes explicabimus: & quidem primum argumentum eam petit difficultatem, vtrùm vnitas prædicamentalis dicat aliquid poſitiuum ſupra ipſum quātum continuum, quod denominatur vnum.

In qua re certum eſſe debet, quod vnitas tranſcendentalis non conſiſtat in aliquo poſitiuo, ſed potiùs negatiuo: quia (vt vidimus ſuprà diſputatione prima de vniuerſalibus) vnitas tranſcendentalis nihil aliud eſt, quàm carentia diuiſionis: ſolùm ergo eſt dubium, quid addat vnitas prædicamentalis ſuprà ipſum quantum, quod eſt vnum.

In qua re prima ſententia eſt, vnitatem prædicamentalem addere ſupra quantitatem continuam aliquod accidens poſitiuum, ſcilicet eſſe principium numeri prædicamētalis. Sic tenet Capreolus in 1. diſtinct. 24. quæſtione vltima, Iauellus 4 Metaph. quæſt. 3.

Nobis tamen dicendum eſt, vnitatem prædicamentalem dicere aliquid poſitiuum, non tamen ſuperadditum eſſentiæ ipſius quantitatis continuæ, ſed eſſe ipſam eſſentiam quantitatis continuæ, ita quòd lineam aliquam eſſe vnam, nihil aliud ſit, quàm eſſe continuam, quod eſt de ſua eſſentia. Quæ ſententia placet Soto in hoc capite, quæſtione 2. & Durando in 1. diſtinctione 24. Et probatur primò ex Ariſt. 6. Phyſic. vbi ait vnum prædicamentale continuum eſſe, vbi iſtam vnitatem tribuere videtur continuitati.

Et ratione probatur, quia præciſè per continuationem partes quāti continui ſunt vnitæ: ergo efficiunt vnum: ergo talis vnitas nihil eſt ſuperadditum continuationi ipſius continui, quæ eſt ſua eſſentia.

Secundò, quia quod quantū cōtinuū ſit principium; & pars numeri, nihil reale addit ſupra illud, niſi fortè relationē principij ad principiatum, quæ non pertinet ad genus quantitatis, ſed ſupponit illam iam eſſe vnam: ergo talis vnitas prædicamentalis non eſt aliquid diſtinctum ab ipſa continuatione, quæ eſt eſſentia quanti continui.

Sed obijcies: Vnitas tranſcendētalis addit aliquid ſaltem negatiuum ſupra ipſum ens, quod denominat vnum: ergo vnitas prædicamentalis debet addere ſupra ipſum quantū, quod denominat vnum.

Secundò, quia vnitas tranſcendentalis includitur in vnitate prædicamentali, quia tranſcendit omnia; ſed vnitas tranſcendentalis dicit negationem: ergo etiam vnitas prædicamentalis debet dicere negationem.

Reſpondetur ad primum, eſſe diuerſam rationem, quia vnitas trāſcendentalis, cùm ſit paſſio entis, ſuppo-

ſupponit ipſum ens, & ita addit aliquid ſaltem negatiuum ſupra illud: at verò vnitas prædicamentalis non ſupponit ipſum quantum continuum, ſed eſt ipſa continuitas ipſius quantitatis.

Ad ſecundum, quod vnitas tranſcendentalis tranſcendit omnia, non quidem, quia ſit incluſa in eſſentia cuiuſlibet rei quia cum ſit negatio non poteſt includi in eſſentia rei poſitiuæ, ſed appellatur tranſcendentalis, quia reperitur in omnibus rebus, ſaltem vt paſſio conſequens eſſentiam; & ita non probatur, quòd includatur in eſſentia vnitatis prædicamentalis, ſed quòd ſit paſſio cõſequens ad illam; & ita quantum cõtinuum conſequenter dicit carentiam diuiſionis: tamen primariò dicit aliquid reale.

Ex dictis ergo patet ſolutio illius primi argumenti: reſpondetur enim, quod quamuis vnitas tranſcendentalis dicat aliquid negatiuum, tamen vnitas prædicamentalis dicit aliquid reale poſitiuum; & ita numerus prędicamentalis conflatus ex talibus vnitatibus eſt aliquid reale poſitiuum.

Secundum argumentum eam petit difficultatem, qualiter vnitates numeri, quæ inter ſe diſcretæ ſunt, & diuiſæ, poſſint efficere vnum numerum, qui reuera ſit vnum per ſe, & non aggregatum per accidens, vt aceruus lapidum, quod non paruam habet difficultatem.

In qua re prima ſententia affirmat, vnitates, quæ ſunt in numero, efficere vnum per ſe, quia ſe habent ſicut materia, & forma, ita quod in numero vltima vnitas ſit veluti forma numeri, aliæ verò vnitates ſe habeant vt materia, quæ determinatur ad eſſe talis numeri per vltimam vnitatem, veluti formam aliquam; & quia ex materia, & forma ſit vnum per ſe; ideò aſſerunt, numerum eſſe vnum per ſe.

Quòd verò vltima vnitas ſit forma numeri probant, quia illud eſt forma rei, quod tribuit illi determinatam ſpeciem, qua ratione albedo eſt forma albi, quia ponit album in determinata ſpecie; ſed vltima vnitas tribuit numero determinatam ſpeciem, quia ſi duabus vnitatibus aduen iat alia tertia, per illam vltimatè ſit ſpecies numeri ternarij: ergo vltima vnitas eſt forma numeri. Quam ſententiam tenet Capreolus in 1. diſtinction. 24. quæſtione 1. Iauellus 4. Metaphyſic. quæſtione 10. Maſius hic ſectione 1. quæſtione 1. & plures alij.

Sed hæc ſententia falſa eſt, quia hic numerus ternarius debet habere formam determinatam à parte rei, ſicut ipſe numerus eſt ens reale exiſtens à parte rei; ſed à parte rei, nulla eſt vnitas determinata vltima: ergo vltima vnitas non eſt forma numeri. Probatur minor, inter inter tres vnitates omninò æquè perfectas,

fectas, quales poſſunt creari à Deo, non eſt maior ratio quare vna ſit potiùs vltima, quàm alia, nam quælibet poteſt numerari ab intellectu vltimo loco, præſertim, quod hoc iam dicit dependentiam ab intellectu, numerus autem eſt ens reale independens ab intellectu: ergo vltima vnitas non eſt forma numeri.

Et ſi dicas à parte rei in ternario eſt tertia vnitas, ſed tertia eſt vltima: ergo à parte rei eſt aliqua vltima vnitas. Reſpondetur, quòd à parte rei nulla eſt vltima, neque tertia, quia hoc iam dicit enumerationem intellectus, ſed ſolùm eſt aliqua vltima in potentia, quia poteſt numerari ab intellectu vltimo loco.

Secundò probatur, quia vltimum, vt vltimum, dicit relationem ad primum: ergo vltima, vt vltima, eſt quid relatiuum: ergo non poteſt conſtituere numerum, qui eſt quantitas abſoluta.

Et ſi reſpondeas, quod forma numeri non eſt vltima, vt vltima relatiuè, ſed pro fundamento illius relationis vltimitatis. Cõtra eſt, quod quælibet vnitas poteſt eſſe fundamentum illius relationis vltimitatis, quia quælibet poteſt numerari vltima: ergo iam quælibet vnitas eſſet forma numeri, quod eſt ridiculum.

Vnde ad argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, quod per vltimam vnitatem præcisè non conſtituitur numerus in ſuo eſſe, ſed quia ſimul cum illa aduenit ipſa forma numeri, quæ eſt talis, vel talis diſcretio, quæ in ternario dici poteſt ternitas, in quaternario quaternitas, & ſic de alijs.

Hac ergo relicta ſententia dicendum nobis eſt, numerum eſſe vnum per ſe, quia quamuis vnitates numeri non habeant inter ſe aliquam Phyſicam vnionem, tamen omnes ſimul ſe habent tanquam materia reſpectu formæ numeri, quæ eſt diſcretio, nam illa diſcretio, eſt veluti quædam forma, quæ eſt in ipſis vnitatibus diuiſis, quæ, vt dixi, in ternario dicitur ternitas, in quaternario quaternitas, & ſic de alijs, vnde quia in numero eſt veluti quædam compoſitio ex materia, & forma, ideò eſt vnum per ſe: neq; inquirenda eſt in numero tanta vnio Phyſica, qualis reperitur in quanto continuo, iam enim nõ eſſet quantum diſcretum, ſed continuum.

Secundò, etiam habet numerus compoſitionem ex genere, & differentia, nam in numero eſt ratio generica quantitatis, & etiam ratio differentialis talis quantitatis: inter has ergo compoſitiones, quas habet numerus, verè eſt vnum per ſe.

Et per hæc patet ſolutio ad ſecũdum argumentũ ſuprà adductum. Reſpondetur enim, quod quamuis inter vnitates numeri, non ſit aliqua Phyſica vnio, tamen ipſæ habẽt

inter ſe quandam diſcretionem, quę eſt forma numeri, & ideò efficiunt cum illa vnum per ſe.

Ad tertium reſp. quod quando Ariſt. ait, quod ſi non eſſet intellectus numerans, non eſſet numerus, intelligendum eſt quantum ad ordinem prioris, & poſterioris, quia hic ordo ponitur ab intellectu in numero, tamen numerus, quantum ad ſuam eſſentiam, aliquid reale eſt independens ab intellectu.

Ad quartum reſpondetur, quod quamuis quantitates continuæ, ex quibus componitur numerus, ſint entia in actu, & perfecta in genere quanti continui, tamen in genere quanti diſcreti qualibet eſt ens incompletum, & partiale componens ſimul cum alijs vnum quantum diſcretum.

QVÆST. II.

Vtrùm numerus ſit ſpecies infima, vel potiùs ſubalterna.

PRima ſententia affirmat numerum eſſe ſpeciem infimam, ita quòd omnes numeri differant ſola differentia indiuiduali, cuius fundamentum eſt. Primò, quia ternarius v.g, & quaternarius ſolum differunt, ſecundum magis, & minus, & non variant ſpeciem, vt videre eſt in quantitate continua; nam ex eo, quod vna linea habeat plures partes, quam alia, non differt ſpecie ab illa: ergo neque vnus numerus differt ſpecie ab alio.

Secundo, quia numeri poſſunt multiplicari in infinitum: ergo ſi inter ſe differunt ſpecie, poſſet dari proceſſus in infinitum. Quam ſententiam tenet Auguſ. Nyphus in ſuo Dilucidario, & plures alij, & eſt res ſatis probabilis.

Nihilominus oppoſitam ſententiam tuentur communiter expoſitores, ſcilicet nnmerum in cõmuni non eſſe ſpeciem infimam, ſed ſubalternam, ita vt ſub numero in communi contineantur plures ſpecies numeri, ſcilicet ternarius, quaternarius, &c. Sic tenet Sotus, & Maſius, & alij fere omnes expoſitores in hoc capite, & non nihil fauet Ariſt. 1. Meta. vbi ait, quod bis tria non ſunt ſex, quod ſi intelligatur materialiter, eſt falſum; nam in duobus ternarijs includuntur ſex vnitates, quæ faciunt numerum ſenarium: ergo loquitur formaliter, quaſi dicat, duos ternarios ſpecie differre à numero ſenario: ergo numeri inter ſe ſpecie differunt. Et ratione probatur, quia ſicut ſe habent in figura triangulus, & quadrangulus, ita ſe habent in numero ternarius, & quaternarius in ratione numeri. Secundò, quia illa, quæ differunt forma, differunt etiam ſpecie; ſed numerus ternarius, & quaternarius differunt forma: ergo etiam differunt

Digitized by Google

runt ſpecie. Maior patet; nam ideò album, & dulce differunt ſpecie, quia habent diuerſas formas, albedinem ſcilicet, & dulcedinem. Minor verò probatur, nam diuerſa forma eſt ternitas, quæ dat eſſe ternario, & quaternitas, quæ dat eſſe quaternario: ergo numerus ternarius, & quaternarius differunt forma, atque adeò ſpecie: ergo numerus in communi eſt ſpecies ſubalterna, non verò infima.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum negando, quod ternarius, & quaternarius, tantum differant per magis, & minus ſicut magnum, & paruum, ſed etiam differunt per diuerſas formas, quæ eſt ternitas, vel quaternitas, & ita eſt diuerſa ratio de quantitate continua: nam quod lineæ aliquid addatur, non variat eſſentiam lineæ, quæ eſt longitudo, quia ſemper manet longitudo: at verò in numeris per additionem nouæ vnitatis aduenit etiam noua forma, ſcilicet ternitas, vel quaternitas.

Ex quo infero, quod ternarius linearum & ternarius corporum nõ differunt ſpecie, quia quamuis differant ex parte materiæ, quæ ſunt vnitates, tamen forma, nempe ternitas eiuſdem ſpeciei eſt vtrobique.

Ad ſecundũ verum eſſe, quod in ſpeciebus numeri poteſt progredi in infinitum in potentia, id eſt poſſunt dari plures, & plures, tamen nunquam dabitur numerus in infinitum in actu, & hoc nullum eſt inconueniens, quia certum eſt, quod qualibet data ſpecie, poteſt Deus aliam perfectiorem facere, nunquam tamen poteſt dari vltima infinitè perfecta, ſed qualibet data poteſt dari alia, & alia perfectior: ſic in numeris. Et hæc de hac quæſt.

QVÆST. III.

Vtrùm oratio ſit ſpecies quantitatis diſcretæ.

HÆc quæſtio ſuppoſitis, quæ de numero dicta ſunt facilem habet ſolutionem, eſt enim oratio maxime ſimilis numero, qui eſt numerus temporum.

Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod oratio multis modis ſumitur: nam apud Theologos ſumitur oratio pro quadam eleuatione mentis ad Deum, quæ eſt actus quidam intellectus. Secundò ſumitur apud Rhetores pro inſtrumento quodam, apto ad ſuadendum, vel diſſuadendum, laudandum, vel vituperandum. Tertiò ſumitur apud Summuliſtas pro pluribus dictionibus congrue ſe habentibus. Tandem quartò ſumitur ab Ariſt. in hoc capite pro qualibet diſtinctione ſignificatiua, ſiue non ſignificatiua, qua ratione hæc dictio, Dominus, appellatur oratio.

Secundò notandum eſt, quod in

Digitized by Google

in hac oratione, Dominus, vel quauis alia multa poſſunt conſiderari: nam primò reperitur aër verberatus ex prolatione, quæ fit mediante percuſſione linguæ cum palato, qui aër cum ſit ſubſtantia, pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ. Secundò reperitur ſonus quidam factus mediante tali verberatione aëris, qui ſonus cum ſit qualitas, pertinet ad prædicamentum qualitatis. Tertiò reperiuntur ipſæ prolationes, ſeu verberationes aëris, quæ ſunt verberationes ipſius linguæ. Quartò reperiuntur quædam durationes ſeu tempora, quæ ſunt ſubiectiue in illis motibus, & illos menſurant, nam vt oſtendemus in Phyſica, in quolibet motu eſt ſua intrinſeca duratio, & proprium tempus, quo menſuratur, & quia hæc tempora conſumpta in his prolationibus parua ſunt, ideò iſta tempora morulæ appellari ſolent, ex quibus morulis, vt dicemus, componitur oratio, quæ eſt quantitas diſcreta huius prædicamenti.

His ſuppoſitis prima ſententia affirmat orationem non eſſe ſpeciem quantitatis. Ita tenent Doctores Louanienſes in hoc capite, & fundamentum eſſe poteſt, in Ariſt. 5. Met. cap. 13. vbi enumerans ſpecies quantitatis non meminit orationis: ergo non eſt ſpecies quantitatis. Poſſent etiam hic accomodari aliqua argumenta, quæ in ſimili de numero iam ſunt à nobis facta & ſoluta.

Quare vera, & communis ſententia hac in re nobis tenenda eſt, orationem eſſe ſpeciem quantitatis diſcretæ, eam enim expreſsè tenet hoc cap. Ariſt. enumerans orationem inter ſpecies quantitatis diſcretæ: eandem tenet S. Thom. opuſc. 8. c. 2. & in hoc cap. communiter expoſitores, vt Sot. Tolet. & Maſi.

Et ratione probatur, quia eſſentia quantitatis eſt habere extenſionem, & partes extra partes, ſed oratio, quę eſt multitudo temporum, vt dicemus, habet partes extra partes, quæ ſunt ipſa tempora, & morulas ex quibus componitur, ſicut numerus compoſitus ex quantis continuis permanentibus: ergo eſt ſpecies quantitatis. Quod verò ſit quãtitas diſcreta probatur, quia eius partes non copulantur termino cõmuni, vt ſtatim dicam.

Sed dubitabit aliquis an oratio componatur ex ipſis prolationibus, ſeu motibus, vel potiùs ex morulis conſumptis in talibus prolationibus, ita vt in præſentia appelletur oratio multitudo morularum, ſibi ſuccedentium, vel potiùs multitudo prolationum, quæ ſunt quidam motus inter ſe diuiſi, & diſcreti.

Reſpondeo orationem non componi ex motibus, qui ſunt prolationes ipſæ, ſed potiùs ex morulis,

Digitized by Google

lis, quæ conſumuntur in illis prolationibus. Ratio eſt, quia numerus prędicamentalis ſolum componitur ex quantis continuis permanentibus, quæ ſunt quantitates huius prędicamenti, v ſuprà viſum eſt: ergo etiam oratio, quæ eſt quantitas diſcreta ſucceſſiua, ſolum debet componi ex quantis continuis ſucceſſiuis huius prædicamenti, ſed motus non ponitur directè in hoc prædicamento: ergo oratio non componitur ex motibus, ſeu prolationibus, ſed ex morulis, quæ ſunt quædam tempora ſucceſſiua: vnde quãdo Ariſt. in hoc cap. appellat ſyllabas partes orationis, non eſt intelligendus de ſyllaba ſumpta pro prolatione, ſed pro morula, quæ in illa conſumitur.

Eſt tamen aduertendum, quod ad orationem, quæ ſpecies quantitatis diſcretæ eſt, aliquæ conditiones requiruntur, vt ſuprà dicebam in ſimili de numero. Prima conditio eſt, quod componatur ex quantis continuis huius prædicamenti, quia, vt probatũ eſt ſupra, de eſſentia quantitatis eſt, quod habeat partes extra partes, quarum vna petat eſſe extra aliam, ſola autem quantitas, quia dicit extenſionem, habet hoc: ergo oratio debet componi ex quantis continuis huius prædicamenti, & ita multitudo inſtantium non facit orationem, ſicut neque multitudo punctorum facit numerum prædicamentalem, quia inſtans, & punctum nõ ſunt quantitates, cum ſint prorſus indiuiſibilia, ſed potius ſunt continuatiua partium quantitatis.

Secunda conditio eſt, quod iſtæ quantitates continuæ ex quibus oratio componitur ſint ſucceſſiuæ. Ratio eſt, quia oratio eſt quid ſucceſſiuum: ergo debet conſtare partibus ſucceſſiuis; in quo diſtinguitur à numero: nam numerus componitur ex quantis permanentibus, vt ex tribus lineis, vel ex tribus corporibus, & ita numerus eſt quantitas permanens, oratio autem ſucceſſiua.

Tertia conditio eſt, quod iſtæ quantitates ſucceſſiuæ, quæ componunt orationem ſint inter ſe diſcretæ, & diuiſæ. Ratio eſt, quia oratio eſt quantitas diſcreta, alias non differret à tempore, quia tempus eſt quantum continuum ſucceſſiuum; ſed quantitas diſcreta debet habere partes diſcretas non copulatas termino aliquo communi: ergo talibus partibus debet conſtare oratio, & ita tres, vel quatuor dies continui non faciunt orationem, ſed vnicum tempus continuum, quia vnus dies habet continuitatem cum alio, nam inſtans illud, quod eſt finis vnius diei eſt initium diei ſequentis; ſola ergo multitudo temporum diſcretorum facit orationem, qualia ſunt, quæ conſumuntur in motibus diſcontinuis, quales ſunt morulæ conſum-

Digitized by Google

ptæ in prolationibus huius orationis, Dominus, nam ſicut ipſæ prolationes diſcontinuæ ſunt, ita morulæ in illis conſumptæ diſcontinuę ſunt, & ita efficiunt, & componunt quantitatem diſcretam.

Ex quibus infero, quòd non ſolum multitudo temporum, quæ cōſumuntur in prolationibus faciunt orationem, ſed etiam, quæ conſumitur in quibuslibet alijs motibus diſcontinuis. Ratio eſt, quia illa multitudo temporum, quæ conſumitur in alijs motibus à prolatione diſtinctis, componit quandam quantitatem diſcretam, non numerum, quia numerus componitur ex quantis permanentibus: ergo ad orationem impertinens eſt, quod illæ morulæ conſumantur in prolationibus, vel in quibuslibet alijs motibus. Ariſt. autem poſuit exemplum, in oratione vocali tanquam in re magis nota, non tamen negat morulas in alijs motibus ſumptas, componere orationem.

Infero ſecundò, quod ad orationem impertinens eſt, quod illi motus, in quibus conſumuntur morulæ, habeant conſonantiam, vel non, quia conſonantia eſt quidam ſonus ordinatè factus, ſonus autem qualitas eſt, ſed qualitas eſt accidens qualitatis, & alterius prædicamenti: ergo impertinens eſt ad eſſentiam quantitatis.

Secundò, quia multitudo morularum, quæ conſumuntur in motibus non habentibus conſonantiam facit aliquam quantitatem diſcretam, non numerum, quia numerus non componitur ex morulis, ſed ex quantis permanentibus: ergo facit orationem, ergo ad orationem impertinens eſt conſonantia motuum.

Tertiò ex dictis infero, quod ſicut numerus eſt ſpecies ſubalterna, ita, vt ſub numero in communi ternarius, & quaternarius differant ſpecie, ita dicendum eſt orationem eſſe ſpeciem ſubalternam, ita vt multitudo trium morularum differat ſpecie à multitudine quatuor morularum; eſt enim æqua ratiò vtrobique. Tandem, ſicut de numero diximus, quod vltima vnitas nō eſt forma numeri, ſed talis, vel talis diſcretio, quæ eſt ternitas, vel quaternitas, ita dicendum eſt in oratione, quod vltima morula non eſt forma illius (quod ſimili ratione ſuaderi poteſt.) Sed talis, vel talis diſcretio ſucceſſiua. Denique de oratione eodem modo loquendum eſt, ſicut de numero, illa ſolum ſeruata differentia, quòd numerus componitur ex quantis continuis permanentibus, & ita eſt quid permanens, oratio verò componitur ex quantis diſcontinuis ſucceſſiuis, & ita eſt quid diſcretum, & ſucceſſiuum. Vltimò ex dictis colligitur, quæ ſit definitio orationis: poteſt enim definiri hoc modo:

Digitized by Google

modo: *Oratio eſt quantitas diſcreta ſucceſſiua ex pluribus temporibus diſcontinuis integrata.* Et hæc de quantitate dicta ſufficiant.

CAPVT DE RELATIONE.

INtentum Ariſt. in hoc capite eſt agere de relatione. Tria agit. Primò proponit definitionem relatiuorum ex ſententia antiquorum. Secundò adducit proprietates relatiuorum. Tertiò mouet quandam dubitationem, ratione cuius reijcit definitionem antiquorum, & aliam ex propria ſententia affert. Ad primam accedentes partem definitio relatiuorum ſecundum antiquos hæc eſt: *Relatiua ſunt, quorum hoc ipſo quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, vt maius ad minus, ſenſus ad ſenſibile.*

In ſecunda parte capitis adducit quatuor proprietates relatiuorum. Prima eſt habere contrarium, qua ratione virtus, & vitium relatiua ſunt, & tamen ſunt contraria. Hæc tamen proprietas, inquit Ariſt. non conuenit omnibus relatiuis, quia pater, & filius, ſunt relatiua, & tamen non ſunt contraria.

Secunda proprietas relatiuorum eſt ſuſcipere magis, & minus; qua ratione vnum eſt magis ſimile, quam aliud.

Tertia proprietas eſt dici ad conuertentiam, id eſt mutuo inter ſe differre, qualiter dicimus: Pater eſt filij pater, &, Filius eſt patris filius. Aliquando tamen, inquit Ariſt. vt relatiua rectè dicantur ad conuertentiam, opus eſt fingere aliquod nomen propter penuriam nominũ; v.g. non rectè dicimus: Ala eſt auis ala, quia multa ſunt, inquit, quæ habent alas, & non ſunt aues, vt muſcæ, quare fingendum eſt hoc nomẽ alatum, & ita rectè dicemus: ala eſt alati ala.

Quarta proprietas eſt, quòd ſint ſimul natura, nam ſtatim, quod eſt pater, eſt filius, & ſtatim quod eſt filius, eſt pater, & hæc proprietas, inquit, non conuenit omnibus relatiuis: nam ſcientia, & ſcibile ſunt relatiua, & tamen non ſunt ſimul natura, nam ſcibile eſt prius natura, quã ſcientia, quia obiectũ ſcientiæ præſupponitur ad ſcientiam: ſed ſcibile eſt obiectum ſcientiæ: ergo eſt prius ſcientia.

In tertia parte capitis proponit Ariſt. dubitationem, an aliqua ſubſtantia dicatur ad aliud, id eſt, ſit relatiua,

latiua,& inquit, certum eſſe, primã & ſecundam ſubſtantiam non dici ad aliud: nam Petrus, qui eſt prima ſubſtantia,& homo, qui eſt ſecunda; non dicuntur relatiuè ad aliud: ſolum, inquit, eſt dubitatio de partibus ſubſtantiæ,& inquit, quod ſi vera eſt definitio antiquorum, partes ſubſtantiales, vt caput, eſſent relatiuæ, nam caput dicitur alicuius capitati caput, quare, inquit, hæc definitio mala eſt, quia relatiua non tantum ſunt definienda per dici, ſed per eſſe. Vnde definit relatiua ex propria ſententia in hunc modum. *Relatiua ſunt, quorum totum ſuum eſſe, eſt ad aliud ſe habere, vt pater, & filius*: vnde colligit Ariſtot. quòd qui quidditatiuè cognoſcit vnum relatum, etiam quidditatiuè cognoſcit aliud, quia relatiua dicuntur ad aliud; & ita, inquit, quia caput, & manus, poſſunt quidditatiuè cognoſci, non cognito illo, cuius ſunt; ideò propriè non ſunt relatiua ſecundũ hanc definitionem, quæ tamen in priori definitione continebantur.

Circa literam capitis.

CIrca literam huius capitis primò aduertendum eſt, quod ſecundum naturæ ordinem priùs eſſet agendum de qualitate, quam de relatione, quia relationes plurimæ fundantur in qualitate, vt relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, & ita Ariſt.5.Metaph.c.14. & 15. hunc ordinem conſiderans, priùs egit de qualitate, quam de relatione: at verò in hoc loco conſiderat ordinem doctrinæ: nam cum in cap. ſuperiori mentionem feciſſet relatiuorum, dicens, quod magnum, & paruum nõ ſunt quantitates, ſed relationes, ideò doctrinæ ordo poſtulabat agere ſtatim de relatione, & explicare, quid ſint illa relatiua, quorum mentionem fecerat.

Secundò aduertendum eſt, quod quamuis communiter prędicamentum hoc inſcribi ſoleat *De relatione*, Ariſtot. tamen illud inſcribit de *Ad aliquid*; & meritò quidem, quia exactius explicatur eſſentia relatiuorum per hoc nomen Ad aliquid, quam per hoc nomen Relatio, quia in relatiuis duo poſſunt conſiderari, nempe relatio, & terminus, ad quem tendit, quorum vtrumque ſignificatur hac voce ad aliquid; nam illa particula, *Ad*, ſignificat relationem; illa particula, *Aliquid*, ſignificat terminum, relatio verò tantum dicit expreſsè ordinem, & non terminum.

Tertiò notandum eſt, merito Ariſtotelem reieciſſe definitionẽ antiquorum, quia conuenit relatiuis ſecundum dici, quæ non ponuntur in hoc prædicamento, vt poſtea dicemus, qualiter partes ſubſtantiæ ſunt relatiuæ ſecundum dici, tamen abſolutè ſunt aliquid abſolutum.

Quæ

Digitized by Google

Quæ verò ſint relatiua ſecundum dici, infra dicemus.

Quod verò illa definitio conueniat relatiuis ſecundum dici, patet, quia datur per dici, & quomodocunque ad aliud referri, qualia etiam ſunt relatiua ſecundum dici.

Hoc ſuppoſito in hoc cap. duo à nobis diſputanda ſunt. Primò de natura, & proprietatibus relationis in communi, ſecundò de ſpeciebus relatiuorum in particulari.

DISPVT. I.

De natura, & proprietatibus relationis in communi.

QVÆST. I.

Quæ ſit natura relationis, quæ ponitur in hoc prædicamento.

SVppono in hac re contra antiquos Philoſophos, quorum caput fuit in hac re Zeno, non ſolùm eſſe relatiua rationis, de quibus plura diximus tract. de Vniuerſ. & libr. Prædicabil. ſed etiam eſſe relatiua realia, quæ nullo operante intellectu ad aliud referuntur: nam ſecluſo omni intellectu eſt à parte rei ordo inter patrem, & filium. Et certũ eſt, relationem rationis non pertinere ad hoc prædicamentum, quia in his prædicamentis (vt ſuprà vidimus) ſolum ponuntur entia realia; & ita relationes rationis ſolum ponuntur in prædicamento entis rationis, nunc enim ſolum agimus de entibus realibus: vnde minus benè Caiet. 1. p. q. 18. concedit in hoc prędicamento tam poni relatiua realia, quam rationis. Quod falſum eſſe, facilè conuinci poteſt, quia omnia, quæ ponuntur in hoc prædicamento, debent conuenire vniuocè in genere generaliſſimo illius prædicamenti; ſed enti reali, & rationis nihil poteſt dari commune vniuocum (vt ſuprà viſum eſt) ergo in hoc prædicamento ſolum ponuntur relatiua realia, non verò relatiua rationis.

Et ſi dicas: Relatiua huius prædicamenti definiuntur ab Ariſt. *Relatiua ſunt, quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere*: ſed totum eſſe relatiuorum rationis eſt ad aliud ſe habere, v. g. totum eſſe vniuerſalis eſt dicere ordinem ad inferiora: ergo hæc relatiua rationis ponuntur in hoc prædicamento. Reſpondetur, quod illa particula, *Totum eſſe*, poſita in hac definitione debet intelligi de vero eſſe, quale eſt eſſe reale, non verò de eſſe ficto, quale eſt eſſe entis rationis; & ita hæc definitio non cõuenit relatiuis rationis: & ita ſola relatiua realia ponuntur in hoc prædicamento, & non quæcunque, ſed creata: nam relationes increatæ, quæ ſunt in Deo, non ponuntur in hoc prædicamento, quia ſunt ſubſtantiæ, & ipſum eſſe Dei: in hoc ve-

rò prædicamento non ponitur ſubſtantia, ſed accidens, quod eſt relatio, quia nouem prædicamenta diſtincta à prædicamento ſubſtantiæ ſunt accidentia.

Suppoſito ergo, quod ſola relatiua realia ponantur in hoc prædicamento, adhuc eſt dubium apud authores, vtrum in hoc prædicamento tantum ponantur relatiua ſecundum eſſe, vel etiam relatiua ſecundum dici, & in explicanda differentia, quæ eſt inter hæc relatiua, multum laborant.

Primus modus dicendi eſt aſſerentium, relatiua ſecundum eſſe appellari, quæ in ſuo eſſe, & in ſua eſſentia includunt ordinem ad aliud; & ideò appellari ſecundum eſſe relatiua, relatiua verò ſecundum dici eſſe illa, quæ reuera in ſe abſoluta ſunt, tamen explicantur à nobis per relationem ad aliud, qualiter ſcientia explicatur per relationem ad ſcibile, quæ tamen in ſe aliquid abſolutum eſt, quia eſt qualitas de prædicamento qualitatis. Hanc ſententiam tenet Sotus hic quæſtio. 1. ad 1. Soncinas 5. Metaphyſic. quæſtione 30. Antonius Andreas 7. Metaphyſ. quæſt. 1. & plures alij. Hæc tamen ſententia falſa eſt, quia multa ſunt, quæ non pertinent ad hoc prædicamentum, quæ non ſolum explicantur per relationem ad aliud, ſed talem ordinem dicunt in ſua intrinſeca eſſentia, qualiter ordo ad ſubiectum eſt de intrinſeca ratione accidentis: ergo non ſolum relatiua ſecundum eſſe, quæ ſunt relatiua huius prædicamenti, ſed etiam relatiua ſecundum dici dicunt eſſentialem ordinem ad aliud, qualiter etiam ſcientia ex ſui eſſentia dicit ordinem ad ſcibile, quia non poteſt intelligi ſine tali ordine.

Secundus modus dicendi eſt, hoc differre inter relatiua ſecundum eſſe, quæ ſunt relatiua huius prædicamenti, & relatiua ſecundum dici, quæ ſunt res aliorum prædicamentorum: nam relatiua ſecundum eſſe, referuntur ad aliud, tanquam ad terminum, qui eſt ſimul natura cum illis: at verò relatiua ſecundum dici, quæ ſunt res aliorum prædicamentorum, referuntur ad aliud, tanquã ad aliquid prius, qualiter ordo accidentis ad ſubiectum eſt aliquid prius natura ipſo accidenti, quia omnia accidentia ex natura rei præſuppónunt ſuum ſubiectum; & talis relatio appellatur ſecundum dici. Ita tenet Caiet. de ente, & eſſentia, cap. 7. Cardin. Tolet. hic. q. 1. Iauel. 7. Metaph. quæſt. 1.

Sed neque hic modus dicendi placet. Primò, quia (vt ſuprà vidimus) omnia relatiua ſecundum eſſe referuntur ad aliud, vt abſolutum eſt, ſicut pater ſecundum ſuam entitatem abſolutam eſt prior filio: ergo etiam relatiua ſecundum eſſe referuntur ad aliquid prius.

Præte-

Digitized by Google

Præterea relatio effectus ad cauſam, eſt relatio ſecundum eſſe ponibilis in hoc prædicamento: & tamen effectus refertur ad cauſam, tanquam ad aliquid prius, quia omnis cauſa eſt prior natura ſuo effectu, quia cum omnia relatiua referantur ad extrema abſoluta, vt dictum eſt, quamuis cauſa relatiuè ſumpta non ſit prior effectu, quia cauſa relatiuè non eſt ſine effectu: tamen entitas abſolutè cauſæ, ad quam refertur effectus, prior eſt ipſo effectu ſecundum naturam: ergo hæc differentia nulla eſt.

Dicendum ergo nobis eſt, hoc differre inter relatiua ſecundum eſſe, quæ ponuntur in hoc prædicamento, & inter relatiua ſecundum dici, quod relatiua ſecundum eſſe referuntur ad terminum, prout exiſtentem à parte rei: qua ratione pater non refertur, niſi ad filium, qui actu exiſtit: at verò relatiua ſecundum dici referuntur ad terminum, etiamſi non exiſtat. Et quod hoc ita ſit dicendum, probatur, quia relatio realis huius prędicamenti debet eſſe inter extrema realia, & realiter exiſtentia: vt omnes admittunt, & poſtea probabitur. Hanc verò exiſtentiam termini non requirunt relatiua ſecundum dici, quæ ſunt res aliorum prædicamentorum, vt patet inductione; nam potentia, quæ eſt de prædicamento qualitatis, dicit ordinem ad obiectum, etiamſi illud non exiſtat: nam poſſet corrupto colore manere potentia viſiua. Similiter relatio accidentis ad ſubiectum, quæ diuagatur per omnia prædicamenta accidentium, non refertur ad illud, prout exiſtens: nam quantitas, quæ eſt ſine ſubiecto in Sacramento Euchariſtiæ, etiam dicit ordinem ad illud, etſi non exiſtens: nam ordo ad ſubiectum eſt de eſſentia accidentis: & ita quantitas ſeparata à ſubiecto, etiam dicit ordinem ad ſubiectum corruptum. Idem etiam patet de relatione ſecundum dici, quam dicunt actus ad obiecta, quæ non requirunt neceſſariò exiſtentiam obiecti: nam plurimi actus verſantur circa obiecta, quæ non ſunt. Et tandem in prædicamento ſubſtantiæ anima rationalis, quæ eſt pars hominis, dicit relationem ſecundum dici ad ipſum hominem, quod eſt ſuum totum, etiamſi iam homo corruptus ſit. Quorum omnium ratio eſt, quia iſtæ relationes ſecundum dici, ſunt de eſſentia rei, quæ refertur abſolutè loquendo, vt patet de relatione ad ſubiectum, quæ eſt de eſſentia accidentis. & ſic de alijs: & ita nō pendent ex extrinſeca exiſtentia termini.

His ſuppoſitis dico primò in hac quæſtione. Relatio, quæ ponitur in hoc prędicamento, eſt relatio ſecundum eſſe, non verò ſecundum dici. Hæc concluſio ferè communis eſt

inter omnes authores, eam enim tenent authores ſupra citati, qui diſtinguunt relationes ſecundum eſſe à relationibus ſecundum dici. Et eam expreſsè docet in hoc capite Ariſtoteles, dum reijcit ab hoc prædicamento partes ſubſtantiales, quæ dicunt relationem ſecundum dici ad ſuum totum.

Et ratione probatur, quia hoc prædicamentum eſt diſtinctum ab alijs: ergo in eo debent poni relationes, quæ non pertinent ad alia prædicamenta: ſed relationes ſecundum dici pertinent ad alia prædicamenta: ergo non ponuntur in hoc prædicamento, ſed tantum relationes ſecundum eſſe.

Probatur minor in exemplis iam adductis: nam ordo ad ſubiectum, qui eſt relatio ſecundum dici, eſt de eſſentia accidentis: ergo tranſcendit per omnia prædicamenta accidentium; & ita meritò iſtæ relationes ſecundum dici à pluribus appellantur tranſcendentales: ſi ergo iſtæ relationes ponerentur in hoc prædicamento, iam eſſet confuſio omnium prædicamentorum.

Secundò, quia quæ ponuntur in hoc prædicamento, debent conuenire vniuocè in genere generaliſſimo; ſed relationes ſecundum dici nihil habent commune vniuocum, in quo conueniant, quia diuagantur per omnia prædicamenta: rebus autem diuerſi prædicamenti nihil datur commune vniuocum, vt dictum eſt: ergo iſtæ relationes non ponuntur in hoc prędicamento, ſed relatiua ſecundum eſſe.

Ex dictis infero, quare iſtæ relationes tranſcendentales appellentur relationes ſecundum dici. Ratio eſt, non quia tantum conſiſtant in modo loquẽdi, & explicandi rem alias abſolutam, vt probatum eſt: nam reuera ſunt aliquid in re ipſa, qualiter ordo ad ſubiectum reuera eſt de eſſentia ipſius accidentis: ſed appellantur ſecundum dici, quia referuntur ad aliud, etiamſi non exiſtat: & quia non exiſtens, non eſt propriè aliquid, ſed dicitur, & ſignificatur per modum alicuius, ideò ipſa relatio eſt ſecundum dici, quaſi propriè non ſit ad aliud, verè tale, ſed dicatur ad aliud.

Infero ſecundò, quod illa regula Ariſt. *Qui quidditatiuè cognoſcit vnum relatiuum, quidditatiuè debet cognoſcere aliud*; non eſt intelligenda de relatiuis ſecundum dici, ſed ſecundum eſſe, quia cum relatiua ſecundum dici non pendeant ab exiſtentia termini, poſſunt cognoſci perfectè, quin cognoſcatur eius terminus: & ita Ariſt. in hoc cap. expreſsè docet poſſe cognoſci perfectè caput, quod eſt relatiuum ſecundum dici, quin cognoſcatur ille, cuius eſt caput in particulari: nam in generali neceſſarium eſt cognoſci aliquod capitatum, cuius eſt caput; ta-

men

men in relatiuis ſecundum eſſe, cognito vno relato perfectè, perfectè etiam debet cognoſci aliud in particulari, ad quod refertur, quia ſupponit rem illam, ad quam refertur, eſſe exiſtentem: qua ratione impoſſibile eſt cognoſci aliquam quantitatem eſſe duplam, quæ eſt relatio ſecundum eſſe, quin cognoſcatur alia reſpectu cuius appellatur dupla.

Sed objicies: Nam perfectè poteſt quis cognoſcere aliquem in particulari eſſe Petrum, quin cognoſcat filium in particulari, ad quem refertur. Reſpondetur verum eſſe quod terminus per ſe relationis patris non eſt hic, vel ille filius; ſed filius abſolutè, & quaſi vagè ſumptus; & ita non poteſt cognoſci hæc relatio, quin cognoſcatur eius terminus per ſe, qui eſt filius exiſtens à parte rei, tamen vagè ſumptus.

Infero tertiò ex dictis, quod relatio ſecundum dici in communi ſũpta eſt aliquid analogum, quia conuenit rebus diuerſorum prædicamentorum eſſentialiter, qualiter ordo ad ſubiectum diuagatur per omnia prædicamenta accidentium: vnde fit, quod generaliſſimum huius prædicamẽti ſit relatiuum reale ſecundum eſſe in communi, prout comprehendit omnia relatiua realia ſecundum eſſe, quæ reſpiciunt terminos, prout exiſtentes à parte rei.

Sed contra doctrinam iſtam objici poteſt: Nam ex hoc videtur ſequi, quod in hoc prædicamento ſint duo genera generaliſſima. Probatur ſequela, quia omne relatiuum debet habere diſtinctum aliud cõcretum, ad quod referatur, qualiter pater refertur ad filium: ergo relatiuum ſecundum eſſe in communi, quod eſt generaliſſimum huius prædicamenti, debet habere aliud correlatiuum, ad quod referatur. Tunc ſic, hoc relatiuum, ad quod refertur relatiuum in cõmuni, non eſt inferius illo, quia inferius, & ſuperius, cùm nõ ſint ſimul natura, non ſunt relata. Neque etiam poteſt eſſe ſuperius illo, propter eandem rationem, quia ſi non eſſent ſimul natura, atque adeò nec relata: ergo debet eſſe æquale cum illo: ergo iam ſunt duo generaliſſima.

Probo conſequentiam, quia inter duo extrema reſpicientia ſe æqualiter non eſt maior ratio, quare vnum ſit generaliſſimum potiùs, quàm aliud: ergo vel eſt vtrumque, vel neutrum; ſed non eſt dicendum, quod neutrũ ſit, quia hoc prædicamentum non haberet generaliſſimum: ergo vtrumque eſt, atque adeò hoc prædicamentum habet duo generaliſſima, quod eſt ridiculum.

Secundò, quia relatio, quæ ponitur in hoc prædicamento, debet eſſe accidens, quia in hoc prædicamen-

Digitized by Google

to non ponuntur ſubſtantiæ, ſed accidentia: ſi ergo relatio, quæ ponitur in hoc prædicamento, debet eſſe accidens: ergo debet dicere ordinem ad ſubiectum; ſed relatio ſecundum eſſe, vt ſic, non eſt ordo ad ſubiectum; ſed ordo ad terminum extrinſecum: ergo relatio ſecundum eſſe non ponitur in hoc prædicamento.

Propter primum argumentum, quod reuera difficile eſt, Scotus in prædicamentis, quæſtione 25. (vt hic refert Maſius) & alij veteres expoſitores aſſeruerunt in hoc prædicamento eſſe conſtituenda duo genera generaliſſima, quod tamen meritò ab omnibus reijcitur. Quia in primis eſt contra Porphyrium, capite de ſpecie, vbi dicit in quouis prædicamento eſſe vnicum generaliſſimum, ſub quo omnia contineantur: & etiam eſt contra rationem, quia ſi in hoc prædicamento, aut in quouis alio eſſent duo generaliſſima, non eſſet maior ratio, quare ſpecies inferiores eſſent ſub vno, quàm ſub alio, & ita eſſent ſub vtroque. Hoc autem eſt impoſſibile, quia reuera impoſſibile eſt, eandem ſpeciem ſub eadem ratione ſpecifica conſiderata contineri ſub duobus generaliſſimis, nam ſi hoc eſſet poſſibile, eadem res poſſet pertinere ad diuerſa prædicamenta.

Si verò reſpondeas, quòd vnum generaliſſimum continet quaſdam ſpecies, & aliud alias; cõtrà eſt, quod iam eſſent duo prædicamenta, & non vnum, quia eſſent duæ coordinationes ſpecierum in ordine ad ſummum genus ſupremum, in quo conſiſtit ratio, & eſſentia prædicamenti, vt ſuprà viſum eſt.

Quare, quia argumentum difficile eſt, varij varia reſpondent, Maſius in hoc capite, ſectio. 1. quæſt. 5. aſſerit, quod quamuis particularia relatiua, vt pater, habeant terminũ, ad quem referantur, tamen relatiuum in communi nullum terminum habet, quia continet omnia relatiua.

Sed hic modus dicendi planè falſus eſt, quia Ariſtoteles in hoc capite definit relatiua ſecundum eſſe, dicens: *Quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere*: ergo relatiuum ſecundum eſſe in communi, etiam debet referri ad aliud: ergo habet terminum, ad quem refertur.

Secundò, quia vel relatiuum reale in communi, refertur ad ſe ipſum, vel ad aliud; non ad ſe ipſum, quia eiuſdem ad ſeipſum non eſt relatio realis, de qua nunc loquimur: ergo refertur ad aliud: ergo habet terminum.

Secundus modus dicendi eſt Soti in hoc capite aſſerentis, quod relatiuum in communi non ideò appellatur relatiuum, quia ipſum in ſe exerceat relationem, ſed quia illam exercet

ercet

ercet in relatiuis, ſicut homo in cõmuni dicitur riſibilis, non quia ipſe prout in communi conſideratus poſſit exercere actum ridendi, ſed quia illum exercet in ſuis ſingularibus, & ita non opus eſt illi aſſignare terminum, ad quem referatur.

Sed neque hic modus dicendi placet, quia ſicut album denominatur ab albedine, ita relatum à relatione in communi: ergo etiam relatiuum in communi habet relationem ad aliud: ergo refertur ad aliud. Neque exemplum illud ſimile eſt, quia ridere eſt actio, actiones autem ſunt ſingularium, vt docet Ariſt. ita homo, prout in communi conſideratus, non poteſt ridere, ſed potiùs hunc actum exercet in ſingularibus, tamen relatio non eſt actio, alias pertineret ad prædicamentum actionis, ſed eſt alia forma diuerſa, quæ nõ conſiſtit in actione, & ita etiam poteſt tribuere ſuum effectum formalem ſubiecto in communi conſiderato, ſicut corpus in communi poteſt denominari, & non ſolum hoc corpus.

Quare ad argumentum reſpondetur verum eſſe, quod relatiuum in communi refertur ad aliud; & ita habet terminum, ad quem referatur, tamen ille terminus non conſtituit aliud generaliſſimum, quia non eſt aliquid vniuocum, ſed analogum abſtrahens à rebus diuerſorum prædicamentorum. Cuius ratio eſt, quia relatiua referuntur ad aliud extremum, prout abſolutum eſt, non verò prout relatiuum: hoc autem abſolutum abſtrahit à rebus diuerſorum prædicamentorum; quia relatio ſimilitudinis terminatur ad qualitatem: nam ſimilitudo attenditur ſecundum qualitates; relatio verò æqualitatis terminatur ad quãtitatem, quia æqualitas attenditur ſecundum quãtitatem, & quia rebus diuerſorum prædicamentorum, nihil aſſignatur commune vniuocũ, ſed analogum, ideò terminus in cõmuni abſtrahens ab his, ad quem refertur relatiuum in communi, eſt analogum, atque adeò conſtituit aliud generaliſſimum. Neque eſt aliquid relatiuum, quia omnia relatiua comprehenduntur ſub relatiuo in communi, quod refertur, ſed potiùs eſt terminus abſolutus, analogus tamen, & abſtrahens à rebus diuerſorum prædicamentorum.

Ad ſecundum argumentum ſuprà adductum, vt reſpondeamus, notandum eſt quod cum relatio quæ ponitur in hoc prædicamento ſit accidens, etiam dicit ordinem ad ſubiectum, qui eſt de intrinſeca ratione cuiuſlibet accidentis, qui ordo ad ſubiectum communiter appellari ſolet, *Eſſe in*, & quia relatio eſt accidens reſpectiuum, quia ordo ad aliud eſt, etiam habet eſſe ad terminum, quod appellatur, *Eſſe ad*. Itaque

que in relatione, & eſt, *Eſſe in*, & eſt, *Eſſe ad*: iſtæ tamen rationes ita ſe habent, quod, *Eſſe ad*, eſt modus vltimatè conſtitutiuus huius prædicamenti.

Eſt tamen aduertendum id, quod nos in dubium venire coëgit, vtrū, *Eſſe ad*, vt ſic, includat *Eſſe in*, tamen eſt prorſus falſum; Et ratio eſt, quia, *Eſſe ad*, vt ſic, qui eſt modus conſtitutiuus huius prædicamenti, eſt aliquid non ſubſtantiæ: ergo accidens; ſed de intrinſeca ratione accidentis eſt, *Eſſe in*: ergo, *Eſſe ad*, vt ſic includit etiam, *Eſſe in* quia eſt accidens.

Eſt deniq; aduertendum, quod, *Eſſe in*, cum ſit quædam ratio communis omnibus accidentibus abſolutis, & relatiuis ſecundum eſſe, abſtrahit ab abſoluto, & reſpectiuo, tamen, *Eſſe in*, prout incluſum, & contractum in *Eſſe ad*, eſt relatiuum, & non abſtrahens, quia, vt ſic, iam eſt contractum per modum reſpectiuum, ſcilicet per, *Eſſe ad*, & ita vt ſic, eſt reſpectiuum, ſicut ens prout cōtractum in ſubſtantia iam eſt ſubſtantia.

Vnde ad argumentum reſpondetur, quod, *Eſſe ad*, vt ſic, etiam dicit ordinem ad ſubiectum cum ſit accidens, tamen non ſiſtendo ibi, nam etiam dicit eſſe ad terminum, quia eſt accidens, reſpectiuum.

Patet ergo ex dictis hactenus in hac quæſtione, in hoc prædicamēto tantùm poni relationes reales ſecūdum eſſe, quæ maximè diuerſæ ſunt à relationibus ſecundum dici, quæ diuagantur per omnia prædicamenta, quamuis abſoluta, & ita non denominant res abſolutè relatiuas, qualiter relationes ſecundum eſſe, quæ in hoc prædicamento ponuntur, illas denominant abſolutè relatiuas, vt pater, & filius abſolutè ſunt relatiua: at verò relatiua ſecundum dici tantum ſunt relatiua cum addito.

QVÆSTIO II.

Quæ ſint proprietates relatiuorum.

POſt explicatam eſſentiam relatiuorum huius prædicamenti, eorum proprietates explicādæ ſunt, quas in hoc c. adducit Ariſt. Et quidem, prima proprietas relatiuorum eſt habere contrarium, quod non debet intelligi de contrarietate propria: nam ipſe Ariſt. cap. de quantitate ex eo probauit, magnum, & paruum propriè non eſſe contraria, quia ſunt relatiua: ergo quando in hoc cap. dicit proprium eſſe relatiuorum habere contrarium, non loquitur de vera contrarietate.

Pro quo notandum eſt, ex eodem Ariſt. cap. de oppoſitis, quod oppoſitio eſt quadruplex, alia enim eſt oppoſitio contradictoria, qua opponuntur forma, & negatio formæ,

Digitized by Google

vt videns,& non videns: alia eſt oppoſitio priuatiua, qua opponuntur forma, & ipſius formæ priuatio, vt cæcum,& videns: alia eſt oppoſitio relatiua,& eſt,qua opponuntur duo extrema relatiua, vt ſimile, & diſſimile: alia eſt oppoſitio contraria, quam cum diſtinguat Ariſt. ab oppoſitione relatiua, certum eſt non verſari inter extrema relatiua, ſed abſoluta, quæ ab eodem extremo mutuò ſe expellunt, & ſub eodem genere maximè diſtant, vt calor, & frigus: ergo relatiua propriè non poſſunt habere contrarium.

Eſt tamen aduertendum, quod quando Ariſt.in hac proprietate dixit,quod virtus, & vitium ſunt relatiua,non eſt intelligendum, quod ſint relatiua ſecundum eſſe, ſed potius ſecundum dici, quia virtus, & vitium, cum ſint quidã habitus,ſunt de prædicamento qualitatis, & ita non dicunt relationem ſecundum eſſe ponibilem in hoc prædicamento,ſed tantum ſecundum dici, quia dicunt ordinem ad ſua obiecta.

Secunda proprietas eſt ſuſcipere magis,& minus,quæ non ſolum debet intelligi in relatiuis ſecundum dici (vt aliqui volunt) qua ratione vnum accidens, quod eſt relatiuum ſecundum dici, eſt magis intenſum, quam aliud,ſed etiam debet intelligi in relatiuis ſecundum eſſe, vt optimè hoc loco notauit Tolet, quia re-uera Ariſt.poſuit exemplum in relatiuis ſecundum eſſe,qualiter,inquit, vnum ſimile,eſt magis ſimile, quam aliud,conſtat autem quod ſimile eſt relatiuum ſecundum eſſe, ponibile in hoc prædicamento.

Eſt tamen aduertendum, quod vt optimè docuit Tolet.& Caie.hoc capite, relatio non tantum recipit magis, & minus ratione fundamenti,in quo eſt, ſed etiam ratione ſui. Et probatur, quia poſſibile eſt ad diminutionem fundamenti augeri relationem :ergo ratione ſui ſuſcipit magis, & minus. Probatur antecedens,quia ponamus duo alba, quorum vnum ſit album, vt quatuor, aliud verò,vt octo, tantò magis augetur relatio ſimilitudinis inter illa extrema, quanto magis minuitur album, vt octo, quia illud extremum, quod minuitur, ſit magis ſimile alteri albo, vt quatuor : ergo iam diminuto fundamento, augetur relatio ſimilitudinis ; ergo relatio etiam ratione ſui recipit magis, & minus.

Tertia proprietas eſt dici ad conuertentiam, non quidem quod valeat conſequentia ab vno ad aliud, aut è contra, quia non valet; Eſt filius: ergo idem eſt pater: ſed dici ad conuertentiam, vt dicebam in explicatione textus, eſt, quod mutuo inter ſe referantur, vt ibi explicatum eſt.

Quarta proprietas eſt, quod ſint ſimul natura, quam explicabimus

Digitized by Google

infrà diſputantes, vtrum relatiua referantur ad extremum abſolutum, vel reſpectiuum.

QVÆST. III.

Quæ conditiones requirantur ad relationem realem huius prædicamenti.

IN hac re commune eſt ferè omnium axioma, relationem realem huius prædicamenti debere eſſe inter extrema realia, & realiter diuerſa, quod in præſenti quæſtione examinandum eſt. Dico ergo primò: relatio realis, ſiue ſit ſecundum eſſe, ſiue ſecundum dici, debet eſſe inter extrema realia. In qua concluſione omnes ſine controuerſia conueniunt; nam relatio realis habet eſſe citra omnem operationem intellectus, ſed relatio quodammodo dependet ex termino: ergo talis terminus debet habere eſſe extra operationem intellectus, vt terminet illam relationem; hoc tamen inter eſt inter relatiua ſecundum eſſe, & ſecundũ dici, quod relatiua ſecundum eſſe requirunt terminum realem, actu exiſtentem, vt ſtatim dicam, ſecus verò relatiua ſecundum dici, requirunt terminum ſaltẽ poſſibilem, quia impoſſibile eſt relationem realem pendere ex termino rationis.

Dico ſecundò, relatio realis, ſiue ſecundum eſſe, ſiue ſecundum dici debet eſſe inter extrema realiter diuerſa. In qua etiam cõcluſione omnes conueniunt. Et ratio illius eſt; Primò, quia ad relationem abſolutè loquendo, requiruntur duo extrema: ergo ad relationem realem, quæ eſt à parte rei, requiruntur à parte rei duo extrema: ſed non ſunt duo à parte rei, niſi ſint diuerſa à parte rei, quia dualitas diſtinctionem dicit: ergo omnis relatio realis debet eſſe inter extrema realiter diuerſa.

Secundò, quia relatio eſt ordo ad aliud, ergo relatio realis debet eſſe ordo ad aliud realiter diuerſum: ergo neceſſariò debet eſſe inter extrema realiter diuerſa.

Ex dictis infertur, quod relatio realis identitatis, ſit realis; nam relatio identitatis numericæ, qua vnum eſt idem realiter ſibi ipſi, non eſt relatio realis, ſed rationis; tamen relatio identitatis formalis, quam habet vnum indiuiduum cum alio, qua ratione diximus diſput. 1. de vniuerſalib. quod Petrus, & Paulus ſunt vnum formaliter à parte rei, hoc modo relatio identitatis formalis inter duo indiuidua eſt relatio realis, quia eſt inter extrema realiter diuerſa.

Dico tertiò. Relatio ſecundum eſſe, quæ ponitur in hoc prædicamento, debet eſſe inter extrema realiter exiſtentia. Hanc concluſionem tenet expreſſè S. Thom. 1. p. quæſt. 13. art. 7. & 2. contra Gentes cap. 12.

Digitized by Google

& ibidem Ferrara in 1.d.30. quæſt. 1. Soncin. 5. Metaph. quæſt. 27. & 29. Fonſeca eodem lib. cap. 15. quæſt. 1. & in hoc cap. Sotus, Tolet, & Maſius.

Et ratione patet, quia quod illud extremum, in quo eſt relatio, debeat habere realem exiſtentiam, à nullo negari poteſt; nam omne accidens præſupponit ſubiectum, in quo eſt; ſed relatio eſt accidens reale, ergo, vt actu ſit à parte rei, requirit ſubiectum realiter exiſtens. Quod verò etiam requirat terminum, ad quem referatur, realiter exiſtentem, probatur, quia alias darentur de facto infinitæ relationes in actu, quia poteſt Deus creare plures, & plures quantitates, maiores, & minores, cum quibus quātitas hæc, quæ modo eſt, diuerſas habeat proportiones maioris, & minoris, dupli, & quadrupli, &c. ergo dicendum eſt relationem realem huius prædicamenti, neceſſariò requirere realem exiſtentiam in termino, ad quem refertur.

Secundò quia pater non dicitur aliquis, niſi actu habeat filium, neque ſimile appellatur ſimile, niſi reſpectu alterius, quod actu ſit tale, nam ſi ſufficeret eſſe poſſibile, ſequeretur, quòd album, & nigrum, eſſent ſimilia, quia id, quod eſt nigrum, poteſt eſſe album.

Tertiò, quia hac ratione probat Ariſtot. ad relationem non eſſe per ſe motum, niſi, quia relatio aduenit ſubiecto de nouo propter mutationem extrinſecam in alio factam, v.g. quādo de nouo producitur aliquod album, propter mutationem factam in iſto albo, quod de nouo producitur, oritur in alio albo præexiſtenti, relatio ſimilitudinis: ergo relatio ideò non erat antea, quia non habebat terminum actu exiſtentem: ergo requirit actu exiſtentiam in termino; Quod verò conditio non reperiatur neceſſariò in relatiuis realibus ſecundum dici ſuprà quæſt. 1. huius capit. oſtendimus.

Sed contra hanc concluſionem opinantur Gregor. in 1.d. 28. quæſt. 3. & Gabriel in eodem lib. diſp. 30. quæſt. 5. exiſtimantes relationem realem huius prædicamenti poſſe referri ad terminum actu non exiſtentem. Et probant ſuam ſententiam ex Ariſtot. 5. Metaph. capit. 15. vbi enumerans tria genera relatiuorum, quæ ponuntur in hoc prædicamento, inter relatiua ſecundi generis, enumerat relationes facturi ad faciendum, calefactiui ad calefactibile: ſed faciendum in actu non eſt; ergo. Præterea, quia inter imaginem, & imaginatum eſt relatio huius prædicamenti pertinens ad tertium genus relatiuorum, quæ ponuntur in hoc prædicamento, ſcilicet, quæ fundantur in menſura, & menſurabili: ſed imago etiam dicit ordinem ad obiectum non exiſtens,

ſtens, vt patet de imagine Cæſaris. Idem etiam eſt de ſcientia, quæ dicit relationem ad ſcibile, etiam non exiſtens, qualiter in hyeme habemus ſcientiam de roſa, quamuis illa non ſit: ergo ad relationem huius prædicamenti non requiritur exiſtentia realis in vtroque extremo.

Sed reſpondetur ad primũ, quod non omnes relationes connumeratæ ab Ariſt. loco citato ſunt reales, & ponibiles in hoc prædicamento: nam etiam enumerat relationes impoſſibiles, & poſſibiles: conſtat autem relationem impoſſibilis non eſſe relationem, quia non eſt inter extrema realia; nam impoſſibile cum non poſſit eſſe, non eſt ens; quare aliquas relationes rationis enumerat ibi Ariſtot. quia imitantur relationes reales, qualiter relatio facturi ad faciendum, quæ proculdubio eſt relatio rationis, quia faciendum nondum eſt, imitatur relationem facientis, & facti, quæ ponitur in hoc prædicamento; & eſt quid reale.

Ad ſecundum reſpond. quod in ſcientia, & imagine poſſumus intelligere duas relationes, ad ſcibile, vel ad imaginatum. Prima eſt ſecundum dici, quæ conuenit ſcientiæ, & imagini, inquantum ſunt quædam qualitates, nam ſcientia, & imago qualitas eſt; & hæc relatio rationis eſt etiamſi ſcibile, & imaginatum nõ exiſtat actu, quia relatio ſecundum dici non requirit exiſtentiam realem in termino.

Secunda verò relatio eſt menſuræ ad menſuratum: & hæc eſt relatio ſecundum eſſe ponibilis in hoc prædicamento, quia pertinet ad tertium genus relationum, quæ ponuntur in hoc prædicamento, vt infrà dicemus, & tunc ſcibile, vel imaginatum non eſt relatio realis, ſed rationis, & idem eſt de relatione calefactiui ad calefactibile: nam quando calefactibile datur à parte rei, tunc eſt relatio realis inter calefactiuum, & calefactibile, tamen quando calefactibile non datur à parte rei, non eſt relatio realis, ſed rationis.

Dico quartò ad relationem realem requiritur etiam, quod extremum, quod refertur, habeat realem aliquam dependentiam ab alio extremo, ad quod refertur. Quam concluſionem tenent authores omnes ſuprà citati in tertia concluſione, & ratio eſt quia alias eſſet in Deo relatio realis Creatoris ad creaturam, quando illam de nouo creat; & ita cum hæc relatio oriatur de nouo poſt productionem & creationem, in qua fundatur, iam eſſet in Deo aliquid de nouo, quod antea non erat, atque adeo DEVS poſſet recipere mutationem aliquam, quod eſt impoſſibile. Tota ergo ratio, quare illa relatio non eſt realis, ſed rationis, eſt, quia Deus nõ poteſt

Digitized by Google

poteſt habere dependentiam aliquam à creatura, & ita è contra relatio creaturæ ad Creatorem eſt realis, quia creatura habet dependentiam à Creatore. Et ratio à priori eſt, quia relatio pẽdet neceſſariò à duobus extremis: ergo extremum, quod habet relationem, neceſſariò pendet ab alio extremo, quod terminat quantum adhoc accidens, quod eſt relatio: ergo relatio realis ſolum poteſt eſſe, quando extremum, quod refertur, poteſt dependere ab alio extremo.

Sed dubitabis tandem, an requiratur ad relationem realem huius prædicamenti conuenientia aliqua inter extrema, quæ referuntur. Reſpondetur imprimis non requiri conuenientiam ſpecificam, nam inter album, & nigrum eſt relatio diſſimilitudinis in hoc prædicamento, & tamen album, & nigrum differunt ſpecie.

Secundò non requiritur conuenientia generica, quæ inter ſubſtantiam, & quantitatem, eſt relatio realis diuerſitatis ponibilis in hoc prædicamento, & tamen ſubſtantia, & quantitas differunt genere, ſola ergo requiritur conuenientia analoga, in ratione entis realis.

QVÆST. IV.

Quale fundamentum requiratur ad relationem realem huius prædicamenti

PRo cuius intelligentia aduertendum eſt, quod ſubiectum, & fundamentum relationis non ſunt omninò idem, quia fundamentum relationis appellatur illud ſubiectum, vnde maximè oritur relatio, ſi ponatur terminus, v. g. relatio æqualitatis, duplex habet ſubiectũ, nam ſubiectum immediatum illius eſt quantitas, quæ refertur ad aliam relatione æqualitatis, ſed quia ipſa quantitas eſt in ſubſtantia, etiam relatio æqualitatis eſt in ſubſtantia mediatè, ſcilicet media quantitate, cui immediatè inhæret ipſa relatio. Fundamentum ergo illius relationis non eſt ſubiectum mediatum, quod eſt ſubſtantia, ſed quantitas, quia ex illa proximè oritur relatio ſi ponatur terminus, ad quem referatur, ſubiectum verò remotum appellari poteſt largo modo fundamentum remotum, & hinc ortum habet cõmune illud axioma: *Quod poſito fundamento proximo, & termino, ſtatim conſurgit relatio.* Et ad eundem modum relatio ſimilitudinis fundatur in qualitate, quia eſt ſubiectum, ex quo immediatè oritur, non verò ſubſtantia, in qua eſt albedo: & ita ſi

Digitized by Google

aliqua relatio fundari poteſt immediatè in ſubſtantia, vt dicemus, ſubſtantia erit fundamentum illius relationis.

Hoc ſuppoſito conueniunt omnes, qui rectè ſentiunt, fundamentum relationis realis debere eſſe aliquid intrinſecum in extremo illo quod refertur, qualiter in relatione ſimilitudinis, albedo, in qua fundatur ſimilitudo, eſt inhæſiuè in ipſo albo, quod refertur. Ita docuit S. Thom. 4. contra Gent. c. 14. & 1. p. q. 3. art. 7. Et ratio eſt. Primò, quia modus rei debet eſſe intrinſecus rei, cuius eſt modus, qualiter figura, quæ eſt modus quantitatis, eſt aliquid inhærens ipſi quantitati, & ſeſſio in ſedente; ſed eodem modo relatio eſt quidam modus ſui fundamenti, qualiter ſimilitudo eſt quidam modus, quo ſimile ſe habet in ordine ad aliud: ergo debet eſſe in illo extremo, in quo ſit fundamentū relationis.

Secundò quia quamuis relatio videntis ad rem viſam ſit relatio realis, quia viſio, in qua fundatur, eſt in vidente: tamen relatio rei viſæ ad videntem non eſt relatio realis, ſed extrinſeca quædam denominatio, qua denominatur viſa (vt omnes fatentur) ſed hoc non eſt aliud, niſi quia viſio, quæ eſt fundamentum illius relationis, non eſt in re viſa, ſed in vidente: ergo fundamentum debet eſſe intrinſecum illi extremo, quod refertur: & hæc eſt conſequentia, quare relatio prædicati, & ſubiecti nō ſit realis, ſed rationis, quia fundatur in actu intellectus prædicantis vnum de alio, quæ intellectio extrinſeca eſt rebus ipſis. Similiter relatio ſigni ad ſignatum, quæ eſt in ſignis ad placitum, vt in vocibus, etiam eſt relatio rationis, quia fundatur in extrinſeca impoſitione hominum, quæ eſt in ſignis ad placitum: tamen relatio ſigni naturalis ad ſignatum, qualis eſt inter imaginē, & rem imaginatam, eſt relatio realis, quia fundatur in præſentatione, quæ aliquid extrinſecum eſt in ipſa imagine.

Ex quo infero, in relatiuis mutuis, quæ mutuò inter ſe referuntur, ponendum eſſe duplex fundamentum, vnum intrinſecum in vno extremo, quod refertur, & alterum in alio extremo, v. g. in relatione ſimilitudinis ſunt duæ albedines in extremis, quæ referuntur ad inuicem. Nec mirum eſt, quia cùm ſint duæ relationes reales, & relatio ſit modus fundamenti, debent habere duo fundamenta diuerſa, ex quibus oriantur: hoc tamen ſecus contingit in relationibus rationis. Ratio eſt, quia hæc relatio eſt extrinſeca denominatio rei, quæ refertur, & ab eadem forma alteri extrinſeca poſſunt plures res denominari extrinſecè tales, qualiter ab eadem dexteritate animalis poſſunt denominari plures colum-

Digitized by Google

columnæ dextræ extrinſeca denominatione,& ab eadem intellectione poſſunt denominari plures res intellectæ per extrinſecam denominationem,quia intellectus poteſt intelligere plura,ſaltem per modum vnius,vt ſuo loco dicetur,&ita in illa vnica intellectione fundātur plures relationes rationis rerum, quæ denominantur intellectæ, qualiter etiam dicebam diſputatione prima de Vniuerſalibus,quod in eadem operatione intellectus fundātur duæ relationes rationis, altera prædicabilis,altera ſubijcibilis.

Sed obijcies. Paternitas eſt relatio realis, & fundatur in generatione: ſed generatio non eſt in patre, vbi eſt paternitas,ſed in filio, qui eſt actio tranſiens:ergo non requiritur, quod fundamentum relationis realis ſit aliquid intrinſecum in extremo, quod refertur. Reſpondetur, quod generatio propriè nō eſt fundamentum paternitatis,aut filiationis.Ratio eſt, quia relatio non poteſt eſſe ſine fundamento, ſed tranſacta iam generatione, multo tempore poſteà manet relatio paternitatis,& filiationis,quia manet pater, & filius:ergo generatio non eſt fundamentum paternitatis, aut filiationis.Solùm ergo eſt conditio extrinſeca fundandi paternitatem, qualiter approximatio calefactibilis ad ignem eſt conditio extrinſeca requiſita,vt ipſe ignis comburat. Vel etiam dici poteſt,quod ſit conditio requiſita, vt filius terminet relationem patris,quia conditio non ſemper debet permanere, quandiu manet effectus:nam approximatio cōbuſtibilis ad ignem eſt conditio requiſita vt ignis comburat, & tamen tranſacta illa actione, qua approximatur combuſtibile, adhuc durat combuſtio,quia ſolum eſt conditio; ita generatio eſt conditio fundandi paternitatem in patre, aut eſt conditio, vt filius terminet relationem patris; tamen etiam illa tranſacta manet relatio, quia ſolum eſt conditio,vt veluti incipiat relatio.

Ex hoc infero, quòd fundamentum relationis paternitatis non eſt potentia generatiua, vt alij dicunt: nam cùm potentia generatiua reſideat in determinata parte corporis, nempè in teſticulis,ablata huiuſmodi parte,atque adeò ablata potentia generatiua, adhuc manere poteſt pater,& filius iam anteà genitus; ſed relatio non poteſt eſſe ſine fundamento:ergo neque fundatur in potentia generatiua. Quare fundamentum huius relationis eſt ipſa ſubſtantia patris, ex qua ſimul cum conditione fundandi,quæ eſt generatio,ſtatim oritur relatio paternitatis. Et idem eſt dicendum in omni relatione agentis ad effectum, nempè quod actio non eſt fundamentū illius relationis, ſed principiū, vnde oritur illa actio, nēpè ipſum agens.

Qui-

Digitized by Google

Quibus ſuppoſitis in hac quæſtione, duo tantùm habent controuerſiam aliquam apud authores. Primum eſt vtrùm relatio aliqua poſſit fundari immediatè in ſubſtantia. Secundum, vtrùm relatio poſſit eſſe fundamentum alterius relationis.

Circa primum Toletus hic quæſt. 1. & Sot. etiam quæſ. 1. ad 4. exiſtimant nullam relationem poſſe fundari immediatè in ſubſtantia, ſed omnes debere fundari in aliquo accidenti. Dicendum tamen nobis eſt cum communi ſententia, relationem ſecundum eſſe poſſe immediatè fundari in ſubſtantia. Ita docuit ſanctus Thomas 1. parte, quæſtione 28. & ibidem Caietanus, Iauellus 5. Metaphyſic quæſtione 21. Soncinas eodem libro, quæſtione 31. Ferrara 4. contra Gen. cap. 18. Et ratio eſt euidens: nam præſcindendo omne accidens, ſubſtantia Petri eſt realiter diuerſa à ſubſtantia Pauli: ergo dicit relationem diuerſitatis ad illam. Similiter eadem ſubſtantia ſecundum ſe conſiderata eſt effectus factus ab aliqua cauſa: ergo dicit relationem effectus ad cauſam, quæ immediatè in illa fundatur; & ita relatio filiationis fundatur immediatè in ſubſtantia filij genita à patre, ſicut etiam relatio paternitatis immediatè fundatur in ipſa ſubſtantia patris generantis filium,

Maiorem ergo habet difficultatem, vtrùm vna relatio poſſit eſſe fundamentum alterius relationis. Partem affirmatiuam tenet Scotus in 4. d. 6. q. 10. Et probari poteſt. Primò, quia duæ relationes, v. g. paternitas, & filiatio, diſtinguuntur realiter: ergo ſunt in ſubiectis realiter diuerſis, nempe in patre, & filio: ergo inter illas relationes eſt relatio realis diuerſitatis; & ita iam vna relatio poteſt eſſe fundamentum alterius relationis realis.

Secundò, quia (vt dictum eſt ſuprà) ſecundæ intentiones, quæ ſunt relationes rationis, ita ſe habent, vt vna poſſit denominari ab alia, qualiter dicebamus, quòd ſecunda intentio ſpeciei accidentaliter, & denominatiuè denominatur ſpecies ab alia ſecunda intentione: ergo ſimiliter in relationibus realibus vna poteſt eſſe fundamentum alterius.

Tertiò, quia effectus dicit relationem ad cauſam; ſed relatio eſt aliquis effectus productus in rerum natura: ergo dicit relationem ad ſuam cauſam: ergo vna relatio poteſt fundari in alia.

Vera tamen, & communis ſententia nobis tenenda eſt, vnam relationem non eſſe fundamentum alterius relationis realis. Sic tenet S. Th. 1. p. q. 42. ar. 1. ad 4. & q. 45. art. 3. ad 2. & ibidem Caiet. Soncinas. 5. Metaphy. q. 29. Tolet. hic. quæſ. 1. fundamento. 2. Maſius hic ſect. 2. quæſt. 1.

Et

Et probatur primò, quia fundamentum eſt cauſa efficiens relationis, vt quæſtione ſequenti dicam; ſed relatio non poteſt eſſe cauſa efficiens, quia relatio non eſt operatiua, nec principium agendi, vt patet de paternitate, & quauis alia relatione, quæ nihil efficiunt: ergo relatio nõ poteſt eſſe fundamentum alterius relationis.

Secundò, quia ſi vna relatio poteſt eſſe fundamentum alterius, ſequeretur dari proceſſus in infinitũ. Et probatur, quia ſi duæ relationes diuerſæ dicuntur diuerſæ per alias relationes diuerſitatis; ergo etiam illæ erunt diuerſæ per alias, & illę per alias, & ſic in infinitum: ergo dicendum eſt, vnam relationem non poſſe fundari in alia: qua ratione omne fundamentum relationis debet eſſe aliquid abſolutum.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur, quod diſtinctio eſt duplex: alia eſt diſtinctio poſitiua, & eſt mutua habitudo diuerſitatis inter duo extrema: qua ratione diuerſitas, aut diſtinctio eſt relatio diuerſitatis, & hoc modo duæ relationes non ſunt diuerſæ, quaſi poſitiuè, quia non habent alias relationes diuerſitatis, per quas poſitiuè dicantur diuerſæ: alia verò eſt diſtinctio negatiua, qua à parte rei hoc nõ eſt illud, ſecluſa omni relatione diuerſitatis ſuperaddita: & hoc modo dicuntur duæ relationes diuerſæ, aut eædem negatiuè, quia vna non eſt alia, aut quia vna non eſt diuerſa ab alia, ſi ſint eædem: non tamen dicuntur, vel diuerſæ poſitiuè, hoc eſt per relationes identitatis, vel diuerſitatis ſuperadditas.

Quod explicari poteſt hoc exemplo: nam ſi præcisè conſideremus duas albedines, ſecluſa omni relatione, illæ albedines non dicuntur ſimiles poſitiuè per relationem ſimilitudinis, quia iam præſcindimus omnem relationem, ſed dicuntur ſimiles negatiuè, id eſt, non differunt albedine: ſic ſimiliter dicendum eſt in noſtro caſu.

Ad ſecundum, eſſe diuerſam rationem de ſecundis intentionibus, & de relationibus realibus: nam ſecundæ intentiones ſunt relationes fictæ ab intellectu, & intellectus poteſt fingere ſupra vnam relationem aliam, & ſuprà illam aliam, & ſic in infinitum: tamen de facto non dabuntur infinita entia rationis, quia non dantur infinitæ intellectiones, & fictiones, à quibus dependent; tamen ſi vna relatio realis poteſt eſſe fundamentum alterius, iam de facto darentur infinitæ relationes in actu, quia vna eſt diuerſa per aliam relationem diuerſitatis, & illa per aliam; & ſic in infinitum.

Sed obijcies: Nullum eſt inconueniens, quòd dentur in continuo infinitæ partes in actu: ergo neque erit inconueniens, quòd dentur in-

finitæ relationes, præſertim, cum in noſtra opinione relatio ſit ens incompletum, quia omnia abſtracta ſunt entia incompleta, vt ſuprà viſum eſt.

Reſpondetur eſſe diuerſam rationem, quia in continuo omnes illæ partes infinitæ faciunt, & componunt quandam quantitatem abſolutè finitam; tamen infinitæ relationes nõ componunt aliquam relationem finitam: ſed quælibet eſſet prorſus diuerſa ab alia.

Ad tertium, verum eſſe, quod relatio eſt effectus alicuius cauſæ, tamen non dicit relationem effectus ad cauſam, ſed per ſuam intrinſecam entitatem pendet ab efficienti: ſicut actio non pendet ab agenti per aliam actionem, alias illa penderet per aliam, & ſic in infinitum; ſed per ſuam entitatem; ita relatio à ſua intrinſeca entitate denominatur effectus, quin opus ſit noua relatione, qua referatur ad ſuam cauſam efficientem.

QVÆSTIO V.

Vtrum relatio diſtinguatur à ſuo fundamento.

IN hac re cõueniunt omnes, quod relatio ſecundum dici non diſtinguatur realiter à re, in qua eſt, quia eſt ipſa eſſentia rei ex ſua propria natura ad aliud ordinata, qualiter ordo ad ſubiectum non eſt aliquid ſuperadditum eſſentiæ ipſius: & ordo, quem dicit potentia ad ſuum obiectum, eſt ipſa eſſentia potentiæ. Solum ergo eſt dubium de relatione ſecundum eſſe, quæ ponitur in hoc prædicamento, & eſt aliquid ſuperadditum rei, quæ refertur, qua ratione paternitas eſt aliquid ſuperadditum ſubſtantiæ patris, & extra eſſentiam illius. Et loquimur de fundamento proximo, cui immediatè inhæret relatio: nam certum etiam eſt, relationem realiter diſtingui à fundamento remoto, qualiter relatio æqualitatis, quæ immediatè eſt in quantitate, diſtinguitur realiter à ſubſtantia, in qua eſt mediatè, & tanquam in fundamento remoto: nam ſicut quantitas diſtinguitur realiter à ſubſtantia, ita relatio, quæ eſt immediatè in illa, debet realiter diſtingui à ſubſtantia, loquimur ergo de fundamento proximo, in quo eſt relatio immediatè, tanquam in ſubiecto immediato.

In qua re prima ſententia affirmat, relationem non diſtingui ex natura rei à ſuo fundamento, ſed ſolum ratione, & per intellectum. Ita ſentit Marſilius in 1. quæſtione 32. articulo 2. Maſius eodem libro diſtinctione 30. quæſtione 1. Iauellus 5. Metaphyſic. quæſtione 22. Soncinas eodem libro, quæſtione 28. Et Maſius hic ſection. 2. quæſtione 2. Et probari poteſt, quia ſi relatio diſtin-

ſtinguitur realiter à fundamento, ſequitur, quod Petrus habeat quotidie quam plurimas entitates illi de nouo aduenientes. Et probatur, quotidie fiunt in rerum natura quam plurimæ res diuerſæ realiter à Petro: ergo oriuntur de nouo in Petro quam plurimæ relationes diuerſitatis ad illas res: ergo ſi iſtæ relationes diſtinguuntur realiter à Petro, iam ſequeretur habere Petrum quam plurimas entitates illi de nouo aduenientes: quod videtur inconueniens.

Secundò, quia ſi relatio diſtinguitur realiter à fundamento: ergo poteſt ſeparari ab illo per diuinam potentiam: nam quando aliqua realiter diſtinguuntur, poteſt ſeparari vnum ab alio. Conſequens autem eſt falſum: nam inintelligibile eſt, poſſe dari paternitatem ſine patre, in quo ſit, ſicut nec ſeſſio ſine ſedente.

Tertiò, quia ſi relatio diſtinguitur realiter à fundamento, ſequitur, quod ad relationem ſit per ſe motus, contra Ariſtotelem quinto libro Phyſicorum, id eſt, quod relatio fiat per actionem, & motum per ſe determinatum ad illam.

Probatur ſequela, quia ſi relatio diſtinguitur realiter à fundamento: ergo poſtulat nouam productionem diuerſam à productione fundamenti, per quam fiat ſeorſim, & per ſe, quia diuerſæ res diuerſas productiones poſtulant: ergo iam datur ad relationem per ſe motus.

Contraria tamen ſententia nobis tenenda eſt, nempe relationem realiter diſtingui à ſuo fundamento: quam tenet Ferrara 4. contra Gentes capite 14. Caietanus 1. parte quęſtione 28. articulo 2. Capreolus in 1. diſtinctione 30. quæſtione 1. Fonſeca 5. Metaphyſic. capite 15. & quidquid plures dicant, eſt expreſſa ſententia ſancti Thomæ 1. parte, quæſtione 28. artic. 2. ad 2. vbi ait, hoc differre inter relationes diuinas, & creatas, quod relationes diuinæ non ſunt aliæ res, quam diuina eſſentia, in qua ſunt; relationes tamen creatæ ſunt alia res diſtincta ab abſoluto, in quo fundantur, & 4. contra Gent. cap. 14. ait, hoc differre inter relationes creatas, & diuinas, quod diuinæ nullam faciunt realem compoſitionem cum ſubiecto, in quo ſunt: ſed compoſitio realis eſt vnio diſtinctorum realiter: ergo relatio diſtinguitur realiter à fundamento, cum quo realem facit compoſitionem.

Sed ratione probatur. Primò, quia relatio habet realem dependentiam à fundamento, quia cum illi inhæreat, dependet ab illo, tanquam à ſubiecto; ſed non poteſt idem realiter dependere à ſe ipſo: ergo relatio realiter diſtinguitur à fundamento.

Neque valet, ſi reſpondeas, quod idem ſecundum vnam relationem formalem poteſt dependere à ſeipſo ſecundum aliam relationem formalem: nam certè, ſi poſſibile eſt, idem ſecundum rem dependere à ſe ipſo, idem ſecundum rem poſſet eſſe cauſa ſui ipſius.

Ex quo fundamento ſuprà diſputantes de prædicamento in communi, probauimus, omnia accidentia realiter diſtingui à ſubſtantia, quia ſcilicet realiter dependent ab illa. Et ratio etiam idem conuincit: nam dependere, eſt ab alio in aliquo pendere: ergo dependentia realis eſt ab alio realiter diuerſo pendere: cum ergo relatio realiter pendeat à fundamento, debet realiter diſtingui ab illo.

Secundò probatur concluſio nõ minus efficaciter, quia quando duo ita ſe habent, quod poteſt vnum realiter inueniri ſine alio, illa proculdubio diſtinguuntur realiter. Sed fundamentum poteſt inueniri ſine relatione: nam ſi ponamus duo corpora alba, ac proinde ſimilia, ſi vnum corrumpatur, in altero non eſt ſimilitudo, quæ tamen antea erat: ergo iam corrumpitur entitas relationis, manente entitate fundamenti: ergo relatio aliam habet entitatem pręter entitatem fundamenti. Patet conſequentia, quia eadem entitas non poteſt manere, & ſimul corrumpi.

Reſpondent quidam, non ſeparari vnam entitatem ab alia, ſed rem ſecundum vnam rationem formalem manere ſine alia ratione formali.

Sed contra hanc ſolutionem euidens fit argumentum: nam ſi vna ratio formalis realiter ſeparetur ab alia, iam non tantum diſtinguuntur formaliter, & per intellectum, ſed à parte rei, & ita potius ſunt duæ entitates realiter diuerſæ, quam duæ rationes formales.

Quare ſecundò alij reſpondent, quod ſeparatio vnius ab alio eſt duplex, alia eſt ſeparatio mutua, & eſt quando hoc extremum poteſt inueniri ſine alio, & è contra, & quæ hoc modo ſunt ſeparabilia dicuntur realiter diſtingui, vt Petrum, & Paulum: alia verò eſt ſeparatio non mutua, & eſt quando hoc non poteſt eſſe ſine illo, non tamen è contra, qualiter ſe habent fundamentum, & relatio, nam quamuis poſſit dari fundamentum, ſine relatione, nõ tamen è contra relatio ſine fundamento, quia cum ſit modus illius, habet realem dependentiã ab illo, & ita nõ poteſt eſſe ſine illo, ſicut nec ſeſſio ſine ſedente: & dicunt hanc ſeparationem non mutuam non inferre realem diſtinctionem inter talia extrema.

Hæc

Digitized by Google

Hæc tamen ſolutio prorſus falſa eſt, & contra Ariſt. 7. lib. Topico. tex. 6. vbi ait, quod quando vnum alteri accidit, & inuenitur ſine illo, diſtinguuntur realiter, vbi regulam conſtituit vniuerſalem, quod quando vnum ab altero realiter ſeparatur, realiter diſtinguuntur: ergo quæuis ſeparatio realis, etiam non mutua, infert optimè realem diſtinctionem inter illa extrema.

Et ratione probatur, quia impoſſibile eſt eandem rem ſeparari realiter à ſe ipſa: ergo hoc ipſo quod vnum poteſt realiter ſeparari ab alio realiter diſtinguuntur.

Secundò quia, ſi aliquod extremum præſcinditur ab alio, optimè infertur ratione diſtingui ab illo, qualiter quamuis poſſit intelligi animal ſine homine, tamen non poteſt intelligi homo ſine animali, cum ſit de ſua eſſentia; & cum hoc dicimus ratione diſtingui animal, & hominem, propter illam ſeparationem rationis, ſcilicet non mutuam: ergo ſimiliter quæuis ſeparatio realis vnius ab alio, etiam ſi non ſit mutua, arguit diſtinctionem realem inter illa. Quod fundamentum maximè attendendum eſt, nam ex illo multa probabimus in Phyſica, vt quod actio, & terminus diſtinguantur realiter, quia tranſacta actione manet terminus productus, & figuram realiter diſtingui à quantitate, quia poteſt reperiri hæc quantitas ſine hac figura.

Vnde ad argumenta contrariæ ſententiæ reſpondetur. Ad primum nullum eſſe inconueniens, quod in Petro ſint de nouo quàm plurimæ illæ entitates relatiuæ diuerſitatis, vel identitatis, ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, quæ in illo oriuntur de nouo, quia cum poſito fundamento, & termino neceſſario conſurgat relatio, non mirum eſt, quod per productionem termini conſurgat per accidens in Petro relatio aliqua.

Ad ſecundum reſpondemus negando conſequentiam, quia vt relatio realiter diſtinguatur à ſuo fundamento, ſatis eſt, quod fundamentum realiter poſſit inueniri ſine relatione, & è contra; tamen non poteſt dari relatio ſine ſuo fundamento, quia cum ſit modus habet dependentiam eſſentialem à ſuo fundamento, cuius eſt modus, & ita non poteſt dari ſine illo.

Ad tertium reſpondetur, quod non ſequitur dari ad relationem per ſe motum; nam vt dicemus in Phyſica, actiones ſunt in duplici differentia, quędam ſunt, quæ diſtinguũtur realiter à termino producto, & ſunt aliquid illi ſuperadditum, quę determinatè ponuntur in prædicamento actionis: & hæc actio poteſt eſſe motus, aut mutatio propriè dicta. Alia verò eſt actio non diſtincta ab eſſentia ipſius termini, ſed potiùs eſt ipſa eſſentia termini, qui per ſuam intrinſecam eſſentiam pendet à

Digitized by Google

fundamento, & non eſt opus aliqua actione ſuperaddita, per quam pendeat; ſicut quia actio per ſe ipſam pendet ab agenti, non eſt opus alia actione, per quam fiat; Quæ doctrina latè probabitur in Phyſica ideò nunc ſupponenda eſt.

Quare ad argumentum reſpondetur, quod quando A. iſt. negat dari per ſe motum ad relationem, loquitur de actione, quæ realiter diſtinguitur à termino, hæc enim eſt, quæ propriè appellatur mutatio, aut motus, & ſic verũ eſt non dari ad relationem per ſe motum, tamen datur alia actio, per quam fiat de nouo, non diſtincta ab eſſentia ipſius relationis.

Et ſi inquiras à quo fiat hæc actio, quando de nouo incipit eſſe relatio ſimilitudinis in aliquo albo præexiſtenti, per hoc, quod alibi producatur aliud album. Quidam dicunt, quod illud agens, quod produxit album de nouo, per accidens producit relationem in altero albo præexiſtenti; ſed eſt falſum, quia ſi producatur Romæ aliquod album de nouo, album quod eſt Compluti incipit habere relationem ſimilitudinis cum illo: impoſſibile autem eſt, quod agens illud, quod Romæ produxit album, habeat actiuitatem vſque ad Complutum, vt ibi producat relationem propter maximam diſtantiam: ergo relatio nõ fit à producente de nouo aliud extremum.

Quare dicendum eſt, quod cauſatur ab ipſo fundamento, in quo eſt: nam ſicut ignis habet virtutem, vt, ſi applicetur illi paſſum, illum comburat; ita fundamentum habet virtutem, vt ſi ponatur terminus producat relationem.

Et ſi obijcias: nam aliquæ ſunt relationes, quæ fundantur in quantitate: ſed quantitas non eſt effectiua, nec operatiua, vt dicemus in Phyſica: ergo relatio non ſemper cauſatur efficienter à fundamento.

Reſpondetur, quod quantitas nõ eſt actiua actione propria, & prædicamentali, quæ eſt aliquid ſuperadditum termino producto, tamen benè poteſt cauſare aliam actionem impropriam, quæ non diſtinguatur ab eſſentia termini producti, quia hæc non eſt vera actio, quæ mediet inter agens, & effectum, ſed eſt ipſa eſſentia per ſe ipſam pendens à tali cauſa.

QVÆST. VI.

Vtrùm relatiua referantur ad aliud extremum, vt abſolutum vel vt relatiuum.

PRo cuius intelligentia aduertendum eſt, quod relatiua ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt relatiua mutua, & ſunt illa, quæ adinuicem referuntur, vt pater, & filius, & duo ſimilia, & ita mutua appellan-

Digitized by Google

pellantur, quia mutuò referuntur. Alia ſunt non mutua,& ſunt illa, ex quibus quamuis vnum referatur ad aliud relatione reali,aliud tamen nõ refertur ad illud, ſaltem relatione reali, ſed rationis, quales ſunt relationes,quæ fundãtur in menſura, & menſurabili, quæ appellantur relatiua tertij generis de quibus infrà dicã in ſecunda diſputatione, qualiter quamuis ſcientia dicat relationem realem ad ſcibile exiſtens, tamen ſcibile ſolum dicit relationem rationis ad ſcientiam, quia vt ſuprà dictum eſt, in illo extremo eſt relatio realis,quod habet realemd ependentiam ab alio,quam habet ſcientia à ſcibili, tanquam ab obiecto, à quo ſumit ſuam ſpecificationem, ſcibile vero non pendet à ſcientia,& ita non habet relationem realem ad illam,ſed tantùm rationis, quod infrà amplius declaribitur,dum diſputemus de relatiuis tertij generis.

Hoc ſuppoſito ferè omnes cõueniunt relatiua nũ mutua,qualia ſunt relatiua tertij generis non referri ad aliud tanquã ad relatiuum,ſed tanq̃ ad abſolutum. Tenet S. Thom. 1. p. q.25.art.2.Ferra.2.contraGent.cap. 11.Maſius hic ſect.3. q. 5. & plures alij. Et ratio eſt aperta, quia relatio non mutua terminatur ad aliud extremum non tanquam aliquid relatiuum, aliàs iam eſſet relatio mutua:ergo tanquam ad aliquid abſolutum.

Et ſi reſpondeas, quod quamuis in illo extremo non ſit relatio realis, eſt tamen relatio rationis. Contrà eſt,quia relatio realis debet habere terminum à parte rei, quia ante operationem intellectus refertur ad aliud: ſed relatio rationis non habet eſſe, donec ab intellectu cognoſcatur:ergo per illam non poteſt terminari relatio, quæ eſt à parte rei:ergo talis relatio refertur ad extremum abſolutum, quatenus tale.

Solùm ergo eſt dubium, & difficultas de relatiuis mutuis, quæ appellantur relatiua primi, & ſecundi generis. Vtrum in his relatiua referantur ad aliud extremum tanquàm ad aliquid abſolutum, vel tanquàm ad aliquid relatiuum,v.g. vtrum pater referatur ad filium conſideratum pro materiali, in quantùm eſt quid abſolutum, nempè quædam ſubſtantia genita, vel potiùs referatur ad illum formaliter, vt filius eſt.

In qua re prima ſententia affirmat,hæc relatiua referri ad aliud tãquàm ad aliquid relatiuum. Caiet. 1. p. q.13.ar.7. Fonſeca 5. Met. cap. 15. q.4.ſect.4.Capreolus in 1.d.30.q. 1. Et probari poteſt hæc ſententia ex Ariſt.in hoc cap. vbi ait,quod ſeruus non refertur ad hominem, ſed ad Dominum,quaſi dicat,ſeruum non referri ad Dominum,quatenùs homo eſt, ſed quatenùs Dominus eſt: ſed Dominus dicit relationem dominij:

Digitized by Google

minij: ergo relatiua referuntur ad aliud tanquàm ad aliquid relatiuũ. Præterea in definitione relatiuorum Ariſt. ait: *Relatiua eſſe, quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe ſe habere*, vbi illa particula: *Ad aliud*, videtur ſignificare ad aliud relatiuum.

Secundò, quia ſi etiam relatiua primi, & ſecundi generis referuntur ad aliquod abſolutum, ſicut relatiua tertij generis, nulla eſſet differentia inter relatiua tertij generis, & alia, quod eſt falſum.

Tertiò, quia ſi relatio creaturæ ad Creatorem terminatur ad Deum ſecundum ſuam eſſentiam abſolutam, & non quatenùs relatiuus eſt, ſequitur quod non poſſit cognoſci relatio hæc creaturæ ad Creatorem, niſi cognoſcatur Deus ſecundum ſuam eſſentiam, quod videtur falſum. Probo ſequelam, quia relatio non poteſt cognoſci ſine ſuo termino.

Quartò, quia ſequeretur, quod relatiua non eſſent ſimul natura. Probatur, quia ſi filius refertur ad Patrem, conſiderando patrem ſecundum ſuam entitatem abſolutam, fuit pater multo tempore ante filium: ergo iam relatiua non eſſent ſimul natura.

His tamen non obſtantibus, cõtraria ſententia nobis tenenda eſt, nempè omnia relatiua referri ad aliud tanquam ad aliquod abſolutũ, non verò tanquam ad aliquid reſpectiuum.

Tenet Scotus in 1. diſt. 30. quæſt. 5. quem ſui diſcipuli ſequuntur, & Sõci. 5. Meta. quæſt. 30. & Sotus cap. de ſpecie in expoſitione textus: Tenet etiam Epiſcopus Onna hoc c. q. 1. ar. 3.

Et ratione probatur primò, quia terminus, vt terminus, tantùm dicit reſpici ab alio relato, ſi ergo terminus, vt ſic, tantum dicit reſpici: ergo non dicit reſpicere aliud, ergo non terminatur, vt reſpectiuum, ſed potius, vt abſolutum. Secundò, quia homo refertur ad equum relatione diuerſitatis, ſed non eſt diuerſus ab equo, in quantum equus dicit relationem diuerſitatis, ſed in quantum eſt quædam ſubſtantia abſoluta: ergo hoc modo refertur ad æquum, & non quatenus relatiuus eſt. Probatur minor, quia in relatione diuerſitatis potiùs conueniunt homo, & equus, quam differant, quia vterque habet relationem diuerſitatis: ergo potiùs homo eſt diuerſus ab equo conſiderando equum ſecundum ſuam ſubſtantiam abſolutam: ergo hoc modo terminat relationem diuerſitatis hominis.

Tertiò, quia ſi vnum refertur ad aliud ſimile, quatenus ſimile eſt relatiuè: ergo ſimile in communi cõprehendens omnia ſimilia dicit habitudinem ad ſimile in communi, quatenus ſimile eſt, relatiuè: ergo refertur ad ſe ipſum, atque adeò non eſſet relatio realis.

Tan-

Digitized by Google

Tandem idem probatur de relatione cauſæ ad effectum, quia cauſa refertur ad illud, quod immediatè, & per ſe efficit; ſed quod per actionem cauſæ producitur per ſe, & primario non eſt relatio, quia ad relationem non eſt per ſe motus, ſed eſt ipſa entitas effectus, qua ratione pater non generat primario, & per ſe relationem filiationis, ſed ſubſtantiam abſolutam filij: ergo filius in quantum eſt aliquid abſolutū, terminat relationem patris.

Eſt tamen aduertendum ad rectam huius rei intelligentiam, quod aliud eſt quærere, quæ ſit ratio formalis, quæ terminat, & quid ſit hanc rationem formalem eſſe terminum, ſicut in viſione aliud eſt quærere quid ſit illud, quod videtur, & hoc eſt color, & aliud eſt quærere quid ſit colorem eſſe viſum, nam hoc eſt extrinſeca denominatio à viſione; ita in termino relationis aliud eſt quærere, quid ſit illud, quod terminat, & hoc ſemper eſt aliquid abſolutum (vt probatum eſt) aliud eſt quęrere quid ſit hoc eſſe terminum; nam hoc eſt extrinſeca denominatio, quia ſicut colorem eſſe viſum, eſt extrinſeca denominatio à viſione; ita terminum reſpici ab alio relato; quod idem eſt, quod terminare, eſt extrinſeca denominatio à relatione, quæ eſt in altero.

Ex dictis ſequitur quam verum ſit, quod ſuprà diximus capite de ſpecie, quod vnum relatum nō ponitur in definitione alterius, vt relatum, ſed potius vt abſolutum. Cuius ratio eſt, quia vnum relatum, in tantum ponitur in definitione alterius, in quantum terminat relationem illius, ſed terminat relationem illius, vt abſolutum, non verò, vt relatiuum. Cuius rei argumentum eſt, vt loco citato notaui, quod pater poteſt optimè definiri, nulla facta mentione filij, vt relatiuus eſt, ſed vt eſt aliud abſolutum, vt ſi dicamus pater eſt, qui genuit ſubſtantiam viuentem.

Supereſt reſpondeamus ad argumenta in contrarium adducta. Ad primum reſpondetur Ariſtot. loco citato tantùm voluiſſe, quod ſeruus non refertur ad hominem quatenus homo eſt abſolutè, quia multi ſunt homines, qui non habent ſeruos, & ita ſeruus refertur ad Dominum, quatenus eſt talis homo, qui habet ſeruos, tamen talis homo in ratione talis hominis aliquid abſolutum eſt, quia adhuc non inuoluitur relatio Dominij, ſicut pater non refertur ad ſubſtantiam filij, quia filius ſit homo, nam cum omnes homines participent rationem hominis, ad omnes referuntur: ergo refertur ad filiū quatenus eſt talis ſubſtantia à ſe genita, in quo nulla inuoluitur relatio.

Ad alium locum reſpondetur, quod quando Ariſtot. dicit: *Relati-*

ua eſſe, quorum totum ſuum eſſe eſt ad aliud ſe habere, non intelligitur ad aliud relatiuum, ſed ad aliud, ſiue ſit relatiuum, ſiue abſolutũ, quod ipſe non diſputat.

Ad ſecundum reſpondetur negando conſequentiam, quia quamuis relatiua primi, & ſecundi generis, conueniant cum relatiuis tertij generis in hoc, quod eſt referri ad extremum abſolutum, tamen alias habent plurimas differentias, quia relatiua tertij generis fundantur in menſura, & menſurabili, non tamen relatiua primi, & ſecundi generis: de quo dicemus in ſecunda diſputatione.

Ad tertium, verum eſſe, vt argumentum optimè probat, non poſſe cognoſci relationem creaturæ ad Creatorem, niſi cognoſcatur Deus ſecundum ſuam entitatem abſolutam, nempè quatenus habet virtutem infinitam, ad producendas res, & hoc nullum eſt inconueniens, ſed potius neceſſariò dicendum; nam qui cognoſcit creaturam, vt ordinatam ad Deum ſuum Creatorem, neceſſarium eſt cognoſcat Deum habere virtutem, & potentiam ad producendam illam.

Ad quartum reſpondetur negando, quòd relatiua non ſint ſimul natura, vt relatiua ſunt, nam quamuis pater ſit prior filio ſecundum ſuam entitatem abſolutam, non tamen, vt pater eſt, quia vt ſic reſpectu filij eſt pater: imò addo, quod in contraria ſententia, ſaluari non poteſt, quod relatiua ſint ſimul natura. Ratio eſt, quia relatio habet dependentiam ex termino tanquã ex conditione prærequiſita, vt ſit relatio; nam omnis conditio requiſita debet prius natura præſupponi, quam res illa, ad quã requiritur, eo quod res dependet ab illa: ergo ſi terminus, vt terminus, eſſet relatiuus, iam relatiua non eſſent ſimul natura.

Eſt tamen aduertendum circa hanc proprietatem relatiuorum, id quod docuit optimè Ariſtot. in hoc capite, nempè quod hæc proprietas non conuenit relatiuis non mutuis, qualiter, inquit, ſcientia, & ſcibile, quæ ſunt relatiua non mutua, non ſunt ſimul natura. Cuius ratio eſt, quia in relatiuis non mutuis vtrumque extremum non eſt relatiuum, & ita non ſunt duo relatiua, quæ ſint ſimul natura.

Et ſi dicas, quod ſaltem in altero extremo, nempè in ſcibili eſt relatio rationis. Contra eſt, nam hæc relatio rationis eſt extrinſeca denominatio, quæ ſumitur ab altero extremo, qualiter ſcibile denominatur tale per extrinſecam denominationem ab actu poſſibili ſcientiæ, & Creator denominatur talis à creatione, quæ eſt in creatura: ergo hæc extrinſeca denominatio ſupponit alterum extremum, quod eſt relatiuum reale, & ab illo quodammodo depen-

Digitized by Google

dependet: ergo relatiua non ſunt ſimul natura, nec reuera ſunt duo relatiua realia, ſed vnum reale, & alterum rationis.

Sed contra hanc proprietatẽ hoc modo intellectam obijciet aliquis, quia adhuc videtur, quod relatiua mutua non ſint ſimul natura, quia relatiua mutua aliquando habent relationes diuerſæ rationis, quales ſunt paternitas, & filiatio; ſed inter ea, quæ ſunt diuerſæ rationis, neceſſarium eſt vnum eſſe perfectius alio: ergo vnum relatiuum ex his eſt perfectius alio; ſed perfectiora ſunt priora ſecundum naturam: ergo nõ ſunt ſimul natura.

Reſpondetur, quod quamuis relatiuum perfectius ſit prius alio ordine perfectionis, tamen ordine generationis vtrumque eſt ſimul natura, quia relatiua mutua, vt relatiua ſunt, ſimul incipiunt, & deſinunt eſſe, & hoc modo eſt intelligendum, quod ſint ſimul natura.

Qvæst. VII.

Vnde ſumatur diſtinctio inter relationes.

PRo cuius intelligentia aduertendum eſt in primis, quod diſtinctio triplex eſt, generica, ſpecifica, & numerica. Cõueniunt omnes, quod diſtinctio generica relationum, per quam diſtinguuntur ab accidenti abſoluto, ſumatur per eſſe ad terminum, quia vt ſuprà diximus, *Eſſe ad*, eſt modus conſtitutiuus huius prædicamenti, quo diſtinguitur ab omnibus alijs prædicamentis abſolutis.

Solum ergo eſt dubium, vnde ſit ſumenda diſtinctio ſpecifica, & numerica relationum: nam videtur, quod relatio nec poſſit ſumere ſpecificationem à termino, neq; à fundamento. Non à fundamento, quia in eodẽ fundamento poſſunt fundari relationes diuerſæ ſpeciei, qua ratione idem album habet relationem ſimilitudinis cum alio albo, & relationem diſſimilitudinis cum nigro. Neque etiam à termino, quia terminus eſt aliquid extrinſecum: ſed differentia eſſentialis, & ſpecifica debet eſſe aliquid intrinſecum: ergo non ſumitur à termino.

Secundò, quia idem terminus terminat relationem ſimilitudinis cum alio albo, & relationem diſſimilitudinis cum alio nigro: ergo differentia ſpecifica relationum nõ ſumitur ex termino.

Tertiò, quia filius eadem relatione refertur ad patrem, & matrem: ſed pater, & mater ſunt termini diuerſi: ergo relationes non diſtinguuntur per terminos.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt, relationem eſſentialiter ſumere ſuam ſpeciem, tam ex habitudine ad terminum, quam ad fundamentum, ita quod eadem habitudo

Digitized by Google

& ita ſpecificatur à termino extrinſecè, intrinſecè verò ex tali habitudine ad termi num, ſicut etiam diximus, actus, & potentias ſumere ſpecificationem ex obiectis, quantumuis obiecta ſint extrinſeca: nam habitudo ad obiectum intrinſeca eſt illis; & ita ſpecificantut intrinſecè in ordine ad obiecta, extrinſecè autem ex obiectis ipſis.

Ad tertium, quod quamuis idem terminus ſecundum rem poſſit terminare relationes diuerſas: non tamen idem formaliter: nam album, in quantum habet eandem eſſentiam cum alio albo, terminat relationes ſimilitudinis, inquantum verò differt ſpecie à nigro, terminat relationem diſſimilitudinis.

Ad vltimnm dico, quod qui ſentiunt patrem, & matrem non concurrere eodem modo ad generationem filij, ſed patrem eſſe principium actiuum, matrem eſſe principium paſſiuum, dicere tenentur, quod filius non referatur eadem relatione ſecundum ſpeciem ad patrem, & matrem: nam ad patrem refertur, vt ad principium actiuum: ad matrem verò, vt ad principium paſſiuum: tamen, qui fortè probabilius dicunt, tam patrem, quàm matrem concurrere actiuè ad generationem filij (de quo dicemus in Phyſica) dicere tenentur, filium eadem relatione referri ad patrem, & matrem, quia refertur ad vtrumque, tanquàm ad vnicum principium totale ſuæ generationis; relationes autem ſolùm diſtinguuntur per terminus totales, & non inadæquatos, qualis eſt pater ſeorſum, & mater ſeorſum; & ita eadem relatione refertur ad vtrumque. E contrà verò pater, & mater diuerſa relatione ſecundum numerum referuntur ad filium, quia cum ſint ſubiecta realiter diuerſa, diuerſam habent relationem.

Secunda difficultas in hac quæſtione examinanda eſt, vnde ſumatur diſtinctio numerica inter relationes. In qua re breuiter dicendum eſt, quod relationes diſtinguuntur numero per ſubiecta, in quibus ſunt, ita quòd illæ relationes diſtinguantur numero, quæ ſunt in diuerſis ſubiectis.

Probatur, quia ſaltem accidentia modalia indiuiduantur per ſubiectum: ſed relatio eſt accidens modale, quia eſt modus fundamenti: ergo indiuiduatur à ſubiecto: atque adeò multiplicatis ſubiectis, debent multiplicari relationes ſecundum numerum. Maior, nempè quod accidentia modalia indiuiduētur à ſubiecto, probabitur latè in Phyſica, & breuiter nunc. Ratio eſt, quia hæc accidentia per ſuam intrinſecam eſſentiam, & nullo alio medio vniuntur cum ſuo ſubiecto: nam ſi indigent alio modo vnionis, vnirentur mediante alio modo: & ſic in infinitum: ergo talia accidentia per ſu-

Digitized by Google

am intrinſecam eſſentiam vniuntur cum ſubiecto, & ita nec de potentia abſoluta poſſunt vniri alteri ſubiecto, qualiter repugnat, quod mea ſeſſio ponatur in alio ſubiecto: ergo talia accidentia indiuiduātur à ſubiecto, atque adeò multiplicatis ſubiectis, multiplicantur ipſa accidentia ſecundum numerum.

Et hinc patet, quod pater habens plures filios: eadem relatione refertur ad omnes, quia cùm ſubiectum illius relationis tantùm ſit vnicum, tantùm eſt vnica relatio, cuius terminus adæquatus non eſt quilibet filius in particulari, ſed filius vagè, & ita ſiue ſint plures, ſiue vnus, tantùm eſt vnica relatio paternitatis.

DISPVT. II.

De ſpeciebus relatiuorum.

QVÆST. VNICA.

Quæ ſint genera, ſeu ſpecies ſubalterna relatiuorum.

RElatiua multifariam diuidi ſolent, nam quædam ſunt illa, quę ſignificantur nomine relatiuo, vt pater, filius, ſimile, & diſſimile: alia ſunt relatia per accidens, & ſunt illa, quæ non ſignificantur nomine relatiuo, ſed abſoluto, vt homo, equus, quia enti abſoluto accidentale eſt referri ad aliud relatione ſecundum eſſe, qua ratione ſubſtantiæ patris accidentale eſt habere paternitatem.

Secunda diuiſio. Relatiua, alia mutua, alia non mutua, de qua iam dictum eſt.

Tertia diuiſio eſt. Relatiua alia ſunt æquiparantiæ, alia diſquiparantiæ. Relatiua æquiparantiæ ſunt illa, quæ habent eandem denominationem in vtroque extremo, vt duo ſimilia, quorum vtrumque appellatur ſimile. Relatiua verò diſquiparantiæ ſunt illa, quæ habent diuerſam denominationem in vtroque extremo, vt pater, & filius, magnum, & paruum. Tandē Ariſt. 5. Meta. aliā affert diuiſionem, dicens: Relatiua alia ſunt, quæ fundantur in actione, & paſſione, alia ſunt, quæ fundantur in menſura, & menſurabili, cuius diuiſionis membra ſigillatim examinanda ſunt.

De relatiuis primi generis.

CIrca relatiua primi generis aduertendum eſt, quod fundari in numero, idem eſt, quod fundari in exceſſu, & diſconuenientia aliqua, qualis eſt relatio inæqualitatis, quæ fundatur in exceſſu quantitatis, & relatio diſſimilitudinis, quæ fundatur in diſconuenientia in qualitate; & relatio diuerſitatis, quæ fundatur in diſconuenientia in eſſe ſubſtantiali, vbi etiam ponuntur relationes maioris, & minoris, magni, & parui, dupli, & quadrupli, & ſimiles,

quæ

Digitized by Google

quæ quodammodò fundãtur in exceſſu extremorum. Alia tamen ſunt relatiua, quæ fundãtur in vnitate, & conuenientia, quam habent à parte rei: quia (vt diximus ſuprà diſp. 1. de Vniuerſ.) duo indiuidua habent à parte rei vnitatem formalem, in qua fundatur hæc relatio primi generis.

Secundò aduertendum eſt, quod hæc relatio, quæ fundãtur in vnitate formali, appellatur relatio identitatis, quia quæ ſunt vnum formaliter, ſunt idem formaliter: & ita idem eſt relatio fundata in vnitate, quod relatio identitatis: tamen quãdo hæc identitas eſt ſecundum qualitates, appellatur relatio ſimilitudinis, qua ratione duo alba appellantur ſimilia, quia ſunt vnum formaliter in albedine: quando verò eſt conuenientia in re alterius prædicamenti, appellatur relatio identitatis: qua ratione duæ lineæ dicuntur eædem in eſſentia lineæ in prædicamento quantitatis: vt Petrus, & Paulus dicuntur ijdem in ratione hominis in prædicamento ſubſtantiæ: & duæ actiones in prædicamento actionis, & ſic de alijs prædicamentis: iſtæ tamen relationes identitatis non differunt ſpecie: nam ſicut albedo in homine, & in equo, ſpecie non differunt, ita identitates in quantitate, & in qualitate non differunt ſpecie, ſicut è contrà relatio diuerſitatis inter duas quantitates, & inter duas ſubſtantias non differunt ſpecie.

Tandem circa hæc relatiua aduertendum eſt, quod in illis vnitas non eſt proprium fundamentum, ſed conditio fundandi. Cuius ratio eſt, quia fundamentum propriè appellatur ſubiectum illud proximũ, in quo ſuſtentatur, & cui inhæret relatio, & ita debet eſſe aliquid reale; ſed vnitas nihil reale eſt, quia ſolum eſt carentia diuiſionis; carentia autem nihil eſt: ergo talis vnitas non propriè eſt fundamentum ſed conditio fundandi.

De relatiuis ſecundi generis.

Circa hæc relatiua primò aduertendum eſt, quod quando cõmuniter dicitur: Relatiua ſecundi generis fundantur in actione, & paſſione, non eſt intelligendum, quod talis actio, aut paſſio propriè ſit fundamentum, quia relatio non poteſt dari ſine ſuo fundamento, contingit autem, tranſacta actione manere relationem, qua ratione tranſacta generatione manet pater, & filius. Tantum ergo actio, aut paſſio eſt fundamentum impropriè, id eſt, eſt conditio fundandi, vt diximus de vnitate.

Secundò aduertendum eſt, quod inter hæc relatiua quædam ſunt, quę fundantur in actione actuali, qualis eſt relatio inter calefaciens, & calefactum: alia, quæ fundãtur in actio-

Digitized by Google

n præterita: qua ratione relatio, quę eſt inter patrem, & filium, fundatur in actione iam præterita: relatio autem, quæ fundatur in actione futura, aut impoſſibili, aliquando eſt relatio realis, nempe quãdo vtrumque extremum datur à parte rei, qualis eſt relatio inter calefactiuum, & calefactibile, quando vtrumque datur à parte rei: quando verò vtrũque extremum non datur à parte rei, non eſt relatio realis, ſed rationis, vt relatio, quæ eſt inter factiuũ, & faciendum, quia faciendum nondum eſt.

Tertiò aduertendum eſt, quod etiam in hoc genere ponuntur non ſolũ relationes, quæ fundantur in actione cauſę efficientis, ſed quę fundantur in cauſalitate cuiuſlibet alterius cauſæ, quando cætera requiſita ad relationem realem hic concurrunt, qua ratione relatio inter recipiens, & receptum, quæ fundatur in cauſalitate materiali, qua ſubiectum aliquid recipit, ponitur in hoc genere, quæ receptio eſt paſſio: & idem eſt de relatione informantis ad informatum, quæ fundatur in cauſalitate cauſæ formalis.

De relatiuis tertij generis.

RElatiua tertij generis appellantur illa, quæ fundantur in menſura, & menſurabili, & tam debet intelligi de menſura quantitatis, quàm de menſura perfectionis: nam ſi loquamur de menſura quantitatis, hoc modo eſt relatio realis inter locum ſumptum relatiuè, prout dicit formaliter continentiam, & inter locatum, quia locus quodammodo eſt menſura locati, & omnis menſura quantitatiua habet habitudinem ad menſuratum: ſi autem loquamur de menſura perfectionis, quæ eſt menſura ſecundum perfectionem, etiam hoc habet verum: nam hac ratione in imagine eſt relatio realis ad rem imaginatam, quia imago per repræſentationem eſt menſura exemplaris, & ſcientia dicit relationem ad ſcibile, quia ſcientia quodammodò eſt ſcientia ſcibilis, inquantum ſcientia ſpeculatur ſuum obiectum, regulando eius veritates, & reducendo illas ad ſua principia, & quamuis omnis potentia, inquantum qualitas eſt, dicat ordinem ſecundum dici ad ſuum obiectum, tamen etiam dicit relationem ſecundum dici huius tertij generis, inquantum quodammodò eſt mẽſura ſui obiecti per proportionem, & commenſurationem, quam habet cum illo: tamẽ ſicut menſura eſt duplex, alia actualis, alia quaſi potentialis, ita eſt duplex relatio: nam alia eſt inter menſuram, & menſuratum actuale, alia eſt inter menſuratiuum, & menſurabile, ſi vtrumque extremum ſit à parte rei: nam ſemper conditiones ſuprà allatæ obſeruandæ ſunt.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis patet, quòd omnia relatiua tertij generis ſunt non mutua, nam quamuis à menſura, ad menſurabile ſit relatio realis, contra tamen à menſurabili ad menſuram tantum eſt relatio rationis, quæ eſt extrinſeca denominatio. Et ratio eſt, quia ſicut colorem eſſe viſum, eſt extrinſeca denominatio à viſione actuali, & eſſe viſibile, eſt extrinſeca denominatio à viſione poſſibili, ita eſſe aliquod menſuratum, aut menſurabile, tantum eſt extrinſeca denominatio à menſura menſurante, vel potente menſurare, quia nihil ponit in re menſurata, ſicut neque viſio ponit aliquid in colore: tum etiam, quia vt in extremo aliquo ſit relatio realis, debet habere dependentiam realem ab alio (vt viſum eſt ſupra) menſurabile autem non dependet à menſura, ſicut menſura pendet à re menſurata, tanquam ex obiecto, ad quod ordinatur, qualiter imago dependet ex ſuo obiecto, quod repræſentat, nõ tamen obiectum ab imagine; & ita à menſurabili ad menſuram non eſt relatio realis, ſed rationis: & ideò hæc relatiua tertij generis appellantur non mutua.

Vbi aduertendum eſt, quod etiam in primo, & ſecundo genere ſunt aliquæ relationes non mutuæ; nam relatio diuerſitatis inter creaturam, & Deum, quæ ponitur in primo genere, eſt non mutua, nam quamuis à creatura ad Deum ſit relatio realis, tamen è contra à Deo ad creaturam tantum poteſt eſſe relatio rationis iuxta doctrinam ſuprà traditam. Similiter inter creaturam, & creatorem etiã eſt relatio effectus ad cauſam, quæ fundatur in actione, nempè in creatione, & ita pertinet ad ſecundum genus; & tamen etiam eſt non mutua: nam quamuis ex parte creaturæ ad Creatorem ſit relatio realis, non tamen è contrâ à Creatore ad creaturam. Vnde differentia obſeruanda eſt inter hæc relatiua, quòd relatiua tertij generis omnia ſunt non mutua: relatiua autẽ primi, & ſecundi generis, quamuis aliqua ſint mutua, ſed non omnia; & ita vtrobique ſolum illud extremũ, quod eſt relatiuum, ponitur in hoc prædicamento. De quo ſint ſatis.

CAPVT DE QVALITATE, ET QVALI.

INtentum Ariſtot. in hoc cap. eſt agere de qualitate. Duo agit. In prima parte adducit definitionem qualitatis, & eius ſpecies. In ſecunda parte adducit proprietates illius. Ad primam partem accedentes, ſic definit Ariſt. qualitatem: *Qualitas eſt, qua quales eſſe dicimur*, qualiter ab albedine aliquis appellatur albus. Adducit deinde quatuor ſpecies ſubalternas illius. Prima eſt. Habitus, & diſpoſitio inquit, differunt, nam habitus eſt qualitas difficile mobilis à ſubiecto, & permanentior in illo, qualis eſt habitus virtutis, & habitus ſcientiæ, Diſpoſitio verò eſt qualitas facilè mobilis à ſubiecto, vt calor & frigus, niſi fortè temporis diuturnitate, ita firmiter adhæreat ſubiecto, vt fiant difficilè mobiles, tunc enim, inquit, huiuſmodi qualitates habitus vocari poſſunt.

Subdit autem, quod omnis habitus eſt diſpoſitio quædam. Pro quo aduertendum eſt, quod hoc nomẽ, diſpoſitio dupliciter ſumitur. Primò prout diſtinguitur contra habitum; & hoc modo habitus non eſt diſpoſitio. Secundò, ſumitur largo modo pro qualitate diſponẽte aliquo modo ſubiectum, & hoc modo diſpoſitio eſt genus ad habitum, & diſpoſitionem propriè dictam, quia vtrunque quodammodo diſponit ſubiectum, in quo eſt, & hoc modo appellatur habitus diſpoſitio.

Secunda ſpecies qualitatis eſt naturalis potentia, & impotentia: Naturalis potentia appellatur illa qualitas, per quam naturaliter aliquid operamur, vt potentia viſiua, per quam videmus: Naturalis verò impotentia eſt qualitas, per quam reſiſtimus accidentibus, ita vt non facilè poſſint nos immutare, qua ratione durum reſiſtit accidentibus, vt per ſanitatem non facile immutetur ab accidentibus contrarijs.

Tertia ſpecies qualitatis eſt paſſio, & paſſibilis qualitas; *Paſſio*, inquit, *eſt qualitas citò tranſiens à ſubiecto, cauſata ex perturbatione aliqua*, qualis eſt color rubeus ex verecundia proueniens, aut color pallidus ex ſubita alia mutatione, quæ qualitates citò tranſeunt: nam ſi huiuſmodi qualitates, inquit, ſint permanentes

Digitized by Google

tes diu, & naturales, tunc non vocantur paſſiones, ſed paſſibiles qualitates, qualis eſt color rubeus, & pallidus proueniens à propria natura, & complexione: *Paſſibilis verò qualitas*, inquit, *eſt qualitas illa, per quã in ſenſibus aliqua immutatio fit*, qualiter dulcedo immutat guſtum, & calor, & frigus immutant tactum, & ideò, inquit, paſſibilis qualitas appellatur, non quia ipſa aliquid patiatur, ſed quia alia patiuntur ab illa.

Quarta ſpecies qualitatis eſt forma, ſeu figura, vt quadrangulus, & curuitas; In qua, inquit, ſpecie non ſunt collocanda rarum, & denſum, aſperum, & lene, & ſimilia, quia iſta potius dicunt poſitionem partium quantitatis, quam qualitatem, quia rarum habet partes veluti diſperſas, denſum verò coagulatas.

In ſecunda parte capitis adducit tres proprietates qualitatis. Prima eſt habere contrarium, qualiter albedo, & nigredo contraria ſunt: vbi aduertit, quòd quando alterum cõtrarium eſt qualitas, etiam alterum debet eſſe qualitas, vt albedini contrariatur qualitas, quæ eſt nigredo: hæc tamen proprietas, inquit, non cõuenit qualitatibus omnibus, qua ratione lumen, quod qualitas eſt, nõ habet contrarium, & colores medij, inquit, vt viride, & cærulcum non habent contrarium.

Secunda proprietas eſt ſuſcipere magis, & minus; qua ratione vnum album eſt magis album, quam aliud, quæ proprietas etiam non conuenit omnibus qualitatibus, qua ratione triangulus in ratione figuræ, non eſt magis triangulus quam alius, ſed ſolum ſecundum extenſionẽ, & quantitatem.

Tertia proprietas eſt, quod ſecundum qualitates, dicamur ſimiles, vel diſſimiles, nam diſſimilitudo, aut ſimilitudo fundatur in qualitate.

Vltimò dubitat Ariſtot. quomodo fieri poſſit, quod ſcientia ponatur in hoc prædicamento, cum etiam ponatur in prædicamento relationis. Ad quod reſpondet primò, quod quamuis ſcientia in communi ſit relatiua, non tamen eius ſpecies: nam Grammatica nullius dicitur Grammatica: ſed quia hæc ſolutio non erat adeò vera, nam reuera omnis ſcientia dicit ordinem ad ſuum ſcibile. Reſpondet ſecundò, & melius, quod ſecundum diuerſas conſiderationes ponitur in diuerſis prędicamentis; nam in quantum eſt habitus ponitur in hoc prædicamẽto, in quantum verò eſt relatiua, in prædicamento relationis.

Hæc de hoc capite.

Digitized by Google

Circa literam.

DVbitant autores circa literam huius capitis, qua ratione hoc prædicamentum inſcribatur ab Ariſtotel. nomine abſtracto, & concreto nempè de qualitate, & quali, cum alia prædicamenta vnico nomine inſcribantur, nempe de ſubſtantia, quantitate, &c. Cuius ratio eſſe potuit: nam alia prædicamenta explicata habent rationes peculiares nobis notas, per quas explicari poſſunt, vt quantitas per habere extenſionem, & diuiſibilitatem, & relatio per ordinem ad terminum, tamen qualitas non poteſt, ita commodè explicari, niſi per ſuum effectum formalem, qui eſt facere quale.

Dubitant ſecundò autores, quare Ariſtotel. dicat colores medios nõ habere contrarium, nam reuera viridi contrariatur fuſcum, cum tamẽ ſint colores medij. Reſpondet benè Toletus, cauſam eſſe, quia perfecta, & prima contrarietas tantum eſt in coloribus extremis; nam perfectè contraria, illa ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant: conſtat autem quod maximè diſtant colores extremi, vt album, & nigrum, quam colores medij; nam iſti contrariantur inter ſe, in quantum quodammodo accedunt ad colores extremos, nam quia viride quodammodo accedit ad album, contrariatur fuſco, quod quodammodo accedit ad nigrum, & ita non ſunt perfectè contraria ſicut colores extremi. His circa literam adnotatis in hoc capite tantum vnicam diſputationẽ inſtituemus, in qua naturam qualitatis in communi, & in particulari explicabimus.

DISPVT. VNICA.

De natura, & eſſentia qualitatis in communi, & in particulari.

QVÆST. I.

Quæ ſit eſſentia qualitatis, & de eius proprietatibus.

CIrca primum, quod quæſtio inquirit, nempè, quæ ſit eſſentia qualitatis, notandum eſt ex Ariſt. 5. Metaphyſ. 14. quòd qualitas multis modis ſumitur: nam primò ſumitur pro differentia eſſentiali alicuius rei, in quo ſenſu Porphyr. cap. de ſpecie dixit, quod differentia prædicatur in quale eſſentialiter, & qualitas hoc modo accepta diuagatur per omnia prædicamenta, quia in omnibus reperiuntur differentię eſſentiales, per quas ſuperiora diuiduntur in inferiora.

Secundò ſumitur qualitas pro quocumq; accidenti, in quo ſenſu Porph. c. de accidenti dixit, ꝙ accidens prædicatur in quale accidentaliter, & qualitas hoc modo accepta

Digitized by Google

ta etiam diuagatur per nouem prædicamenta accidentium.

Tertiò, & ad noſtrum propoſitum, ſumitur pro peculiari accidenti, quod ponitur in hoc prædicamẽto, cuius naturam; & eſſentiam inueſtigamus.

Hæc autem qualitas definitur hoc modo: *Qualitas eſt, qua quales dicimur eſſe.* Quæ definitio potius eſt quædam deſcriptio, quàm definitio perfecta, vt in hoc cap. docent Sotus, Tolet. & Caiet. & ratio eſt, quia non definitur per notius, nam ignotum eſt, quod ſit quale, ſicut quod ſit qualitas, quia quale à qualitate denominatur, & ita illa non eſt appellanda vera definitio, ſed aliqua deſcriptio. Supponit enim Ariſt. vulgarem notitiam confuſam, quæ vulgo haberi ſolet de cõcreto quale, & per illud formam ipſam, quæ eſt qualitas, definit, & reuera non ita facilè poteſt aſſignari vera qualitatis definitio, quia ſua eſſentia non eſt adeò nobis nota, & ita non poteſt ſatis clare definiri.

Tamen contra hanc Ariſt. definitionem poſſet aliquis obijcere, quia videtur Ariſt. committere circulum: nam primò ait, *Qualitas eſt, qua quales dicimur eſſe.* Poſteà verò poſt connumeratas ſpecies qualitatis, ait, quod connumerata qualia dicuntur per qualitatem: ergo committitur circulus. Reſpondetur negando committi circulum: quia in prima definitione definitur qualitas in communi, poſteà verò definitur quale, non per qualitatem genericam iam antea definitam, ſed per qualitates in particulari connumeratas: nam poſt connumeratas ſpecies dixit Ariſt. quod ab illis qualitatibus denominamur quales, & ita nõ committit circulum.

Addo prætereà contra Maſium, & alios in hoc cap. hanc definitionem non eſſe deſcriptiuam, ſed eſſentialem, quia qualitas definitur hic per effectum formalem, quem apta eſt tribuere, nempè per hoc, quod eſt facere quale: nam ſicut album eſt effectus formalis albedinis, ita quale eſt effectus formalis qualitatis: ſed tribuere ſuum effectum formalem eſſentiale eſt formæ: ergo hæc definitio eſſentialis eſt, & quidditatiua, licèt non ita perfecta.

Circa proprietates qualitatis ab Ariſt. adductas aduertendum eſt, quod prima illa proprietas, nempè habere contrarium, non conuenit omni qualitati, vt in expoſitione textus dictum eſt: imò nec conuenit ſoli qualitati, quia, vt ait Ariſ. cap. ſequenti, etiam actiones ſunt propriè contrariæ inter ſe, vt calefactio, & frigefactio.

Circa ſecundam proprietatem, quæ eſt ſuſcipere magis, & minus, aduertendum eſt, quod inter qualitates, quædam ſunt, quæ appellantur qualitates graduales, & ſunt illæ,

quæ habent gradus ſecundum quos poſſunt intendi, & remitti, quales ſunt calor, & frigus, & aliæ qualitates huius rationis, & iſtæ ſuſcipiunt magis, & minus, quia habent partes graduales, ſecundum quas poſſunt habere magis, & minus. Aliæ verò ſunt qualitates, quæ nō habent gradus, vt figura, neque enim eſt vna figura intenſior alia, quamuis vna ſit maior alia per accidens ratione quātitatis, in qua eſt, & iſtæ qualitates non ſuſcipiunt magis, & minus. Addo prætereà, quod hæc proprietas non conuenit ſolum qualitati, nam vt Ariſt. ait cap. ſequenti etiam actio ſuſcipit magis, & minus, qua ratione vna calefactio, aut vna illuminatio eſt maior alia.

Solet etiam dubitari circa hanc proprietatem vtrum ſolum conueniat concretis, vel etiam abſtractis, vel vtrum non ſolum calidum, ſed etiam calor in ſe ſuſcipiat magis, & minus. Tolet. & Maſi. in hoc cap. exiſtimant ſolum conuenire concretis, quorum fundamentum eſt, quia Ariſt. in hoc capit. ita inſinuare videtur, quod fundamentum friuolum eſt. Nam Ariſt. ſolùm id docet de qualitatibus, quæ non ſunt graduales: ponit enim exemplum in figura triangulari, aut circulari, figura autem non eſt qualitas gradualis. Quare melius reſpondent Platonici, non ſolum concreta, ſed etiam abſtracta qualitatis recipere magis, & minus: imò concreta hoc habere ratione formæ, quæ eſt abſtractum, & ratio eſt apta, quia calidum denominatur tale à calore: ergo impoſſibile eſt, quod ſit magis calidum niſi à maiore calore: ergo etiam qualitates ipſæ in ſe recipiunt intenſionem. Nec mirum eſt, quia in ſe habent partes graduales ſecundum quas intendi, & remitti poſſint.

Vltima proprietas qualitatis eſt, vt ſecundum illam dicamur ſimiles, vel diſſimiles, circa quod nihil peculiare animaduerſione dignum eſt.

QVÆSTIO II.

Quid ſit habitus, & diſpoſitio, & qualiter ſe habeant.

VEniamus iam ad ſingulas ſpecies qualitatis explicandas, quod ſuo ordine præſtandum eſt. Pro cuius intelligentia aduertendum eſt, quod tam habitus, quàm diſpoſitio multis modis ſumi poſſunt. Primò pro quacunque forma poſitiua cuiuſcunque prædicamenti ſit. In quo ſenſu dici ſolet, quod priuatio, & habitus opponuntur priuatiuè, id eſt priuatio, & forma, qua priuat.

Secundò ſumitur habitus pro actu aliquid habendi, qualiter dicimus aliquem habere veſtem, vel arma, & hoc modo habitus non pertinet adhoc prædicamentum, ſed ad prædicamentum habitus.

Tertiò ſumitur pro quadã facilitate, quã quis habet ad operandum ſuauiter, & promptè, quæ quia ex pluribus actibus ſolet generari, ideò habitus hoc modo appellatur ab Ariſt. difficilè mobilis, & hoc modo habitus pertinet ad hoc prædicamentum.

Similiter diſpoſitio multis modis ſumitur. Nam primò ſumitur pro diſpoſitione, & ordine, quem habent partes in ordine ad locum. Secundò ſumitur diſpoſitio pro illa qualitate, quæ diſpónit ſubiectum ad operandum, & quando hæc eſt pluribus actibus acquiſita, ita vt ſit difficilè mobilis, appellatur habitus, quando verò eſt facilè mobilis à ſubiecto, appellatur diſpoſitio.

His ſuppoſitis circa eſſentiam habitus, conueniunt omnes, qui rectè ſentiunt, habitum eſſe quandam qualitatem, quæ tribuit potentiæ facilitatem, vt operetur, & ita habitus non eſt neceſſarius ad ſimpliciter operandum, quia abſque habitu poſſumus aliquid operari, ſed ſolùm eſt neceſſarius ad facilè, & promptè operandum: Loquor autem de habitibus naturalibus, quos ſecundum vires naturæ acquirimus: nam de habitibus ſupernaturalibus, quales ſunt habitus à Deo infuſi, vt habitus charitatis, eſt res Theologica diſputare, vtrum requirantur ad ſimpliciter operandum.

Maiorem ergo habet difficultatem, quæ ſit eſſentia diſpoſitionis; nam de hoc omnes non eodem modo loquuntur. Quidam dicunt, quod vt aliqua qualitas ſit diſpoſitio, non eſt neceſſarium, quod ſit operatiua, & diſponat ſubiectum in ordine ad operationem, ſed ſatis eſſe qualitatem, qua ſubiectum benè, aut malè afficiatur in ordine ad ſe, id eſt qua in ſe benè, vel malè ſe habeat.

Sed hæc ſententia falſa eſt, quia nulla qualitas eſt, imò nullum accidens, quo ſubiectum non ſe habeat benè, vel malè in ordine ad ſe, quia ſi eſt accidens connaturale, ſubiectum benè ſe habet cum illo, ſi autem eſt accidens contra naturam ſubiectum malè ſe habet cum illo, vt aqua cum calore: ergo benè, vel malè ſe habere non ſunt differentiæ pertinentes ad hoc prędicamentum ſpecialiter. Atque adeò nec ſunt propriæ differentiæ diſpoſitionis, quæ ponitur in hoc prædicamento: ergo ad rationem diſpoſitionis opus eſt, quod diſponat ſubiectum, vel in ordine ad aliquam operationẽ, vel in ordine ad receptionem. In ordine quidem ad operationem, qualiter ſpecies intelligibiles diſponunt intellectum, vt intelligat. In ordine verò ad receptionem qualiter calor diſponit lignum, vt in materia ſecunda illius introducatur forma ignis ab igne comburente illud.

Sed obijcies, in hac ſpecie diſpoſitio-

ſitionis ponitur ſanitas, & morbus, quæ ad nullam operationem per ſe diſponunt. Et Theologi in hac ſpecie ponunt gratiã iuſtificantẽ, quam tamen dicunt non eſſe immediatè operatiuam. Sed reſpondetur ad primum, quod morbus formaliter loquendo, nihil reale eſt, quia formaliter loquendo conſiſtit in priuatione ſanitatis, quamuis pro materiali dicat qualitates illas diſconuenientes, quæ inducunt morbum, illæ ſaltem diſponunt ad corrumpendam vitam animalis, ſanitas autem ſaltem diſponit ſubiectum, vt benè ſuas operationes eliciat, quia ſanitas nihil aliud eſt, quàm ipſæ qualitates bene contemperatæ, quod quando hoc habet, illæ qualitates benè operantur, & ita medici dicunt, quod morbus lædit operationes ſenſibiliter.

Ad aliud de gratia dico, quod quamuis gratia non ſit immediatè operatiua, tamen operatur mediantibus virtutibus ſupernaturalibus. De quo latiùs Theologi.

Solùm ergo ſupereſt difficultas in hac quæſtione, vtrum habitus, & diſpoſitio, ſpecie differant. Prima ſententia affirmat, habitũ & diſpoſitionem eſſe eandem prorſus qualitatẽ operatiuã, ita vt eadem qualitas, quæ eſt in potentia aliqua, dum remiſſa eſt, appelletur diſpoſitio, dum verò intenſa eſt, & difficilè mobilis, appelletur habitus. Ita tenet Simplicius, Boëtius, & Albertus in hoc capite. Et probari poteſt, quia habitus, & diſpoſitio tantùm differunt ſecundum Ariſt. per hoc quod eſt facilè, vel difficilè dimoueri. Sed iſtę differentię accidentales ſunt, ergo tantùm differunt accidentaliter. Probatur minor, quia idem calor ſecundum ſpeciem eſt facilè mobilis ab vnico ſubiecto, nempè ab aqua, ab igne verò eſt difficile mobilis, ergo iſtæ differentiæ accidentales ſunt reſpectu eiuſdem qualitatis, atque adeò non variant ſpeciem eſſentialem.

Secundò, quia vna ſpecies nunquam poteſt fieri alia, neque enim homo fit equus, aut è contra; ſed diſpoſitio quando eſt diuturna fit habitus; ergo non differunt ſpecie habitus, & diſpoſitio.

Tertiò, quia non omnis habitus eſt difficilè mobilis: nam habitus Fidei humanæ habet cauſas facilè mobiles; quia innititur teſtimonio humano, quod fallibile eſt: ergo etiam ipſe habitus eſt facilè mobilis.

Contraria tamen ſententia nobis tenenda eſt, nempè habitum, & diſpoſitionem eſſe qualitates ſpecie eſſentialiter diuerſas. Ita tenet S. Tho. q. 49. art. 2. quem ſequuntur Sotus, Tolet. & Caiet. Fonſeca. 5. Metaph. cap. 14. Et ratione probatur, quia repugnat eandem qualitatem eſſe natura ſua facilè mobilem, eò quod ſunt differentiæ contrariæ, atque adeò

adeò repugnantes in eadem ſpecie: ſed habitus natura ſua eſt difficilè mobilis, & diſpoſitio natura ſua facilè mobilis: ergo diſtinguuntur ſpecie.

Vt tamen probetur minor, in qua eſt tota huius rei difficultas, aduertendum eſt primo, quod inter effectus quidam ſunt, qui vt iam facti conſeruentur, dependent à ſua cauſa producente in fieri, & conſeruari, quale eſt lumen: nam lumen, vt conſeruetur, indiget actuali concurſu luminoſi, & illo ablato perit. Alij verò ſunt effectus, qui poſtquã facti ſunt à cauſa aliqua, non indigent vlterius concurſu illius cauſæ, vt conſeruentur, qualis eſt albedo: nam ſemel producta conſeruatur, etiam deficiente illa cauſa, quæ illam produxit.

Secundò aduertendum eſt, quod per effectus internos, quales ſunt actus intellectus, & voluntatis, producuntur quædam qualitates, quas nos appellamus diſpoſitiones, qualiter per actum intellectus producitur verbum mentis, quod eſt conceptus formatus de re intellecta, & aliquando ex frequentatione plurium actuum producuntur habitus quidam, qui ſunt facilitates quædam, quibus potentiæ internæ melius operantur. Eſt tamen differentia; nam habitus producti diu permanent, & non indigent, vt conſeruentur concurſu cauſæ, quæ illos produxit: nam ceſſante omni actu, adhuc conſeruatur habitus. Cuius rei argumentum eſt, quia in dormientibus conſeruantur habitus; nam ex eo quod quis dormiat, non ideò amittit habitum ſcientiæ: tamen illæ diſpoſitiones, quę ſunt termini producti per actus internos, qualiter verbum mentis eſt terminus intellectionis, dependent ab ipſa actione potentiæ internæ in fieri, & conſeruari, qua ratione tranſacta intellectione etiam deſinit eſſe verbum, & conceptus formatus de re. Hinc ergo patet probatio illius minoris: nam habitus non indigent actuali concurſu potentiæ, vt conſeruentur: ergo natura ſua ſunt diuturniores in potentia, & difficilè mobiles: at diſpoſitiones, & verbum mentis indigent actuali concurſu potentiæ, vt conſeruentur, qui facile deficit: ergo natura ſua ſunt facilè mobiles: ergo habitus, & diſpoſitio differunt ſpecie.

Ex dictis ſequitur, qua ratione verum ſit, quod ex pluribus actibus fit habitus: neque enim intelligendum eſt, quod ipſi actus potentiæ ſint cauſa productionis habitus: quia vt Ariſt. ait 5. Phyſic. *Ad actionem non eſt actio* id eſt, vna actio non eſt cauſa efficiens alterius actionis: ſed illa productio, qua habitus fit in potentia, eſt actio quædam: ergo iſta non fit efficienter ab actibus ipſius potentiæ: quare habitus effe-

ctiuè cauſatur ab illa qualitate producta per tales actus, quæ eſt diſpoſitio; & ita, dici ſolet, quod diſpoſitiones ſunt cauſæ habitus: nam illa diſpoſitio producta per vltimum actum, ad quem conſequuntur habitus, eſt cauſa efficiens ipſius habitus.

Sed dices: Habitus cauſatur ab vltima diſpoſitione: ergo hæc eſt facilè mobilis, quia eſt diſpoſitio; ergo etiam ipſe habitus eſt facilè mobilis. Probo conſequentiam, quia habet cauſas facilè mobiles.

Quod argumentum adeò viris doctis viſum eſt efficax vt propter illud aſſeruerint, habitũ, & diſpoſitionem eſſentialiter non differre. Sed certè miror, virum doctum ita leui argumento fuiſſe conuictum, quia habitus ex omnium ſententia non pendet à ſua cauſa productiua in conſeruari, ſed ſolùm in fieri; & ita quanuis ceſſet diſpoſitio illum producens, adhuc manet habitus, & nõ eſt facilè mobilis.

Ex dictis ſequitur ſecundò, quare iſtæ qualitates, quæ ſunt diſpoſitiones, appellentur diſpoſitiones, ſcilicet, quia diſponunt habitum, & ita diſponunt potentiam, vt per habitum aduenientẽ facilè operetur, vel ſaltem diſponunt potentiam ad aliquid recipiendum iuxta ſuprà dicta.

Tertiò ſequitur, quod in hac ſpecie ponuntur omnes ſpecies impreſſæ, ſcilicet ſpecies illæ, quæ ab obiectis imprimuntur in potentia cognoſcitiua, vt cognoſcat: nam ſi iſtæ ſpecies indigeant actuali concurſu obiecti, vt perſeuerent, dicuntur diſpoſitiones, quia ſunt facilè mobiles, deficiente illa cauſa, quales ſunt omnes illæ ſpecies ſenſibiles, productę ab obiectis in ſenſibus, de quibus plura in libris de anima: & quales etiam ſunt illæ qualitates, quæ producuntur per ſenſationes tam internam, quàm externam, & per intellectionem, aut volitionem, quæ pendent in fieri, & conſeruari à tali actione: ſi verò tales ſpecies impreſſæ natura ſua poſſint conſeruari, deficiente cauſa productiua illarum, quales ſunt ſpecies intelligibiles, q̃ conſeruantur ſemper in intellectu ſunt habitus, quia ſunt difficilè mobiles à potentia; & ita quamuis non tribuant tali potentiæ facilitatem ad operandum, ſicut alij habitus acquiſiti ex pluribus actibus tribuunt, tamen appellantur habitus, inquãtum ſunt difficilè mobiles à potentia.

Supereſt reſpondeamus ad argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primum, quod eſſe aliquid facilè, vel difficilè mobile, contingit duobus modis. Primò per accidens, qua ratione calor maximè intenſus eſt difficilè mobilis à ſubiecto propter maximam eius intenſionem: tamen ſicut habere illam intenſionem, accidenꝫ-

cidentale eſt calori, ita accidentale eſt illi eſſe difficilè mobilem, quia natura ſua facilè mobilis eſt. Alia ſunt, quæ natura ſua difficilè mouentur à ſubiecto, quales ſunt habitus, quia frequentatione plurium actuum natura ſua acquiruntur. Quare ad argumentum reſpondetur, quòd eſſe facilè, vel difficilè mobile à ſubiecto per accidens, & ab extrinſeco, reuera ſunt differentiæ accidentales, vt patet de exemplo caloris: tamen eſſe aliquid facilè, vel difficilè mobile, natura ſua ſunt differentiæ eſſentiales, quæ eidem rei conuenire non poſſunt.

Ad ſecundum reſpondetur, quod aliquid eſſe habitum, cõtingit duobus modis. Primò ſecundum rem, & hoc modo nunquam diſpoſitio, quamuis diuturna, fit habitus, quia differunt ſpecie: alio verò modo aliquid fit habitus tantùm ſecundum modum, & eſt, quando ab extrinſeco fit difficilè mobile tamen reuera natura ſua non eſt tale: & hoc modo ait Ariſtoteles, quod quando diſpoſitio eſt diuturna, vt morbus, fit habitus, nempè ſecundum modum, quia habet quendam modum habitus, inquantum eſt ab extrinſeco difficilè mobilis, quia tamen natura ſua non habet hoc, non fit habitus ſecundum rem.

Ad tertium, quod etiam habitus fidei eſt difficilè mobilis. nam quanuis obiectum formale, & motiuum fidei humanæ ſit teſtimonium humanum, tamen efficienter non cauſatur, niſi frequentatione plurium actuum: & quia non dependet ab illis in conſeruari, ideò eſt natura ſua difficilè mobilis, & diu permanet.

QVÆST. III.

Quid ſit naturalis potentia, & impotentia.

CIrca naturam potentiæ aduertendum eſt, quod potentia ſumitnr duobus modis. Nam primò ſumitur pro potentia obiectiua, quæ appellatur potentia illa, quam habent res nondum exiſtentes, vt ſint, quæ potentia non eſt aliud, quàm ipſa eſſentia rei poſſibilis, quæ ex ſe non repugnat fieri: & potentia hoc modo ſumpta tranſcendit per omnia prædicamenta, ſicut res poſſibiles fieri per omnia prædicamenta tranſcendunt. Alio modo ſumitur potentia pro quadam qualitate, quæ eſt principium operandi, de qua nunc agimus, quam definit Ariſt. 5. Metaph. cap. 12. in hunc modum. *Potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud, inquantum aliud*, id eſt, eſt principium cauſandi mutationem in aliquo ſubiecto. Per quam definitionem ſolùm definitur potentia actiua actione tranſeũte: de hac n. verificatur, ꝙ eſt princi-

Digitized by Google

pium tranſmutandi aliud per actionem tranſeuntem ad illud: tamen ſi velimus definire potentiam actiuam in communi, prout comprehendit potentiam actiuam actione immanenti, & potentiã actiuam actione tranſeunti, ſic definienda eſt. *Potentia eſt qualitas, quæ eſt primum principium operandi.* Perr quam definitionem diſtinguitur potentia ab habitu, quia habitus non eſt primum principium operandi, quia ſine illo poteſt fieri operatio, ſed eſt quædam qualitas ſuperaddita potentiæ, quæ iuuat potentiam, vt facilè, & promptè operetur. Diſtinguitur etiam à diſpoſitione, quia diſpoſitio eſt quædam qualitas ſuperaddita potentiæ, quæ diſponit illam, vt in illa introducatur, quia diſpoſitiones ſunt cauſa habitus, vt dictum eſt. Per hanc etiam definitionem reijciuntur à ratione potentiæ omnes ſpecies intelligibiles, & ſenſibiles: iſta enim non ſunt primum principium operandi, ſed ſunt quædam qualitates ſuperadditæ potentijs, & iuuantes illas ad ſuas operationes, vt latè dicetur in libris de anima.

Sed objicies: Quando ſubſtantia producit in ſe primum accidens, eſt primum principium operandi, quia cùm non ſit dare aliud accidens priùs producit ſubſtãtia illud accidens, tanquàm primum principium operandi: ſed ſubſtantia non eſt qualitas, qualis eſt potentia: ergo hæc definitio non eſt exacta. Reſpondetur, quod ſubſtantia eſt primũ principium operandi ſubſtantiale: nos verò loquimur de primo principio operandi accidentali.

Ex dictis ſequitur, quam verum ſit, quod communiter dici ſolet, quod quantitas, relatio, & res aliorum prædicamentorum, non ſunt operatiuæ, quia omne operãdi principium eſt qualitas; nam ſi eſt primum principium operandi, eſt potentia, quæ eſt qualitas: ſi autem eſt principium ſuperadditum potentiæ, etiam eſt qualitas, nempè habitus aut diſpoſitio: ergo nihil præter qualitatem eſt principium operandi.

Hoc ſuppoſito dubitatur primò circa hanc ſpeciem, vtrùm in ea ponatur potentia, paſſiua, ita quod nõ ſolùm actiua, ſed etiam potentia paſſiua ſit qualitas. Ferè communis ſententia aſſerit, etiam potentiam paſſiuam pertinere ad hanc ſpeciem qualitatis. Nobis tamen dicendum eſt, potentias paſſiuas non poni in hoc prædicamento qualitatis, ſed diuagari per alia. Probatur, quia potentia paſſiua quam habet materia prima ad recipiendas formas ſecundum omnes, eſt quid ſubſtantiale, & ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, quia eſt ipſa eſſentia materiæ, quæ ex ſua eſſentia eſt pura potentia ad omnes formas: ergo ſimiliter potentia paſſiua, quam habet quanti-

Digitized by Google

quantitas ad aliquid recipiendum, eſt ipſa quantitas, cui ex ſe non repugnat aliquid recipere, & ita hæc potentia debet poni in prædicamento quantitatis: ergo potentia debet poni in prædicamento quantitatis: ergo potentia paſſiua diuagatur per plura prædicamenta.

Secundò, quia potentia, quam habet forma ad informandum, non diſtinguitur ab eſſentia ipſius formæ, ſed eſt ipſa forma ex ſua eſſentia habens vim ad informandum: ergo ſimiliter potentia, quam habet cauſa materialis ad recipiendum, non diſtinguitur ab eſſentia ipſius rei receptiuæ. Et ratio à priori eſt, quia ad reciendũ ſatis eſt, quod res recipienda non repugnet ſubiecto, vt ſubiectum poſſit illam recipere; & ita non oportet ſuperaddere qualitatem, quæ ſit principium recipiendi; ſed ipſa res ex ſua eſſentia habet potentiam paſſiuam tamen ad agendum, quia ſubſtantia non eſt immediatè operatiua, vt dicemus in Phyſica, oportet ſuperaddere illi aliquam virtutem, & potentiam actiuam, & ita pertinet ad diuerſum prædicamentum qualitatis.

Addo Ariſtotelem vocaſſe hanc qualitatem naturalem potentiam. quia frequenter, & vt in plurimum hæc potentia actiua ineſt à natura, tamen non ſemper hoc eſt neceſſarium, nam calor præter naturam exiſtens in alia adhuc eſt potentia calefactiua, quia eſt primum principium, quo aqua calefit, non tamen eſt naturalis illi.

Et hinc rurſus infero, aliquando eandem qualitatem conſideratam ſecundum diuerſas rationes formales pertinere ad diuerſas ſpecies qualitatis; nam calor aquæ, inquantum diſponit illam, vt in ea recipiatur forma ignis, eſt in ſpecie diſpoſitionis: inquantum verò eſt principium, quo aqua operatur, eſt in ſpecie potentiæ.

Circa impotentiam dubium eſt, an ſit qualitas aliqua diuerſæ ſpeciei. In qua re dicendum eſt, potentiam, & impotentiam non differre ſpecie, ſed vtramque eſſe qualitatem actiuam, quæ quatenus agit reſiſtendo contrarijs, dicitur potentia; qua ratione, inquit Ariſt. durities eſt potentia actiua, quia obſtat diuiſioni: impotentia verò eſt qualitas actiua, quatenus iuuat ad effectum nõ congruentem ipſi rei: qua ratione molliciem appellat naturalem impotentiam, quia nõ ſolùm non reſiſtit diuiſioni, ſed iuuat ad illam.

Pro quo aduertendum eſt, quod inter qualitates quædam ſunt, quæ producunt ſibi ſimilem, qua ratione calor producit calorem: & hoc modo molle, & durum, non ſunt actiua, quia ſi apponas corpus durum iuxta aliud molle, nunquam corpus durum producet in alio ſuam duriciem.

Aliæ verò ſunt qualitates, quæ ſaltem producunt alium eff ctum diuerſæ rationis ab illis, qua ratione quamuis color non producat alium colorem, tamen producit ſpecies viſibiles in potentia viſiua, & hoc modo duricies, & mollicies ſunt qualitates actiuæ, quia contingit, corpus durum hebetare aliud corpus, qua ratione gladius percutiens corpus durum hebetari ſolet, & mollicies quodammodo iuuat, vt res facilè diuidatur,

Pro quo rurſus aduertendum eſt, quod impotentia non ſumitur hic priuatiuè pro priuatione potentiæ, quia hoc modo non eſt qualitas, ſed nihil, quia priuatio nihil eſt, ſed ſumitur pro qualitate poſitiua facilè cedente contrarijs, imò quodammodo iuuante.

Tandem aduertendum eſt, quod in hac ſpecie potentiæ ponuntur omnes potentiæ ſiue ſint potentiæ rei animatæ, quales ſunt omnes ſenſus, tam externi, quam interni, & potentia generatiua, nutritiua, & ſimiles, ſiue ſint potentiæ rei inanimatæ, qualis eſt grauitas, & leuitas: iſtæ enim ſunt potentiæ, per quas leuia, & grauia cauſant ſuos motus, qualis etiam eſt calor, qui eſt potentia, per quam ignis calefacit, & frigus eſt potentia, per quam aqua frigefacit: & ſic de alijs.

QVÆST. IV.

Quid ſit paſſio, & paſſibilis qualitas?

PRo cuius intelligentia aduertendum eſt, quod paſſio ſumitur multis modis: nam primò ſumitur paſſio, prout ſignificat propriã paſſionem: & hoc modo poteſt diuagari paſſio per plura prædicamenta, qua ratione dicebamus cap. de quãtitate, quod relatio menſuræ ad mẽſuratũ eſt propria paſſio illius, cum tamen talis relatio ſit de prædicamento relationis. Aliquando verò talis paſſio eſt qualitas, quæ eſt potentia ad ridendum: & ita non agimus hic de paſſione hoc modo accepta.

Secundò ſumitur paſſio, prout idem eſt quod receptio, nam omne recipere, eſt pati: & hoc modo pertinet paſſio ad prædicamentum paſſionis. Tertiò ſumitur paſſio pro paſſione, quæ eſt quidam actus appetitus ſenſitiui, qua ratione ira, vel amor appellatur paſſio, qui actus an ſint propriæ actiones de prædicamento actionis, vel potius qualitatis, non eſt huius loci diſputare, ſed pertinet ad libros de anima. Modò verò dicamus cum Thomiſtis, huiuſmodi actus appetitus ſenſitiui eſſe actiones de prædicamento actionis, & ita non poni in hoc prædicamento.

Quar-

Digitized by Google

Quartò ergo ſumitur paſſio ad noſtrum propoſitum pro quadam qualitate citò tranſeunte, quæ ex ſubita mutatione cauſatur, qualis eſt, inquit Ariſt. color rubeus ex verecundia proueniens: & ita iſtæ qualitates appellantur ab Ariſt. paſſiones, quia ex paſſione, & ſubita mutatione cauſantur.

Paſſibiles verò qualitates vocat Ariſt. illas, quæ aliquam mutationē in ſenſibus ingerunt, qualiter dulcedo immutat guſtum, & omnes alię qualitates ſenſibiles immutant ſenſus: & ita (vt optimè Ariſtoteles ait) non appellantur paſſibiles qualitates, quia ipſæ aliquid patiantur, ſed quia ſenſus patiuntur ab illis.

Hoc ſuppoſito dicendum eſt in hac re, paſſionem, & paſſibilem qualitatem non differre eſſentialiter loquendo, ſed tantum accidentaliter, per hoc, quod cauſatur ex ſubita aliqua mutatione, vel ex cauſa diuturna, quod eſt eſſe facilè, vel difficilè mobile per accidens. Quæ ſententia communis eſt, & probatur, quia Ariſtot. appellat paſſionem colorem pallidum ex ſubita mutatione prouenientem; ſed hic color non differt ſpecie à colore pallido proueniente ex complexione naturali, qua ratione appellatur ab Ariſt. paſſibilis qualitas, quia infert paſſionem in ſenſibus, immutando illos: ergo paſſio, & paſſibilis qualitas non differunt ſpecie, quia quod fiat calor ex cauſa ſubita, vel cauſa diuturna, accidentale eſt illi, neque variat eius eſſentiam.

Addo præterea, in hac ſpecie poni omnes qualitates ſenſibiles, vt colores, ſapores, & aliæ, quia iſtæ omnes immutant ſenſus, imò etiam ponuntur in ſpecie potentiæ, inquantum ſunt primum principium operādi, qua ratione color eſt principium producendi ſpecies viſibiles, & ſonus ſpecies audibiles, & ſic de alijs: quia (vt ſupra dicebam) eadem qualitas ſecundum rem, diuerſimodè tamen conſiderata, ponitur in pluribus ſpeciebus. In hac etiam ſpecie ponitur lumen, quia etiam immutat viſum: imò etiam eſt de ſpecie potentiæ, ſi conſideretur, vt eſt potentia ad illuminandum.

QVÆSTIO V.

Quid ſit forma, & figura.

Circa hanc ſpeciē breuiter notandum eſt, quod forma ſumitur multis modis: nam primo ſumitur pro forma ſubſtantiali, qua ratione ponitur in prædicamēto ſubſtantiæ, ſaltem reductiuè, quia eſt pars ſubſtantialis.

Secundò ſumitur pro forma accidentali, & hoc modo diuagatur per omnia prædicamenta accidentium, quia quantitas, & qualitas, & alia

Digitized by Google

alia prædicamenta accidentalia ſunt formæ accidentales.

Tertio, & ad noſtrum propoſitum ſumitur pro figura; nam id; quod à Mathematicis appellatur figura, à Phyſicis appellatur forma, qua ratione dicimus, quòd forma Cathedræ eſt figura illius, & ita in propoſito forma, & figura ſolùm differunt nomine, & hæc figura poteſt definiri hoc modo: *Figura eſt qualitas terminatiua quantitatis*, in qua ſpecie ponuntur omnes figuræ, vt triangulus, quadrangulus, & aliæ.

Eſt tamen aduertendum, quòd figura poteſt duobus modis mutari. Primò per ſolam mutationem localem præſentiæ, qua ratione linea recta fit figuræ circularis, quando per localem motũ incuruatur nulla determinata quantitate, & hoc propriè non eſt mutare figuram in ordine ad ſe, ſed in ordine ad aliud, quia lineæ illi in ſe nulla fit determinatio, neque additio quantitatis; ſolùm ergo immutatur figura in ordine ad ſe per additionem, vel detractionem quantitatis, ad quod ſubſequitur productio nouæ figuræ qua ratione lignum quadratum per determinationem partium fit rotundum: alia verò mutatio figuræ, quæ fit per ſolam diuerſam poſitionem in ordine ad ſitum, potiùs pertinet ad prædicamentum ſitus.

Addo ſecundò figuram realiter diſtingui à quantitate, vt modum rei à re. Probatur ex regula generali ſatis à nobis probata capite de relatione, quod quotieſcunque vnum poteſt dari à parte rei ſine alio, diſtinguuntur realiter: ſed quamuis quantitas non poſſit dari abſque figura aliqua, tamen poteſt reperiri à parte rei determinatè ſine hac figura, & illa, quia poteſt amittere hanc figuram, & habere illam, eadem remanente quantitate, & poſt illam poteſt habere aliam: ergo quantitas realiter diſtinguitur à qualibet figura in particulari.

Vltimò in hoc cap. aduertenda ſunt verba Ariſtot. quibus ait quod rarum, & denſum, aſperum, & lene, non ſunt qualitates, ſed dicunt partium poſitionem; nam aſperum dicit habere quaſdam partes ſupereminentes, alias verò depreſſas, ex quo reſultat in tali qualitate quædam aſperitas. Lene verò dicit partes non ſe excedentes, ſed æquales ſecundum partes exteriores, & ita principaliter conſiſtunt in poſitione partium.

Circa rarum autem, & denſum Albert. hic aſſerit, quod corpus eſſe rarum eſt eſſe diaphanum, denſum verò eſt eſſe opacum: ſed non placet, quia benè poteſt corpus aliquod eſſe diaphanum, & cum hoc eſſe denſum, vt videre eſt in vitro, & cryſtallo. Quare dicendum eſt, quod rarum eſt illud corpus, quod habet

par-

partes minus conglutinatas, & parum poroſas, & ita etiam rarum, & denſum, potius dicunt poſitionem partium, quam aliquam qualitatem, vt optimè in hoc cap. docuit Ariſto. Et hæc de hoc cap.

CAPVT VLTIMVM DE SEX VLTIMIS PRÆDICAMENTIS.

IN hac diſputatione Ariſt. de ſex vltimis prædicamẽtis ſummatim diſputat; præcipuè tamen de actione, & paſſione, de quibus docet recipere cõtraria, nam calefacere, & frigefacere, ſunt actiones contrariæ, & calefieri, & frigefieri ſunt paſſiones contrariæ: docet etiam recipere magis, & minus; nam vna calefactio eſt maior alia. De alijs verò prædicamentis nihil in particulari tradit præter breuem connumerationem illorum; nos verò de ſingulis diſputabimus, in quantum noſtri muneris eſt, & ea, quæ Philoſophica ſunt, ſuis proprijs locis relinquemus.

CAPVT DE ACTIONE.

PRo intelligẽtia huius prędicamenti notandum eſt, quod actio ſumitur multis modis: nam primo ſumitur pro quocunque ſignificato verbi actiui, qua ratione informare, & recipere latiſſima ſignificatione appellantur actiones, quia ſignificantur verbo actiuo, quæ actiones potius ſunt Grammaticales, quam prędicamentales.

Secundò ergo ſumitur actio ad noſtrum propoſitum, pro illo influxu, & cauſalitate, qua agens aliquid producit, quæ actio aliquando appellatur factio, & eſt quando eſt actio tranſiens, aliquando appellatur actio, & eſt quando eſt actio immanens: modo verò in diſtinctione agimus de actione in communi prout comprehendit actionẽ propriè dictam, & factionem.

Secundò aduertendum eſt, quod cum actio ſit illud, per quod effectus dependet ab agenti, actiones aliquando ſunt aliquid ſuperadditum

tum effectui producto, aliquando verò non, & ratio eſt, quia inter res quædam ſunt, quæ per ſuam intrinſecam eſſentiam pendent ab agentibus, qua ratione relatio per ſuam intrinſecam eſſentiã habet dependentiam à fundamento, à quo cauſatur, & ita nõ opus eſt aliqua actione ſuperaddita, per quam pendeat ab illo, hac enim ratione ad actionem non eſt actio, quia actio per ſuam intrinſecam eſſentiam pendet ab agenti, & iſtæ actiones, quia ſunt ipſæ eſſentiæ rerum, quæ producuntur, ponuntur in prædicamento illo, in quo talis res ponitur, quia eſt ipſa eſſentia talis rei per ſe ipſam dependens à tali agenti, & ita non ſunt actiones propriæ huius prædicamẽti, quæ appellantur actiones prædicamentales, ſed ſolum ſunt actiones Grammaticales; tamen aliæ ſunt res, quę eſſentialiter non dependent ab agenti, à quo fiunt, quia etiam illo ſublato conſeruantur, qualiter conſeruatur ignis productus, etiam ſi alius ignis, qui illum produxit corrumpatur, & tunc, quia iſtæ res eſſentialiter, & per ſuam intrinſecam eſſentiam non pendent ab illo agente, opus eſt, quod illa actio, per quam fiunt ab illo dependẽter, ſit aliquod accidens ſuperadditum ipſi rei; & iſtæ actiones ſunt, quæ appellantur prædicamentales, de quibus 3. libr. Phyſic. probabimus, quod diſtinguuntur realiter à termino producto.

Hæc ergo actio definitur à Gilberto hic hac ratione: *Actio eſt forma, per quam denominamur agere in ſubiectam materiam*; quæ definitio nobis non probatur, quia, vt dicemus in Phyſica, creatio eſt propriè actio, non tamen circa ſubiectam materiam, quia ex nihilo aliquid producit.

Quare vera eſt definitio, ſi auferamus illam particulam *circa ſubiectam materiam*; vt ſi dicamus: *Actio eſt forma, qua denominamur agere*, quod alij dicunt: *Actio eſt fluxus proueniens ab agenti*, & ita corruptiones, quæ tendunt in non eſſe rei, nõ ſunt actiones reales, quia non ſunt fluxus poſitiui prouenientes ab agenti, ſed ſunt actiones negatiuæ, quia non producunt aliquid reale, ſed potius deſtruunt, & ita non ſunt fluxus aliquis poſitiuus, & realis, ſed actiones negatiuæ.

Inter actiones autem poſitiuas, quædam ſunt ſucceſſiuæ, qua ratione motus localis eſt quid ſucceſſiuum, & alteratio, v. g. frigefactio; aliæ verò ſunt inſtantaneæ, per quas fit res tota ſimul in inſtanti, qualis eſt illuminatio. De prioribus autem actionibus, ſcilicet de ſucceſſiuis, Tolet. hic exiſtimat, non ſuſcipere magis, & minus ratione ſui, ſed ratione termini, qua ratione vna calefactio eſt maior alia, quia producit maiorem calorem, quod tamen falſum eſt, quia vt ſuprà oſtendimus capi-

Digitized by Google

capite de quantitate, motus habet propriam extenſionem: ergo ratione ſui poteſt recipere magis, & minus, qualiter vero ſe habeant actio, & paſſio in ordine ad motum, & vtrum actio ſubiectetur in agente, vel in paſſo, dicemus 3. libr. Phyſic.

CAPVT DE PASSIONE.

PAſſio ſicut actio poteſt ſumi duobus modis. Primò pro ſignificato verbi paſſiui, qua ratione amari, & videri lata vocabuli ſignificatione paſſiones appellari poſſunt, cum tamen tantum ſint in rigore extrinſecæ denominationes; nam eſſe viſum, vt ſæpe diximus, tantum eſt extrinſeca denominatio, & ita cum nihil reale ſit, non ponitur in hoc prædicamento. Secundò ergo ſumitur paſſio, prout idem eſt quod receptio, quia omne recipere eſt quoddã pati, qua ratione calefactio, prout recipitur in paſſo appellatur paſſio.

Vbi aduertendum eſt, quod ſicut actio non indiget alia actione, per quã fiat, quia per ſe ipſam pendet ab agenti, ita paſſio non indiget alia paſſione ſeu receptione per quã recipiatur in paſſo, quia per ſe ipſam pendet à paſſo.

Secundò aduertendum eſt, quod ſicut inter actiones, quædam ſunt, quæ dicũnt aliquam rationem ſuperadditam rei, quæ fit, aliæ verò non ita inter paſſiones quędam ſunt veluti Grammaticales ſeu tranſcendentales, quia non diſtinguuntur, nec ſunt aliquid ſuperadditum eſſentiæ rei, quæ recipitur: nam modi, qui per ſuam eſſentiam intrinſecè pendent à ſubiecto, ita vt non poſſint dari à parte rei, ſine ſubiecto, qualis eſt ſeſſio, ideò in his paſſio, ſeu receptio, non eſt aliquid ſuperadditum eſſentiæ talis rei, cuiuſuis prædicamenti ſit ille modus, & ita iſtæ paſſiones non ſunt prædicamẽtales, id eſt paſſiones huius determinati prædicamenti. Aliæ verò ſunt paſſiones, quæ diſtinguuntur ab eſſentia illius rei, quæ recipitur, & dicunt aliquid illi ſuperadditum, qualiter omnia accidentia, quæ poſſunt de potent a abſoluta conſeruari ſine ſubiecto, qualis eſt qualitas, & alia accidentia, quæ non ſunt modalia, indigent noua paſſione ſuperaddita, per quam reci-

piantur, quia talia accidentia, cum ſalua ſua eſſentia, poſſint dari ſine receptione in ſubiecto, indigēt paſſione quadam ſuperaddita, qua recipiantur, quæ appellatur paſſio prędicamentalis, quia eſt quoddam accidens ſuperadditum rei, quæ recipitur, ponibile in hoc prædicamento, huiuſmodi autem paſſio ſic definiri poteſt: *Paſsio eſt forma à qua ſubiectum denominatur paſſum.*

Pro quo rurſus aduertendum eſt diſcrimen inter actionem, & paſſionem, quia actio non ſemper denominat agens, in quo ſubiectatur, quia actio tranſiens nō ſubiectatur in agente, ſed in paſſo, & ita nō ſemper denominat agens denominatione intrinſeca, paſſio verò, quia ſemper ſubiectatur in paſſo, denominat illud paſſum denominatione intrinſeca.

Præterea aduertendum eſt, quod paſſio eſt in duplici differentia, alia corruptiua ſubiecti, ſcilicet, quæ ordinatur ad corrumpendum ſubiectū, in quo recipitur, qualiter aqua dum recipit calorem, patitur paſſione corruptiua, quia recipit calorem ſuæ naturæ contrarium: alia verò eſt paſſio perfectiua, & eſt quando aliquid recipit rem ſuæ naturæ conuenientem, quæ non ordinatur ad deſtruēndum illud, qua ratione aër dum recipit lumen, patitur actione perfectiua, qua perficitur in ſuo eſſe.

Dubitatur tamen vtrum actio, & paſſio, diſtinguantur realiter, vel tantum ratione, & formaliter, in qua re autores qui exiſtimant omnia prædicamenta eſſe diuerſa ex natura rei, quos ſuprà retulimus diſputantes de prædicamento in communi, conſequenter affirmant, etiam paſſionem, & actionem diſtingui ex natura rei, cum ſint diuerſa prædicamenta.

Dicendum tamen eſt, cum communi omnium ſentētia, actionem, & paſſionē, tantum diſtingui ratione ratiocinata, & ratio eſt, quia idē fluxus, quo agens influxit in effectum, prouenit ab agenti, & recipitur in ſubiecto aliquo; ſed quatenus prouenit ab agenti, appellatur actio, & quatenus recipitur in paſſo appellatur paſſio: ergo actio, & paſſio idem ſunt ſecundum rem, tantumque diſtinguuntur ratione.

Contra hoc obijci poteſt; nam creatio eſt actio, & tamen non videtur, quod ſit paſſio, quia cum non fiat ex præſuppoſito ſubiecto, non recipitur in ſubiecto: ergo actio & paſſio diſtinguuntur realiter.

De hac difficultate dicemus ſuo loco.

CAPVT

CAPVT DE VBI.

CIrca Naturam, vbi, nõ ſatis conuenit inter autores: quidam enim aſſerunt vbi eſſe extrinſecam denominationem, à continentia actiua corporis continentis. Cuius ſententæ eſt Fonſe. 5. Met. & Sonci. eodem lib. quæſ. 40. Cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia vbi eſt circumſcriptio paſſiua, qualiter eſſe in Gymnaſio eſt ambiri à Gymnaſio, ſed totum hoc eſt extrinſeca denominatio; nam ex eo quod color videatur, nihil ponitur in illo, & ita tantum eſt extrinſeca denominatio: ita quod corpus ambiatur ab alio, nihil reale ponit in illo, ſed denominatur contentum à continentia actiua, quæ eſt in illo: ergo, vbi, tantum eſt extrinſeca denominatio.

Hæc tamen ſententia reijcitur, à Capreolo in 2.d. 6.q. 2. imò meritò ab omnibus, quia ſi, vbi, tantùm eſt eſt extrinſeca denominatio: ergo nihil reale eſt: ergo non ponitur in aliquo ex decem prædicamentis, vbi tantùm ponuntur entia realia, & ita malè Ariſt. conſtituiſſet prædicamẽtum vbi.

Secundò, quia per ſolam extrinſecam denominationem non mutatur res, nam ex eo, quod color ſit viſus, nulla mutatio ſit in colore: ſed per motum localem verè aliquod corpus mutatur: ergo per motum localem aliquid reale acquiritur, nẽpè præſentia localis, quam nos appellamus vbi.

Neque valet ſi dicas, quod per motum localem acquiritur aliquid reale, quia acquiritur locus, tamẽ locus non eſt in corpore locato, quod mouetur, ſed in corpore locante, vt dictum eſt cap. de quantitate. Hæc, inquam, ſolutio falſa eſt, quia terminus per actionem productus, debet eſſe in eodem ſubiecto, in quo eſt actio, v. g. calefactio eſt in ligno, etiam calor per illam productus eſt in ligno: ſed motus localis eſt in ipſo mobili, quod acquirit locum: ergo per talem motum debet produci aliquid in illo, diſtinctum à loco, qui eſt in copore locante, qui terminus productus eſt præſentia localis, quã nos, vbi, appellamus; locus verò, qui eſt in corpore ambiente, tantùm eſt terminus extrinſecus motus localis, vt latiùs 4. Phy.

Secundò, quia ſi corpus moueretur per vacuum, talis motus eſſet actio realis: ergo per eam debet produci terminus realis: ſed in vacuo non acquireret corpus locum rea-

lem,ſed tantùm imaginarium: ergo præter locum, qui eſt terminus extrinſecus,concedendus eſt alius terminus intrinſecus motus localis, qui eſt vbi,ſeu præſentia localis,quæ eſt quoddam accidens inhærens ipſi corpori locato, quod mouetur.

Fuit autem occaſio errandi his autoribus, quædam definitio vbi, quam tradit Gilbertus ſuprà citatus in hunc modum: *Vbi eſt circumſcriptio corporis ex circunſcriptione loci prouenien.* Per quæ verba tantùm videtur denotari extrinſeca denominatio, qua locatum à circunſcriptione corporis ambientis denominatur circumſcriptum;&ita hæc definitio nequaquàm probanda eſt; tum etiam,quia nõ conuenit omni, vbi, quod ponitur in hoc prædicamento.

Pro cuius intelligentia notandum eſt,quod ſicut locus eſt duplex, vt capite de quantitate diximus, ſcilicet circũſcriptiuus, & diffinitiuus: ita præſentia localis,ſeu eſſe in loco, quod idem eſt,quod vbi,duplex eſt; alia enim eſt præſentia localis in loco circumſcriptiuo, quam habent omnia corpora quantitatiua. Alia eſt præſentia localis in loco diffinitiuo, qualiter Angelus eſt in loco; quod vbi,ſeu præſentia localis Angelica, etiam ponitur in hoc prædicamento, quia ſicut ſubſtantiæ ſpirituales ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, ita non ſolùm vbi corporeum,ſed etiam vbi ſpirituale debet poni in hoc prædicamento:ſed hoc vbi non eſt circumſcriptio corporis, quia Angeli non ſunt in loco circumſcriptiuè: ergo definitio illa Gilberti non eſt exacta.Meliùs ergo poteſt definiri, vbi, hoc modo: *Vbi eſt præſentia rei, in loco, vel ſpatio aliquo*, quæ definitio tam conuenit vbi ſpirituali, quàm corporeo, quia vtrunque eſt præſentia in loco, ſiue definitiue, ſiue circunſcriptiuè.

Et ſi inquiras qualiter ſe habeant vbi, & vbicatio? Quibuſdam videtur, quòd ſe habeant ſicut abſtractum, & concretum, ita quod vbicatio ſit abſtractum, vbi verò ſit cõcretum. Sed non placet, quia concretum, quod correſpondet vbi, eſt vbicatum; & ita nulla eſt differentia inter vbi, & vbicationem, niſi ſolùm in nomine.

Eſt tamen aduertendum, quod pręſentia localis,quę idem eſt,quod vbi formaliter, non importat relationem propinquitatis, vt falſo plures exiſtimant. Et ratio eſt, quia id, quod primò,& per ſe acquiritur per motum localem, eſt præſentia localis in tali,vel tali loco;ſed ad relationem non eſt per ſe motus:ergo præſentia localis non importat primariò relationem, ſed modum quendam abſolutum, quo locatum replet locũ: qui modus idem eſt quod vbi, ſeu præſentia localis. Verum

eſt,

Digitized by Google

eſt, quod ad præſentiam localem, ſeu vbicationm, conſequitur deinde relatio propinquitatis ad aliquod corpus, tamen primariò non dicit illam.

Ad quod facilè reſpondetur, quod vbi non eſt circumſcriptio paſſiua, quæ eſt extrinſeca denominatio, & nihil ponit in locato, ſed eſt modus quidam illi extrinſecus, quo taliter ſe habet in ordine ad locum, vt illum repleat: & hoc eſt, quod appellatur vbi, & præſentia localis.

Solent tandem adduci tres proprietates huius prædicamenti. Prima eſt, quod vbi non ſuſcipit magis, & minus ſecundum intenſionem, quia corpus aliquod non eſt magis modò in hoc loco, quàm erat heri. Verum eſt ſecundum extenſionem ſubiecti, in quo eſt, vbi recipere magis, & minus: qua ratione quantò corpus eſt maius, maiorem habet præſentiam localem, quia maiorem occupat locum.

Secunda proprietas eſt propriè non habere contrarium. Tertia, quod ſecundum præſentiam localem res dicantur diſtantes, vel propinquæ. Hæc de hoc capite.

CAPVT DE SITV, SEV POSITIONE.

POſitio duobus modis ſumitur. Nam primò ſignificat ordinē partium in ordine ad ſitum, in quo ſenſu Ariſt. capit. de relatione dicit, poſitionem eſſe ad aliquid; & ita poſitio hoc modo non pertinet ad hoc prædicamentum. Secundò ſumitur ſitus pro ſpatio illo, quod corpus occupat, & hoc modo ſitus non pertinet ad hoc prædicamentum quia ſpatium nihil eſt præter illam vacuitatem, quam intelligimus corpora quantitatiua occupare; & ita extra cœlum eſt ſpatium, quod repleri poſſit per diuinam potentiam cum tamen tale ſpatium nihil reale ſit, quia extra cœlum nihil eſt præter Deum ipſum, qui propter ſuam immenſitatem omne ſpatium imaginabile replet.

Tertiò ergo ſumitur ad noſtrum propoſitum pro peculiari modo, quo res ſe habet in ordine ad locum, vel ſpatium, ita vt in ſuis parti-

Digitized by Google

partibus habeat talem modum occupandi illud ſpatium vt dicatur ſedere, vel ſtare. Itaque poſitio eſt quidam modus taliter exiſtendi in loco, quo partes ſic, vel ſic ſe habeant, qualiter qui ſedet, habet partes flexas, & inclinatas deorſum, ſtans autem habet partes non flexas, ſed rectas; & ita poſitio eſt diſtincta ab vbi, quia, vt ſic vbi, non dicit determinatum modum eſſendi in loco poſitio verò ſic: & hæc poſitio dicitur Vbi.

CAPVT DE QVANDO.

PRædicamentum Quãdo maximè ſimile eſt prædicamento Vbi: nã ſicut vbi eſt præſentia localis, quam res habet in aliquo loco, ita quando eſt præſentia localis, quam res habet in tẽpore: vnde ſicut præſentia localis eſt aliquis modus intrinſecus, quo res eſt in loco; ita quando eſt aliquis modus intrinſecus, quo res eſt in tali vel tali tempore, in qua præſentia in tempore fundatur relatio coexiſtentiæ, quam aliquæ duæ res habent, ſicut dicebamus relationem propinquitatis fundari in præſentia locali corporum; & ita Quando in hunc modum definiri poteſt: *Eſt præſentia rei in reali quadam duratione.* Vnde ſicut duratio eſt multiplex, nempè tempus, & æuum, ita eſt multiplex quando: nam alia eſt præſentia realis in æuo, qualem habent Angeli, alia in tempore, qualem habent res ſucceſſiuæ, vt motus.

Inſurgit ergo hic non parua difficultas; nam ſi quando, eſt præſentia realis in duratione aliqua, ſicut, vbi, eſt præſentia localis in tempore: ergo vtrũq; hoc prædicamentum vniuocè conuenit in ratione præſentiæ: & ita iam non faciunt duo prædicamenta diuerſa, ſiquidem vtrumque habet vnicum genus generaliſſimum, in quo vniuocè conueniunt, ſcilicet præſentiã in communi, prout abſtrahit à præſentia locali, & præſentia durationis.

Quidam reſpondent verum eſſe, quod prædicamentum Vbi, & prædicamentum Quando, eſſentialiter non diſtinguuntur, ſed ex vtroque fit vnum prædicamentum, cuius generaliſſimum eſt præſentia realis abſtrahens à præſentia locali, & durationis. Hæc tamen ſolutio eſt contra

Digitized by Google

contra Ariſt. tum in hoc cap. tum in 1. cap. huius libri, vbi enumerat decem prædicamenta eſſentialiter diuerſa. Quare ne videamur hanc cõmunem ſententiam deſerere, ad argumentum reſpondetur, quod vtrumque hoc prædicamentum non conuenit vniuocè in ratione præſentiæ in communi, ſed per quandam analogiam, & proportionem vnius ad aliud: nam res aliqua dicitur habere realem præſentiam in tempore per quandam ſimilitudinem, & proportionem ad præſentiam realem localem; & ita non conueniunt vniuocè in ratione præſentiæ in communi, ſed per quandam analogiam, & proportionem.

Solent tandem connumerari tres proprietates prædicamenti Quando. Prima eſt, non habere contrarium: nam eſſe hodie, non contrariatur fuiſſe heri, aut fore cras. Secunda eſt, non ſuſcipere magis, & minus: nam non eſt magis hac hora homo, quam equus. Tertia eſt, quod ſecundum hanc præſentiam in tempore res dicantur coexiſtentes, vel non coexiſtentes.

CAPVT DE HABITV.

NON ſumitur in præſẽtia habitus pro qualitate illa, quæ eſt difficile mobilis, de qua cap. de qualitate actũ eſt: neque etiam ſumitur habitus pro forma oppoſita priuatiue priuationi, qua ratione ſolemus dicere, quod priuatio, & habitus opponuntur priuatiuè. Ratio eſt, quia habitus hoc modo ſumptus diuagatur per omnia prædicamenta: nam cuilibet prædicamento correſpondere poteſt ſua priuatio, cum qua priuatiuè opponatur. Vltimò ergo ſumitur habitus ad noſtrum propoſitum pro actu aliquid habendi, qua ratione dicimus hominem habere veſtem, & habere arma, & ſic definitur ab Ariſt. 5. Metaph. c. 12. *Habitus eſt actus medius inter rem habentem, & rem habitam.*

Eſt tamen aduertendum, quod habere aliquid, cõtingit multis modis. Primò per informationem, qua ratione dicimus, corpus habere albedinem, quia informatur ab illa: & hic modus habendi non conſtituit hoc prædicamentum, quia informare in multis prædicamentis reperitur, qualiter in prædicamento qualitatis albedo, & aliæ qualitates

Vu infor-

informant, & quantitas in prædicamento quantitatis: & ſic de alijs.

Secundò contingit habere aliquid per continuationem, qua ratione dicimus hominẽ habere manus, quia illæ ſunt continuæ cum brachio: & hic modus habendi eſt proprius quantitatis, quia cõtinuatio partium de prædicamẽto quantitatis eſt.

Tertiò contingit habere aliquid per dominium: qua ratione dicimus dominum habere ſeruos, & neque hic modus habendi conſtituit hoc prædicamentum, quia nihil reale ponit in re habẽte: nam ex eo quod quis habeat ſeruos, nihil reale in illo oritur, niſi extrinſeca denominatio, qua appellatur dominus, quæ non eſt relatio realis, ſed rationis, nam nulla facta mutatione in domino, neque in ſeruo, ex venditione extrinſeca ab alio oritur relatio dominij, & ſeruitutis.

Quartò contingit habere aliquid per continentiam actiuam, qua ratione dicimus vas habere aquam, aut gymnaſium habere ſcholaſticos; & etiam hic modus dicendi nihil ponit in re habente, quia nihil reale creſcit in gymnaſio, ex eo quod habeat ſcholaſticos, niſi fortè relatio continentis ad contentum, quæ eſt de prædicamento relationis.

Quintò tandem contingit habere aliquid per continentiã paſſiuam, qua ratione dicimus hominem habere veſtem in ſe quia ambitur ab illa: & hic modus habendi pertinet ad hoc prædicamentum, quia dicit quendam modum abſolutum, quo res ſe habet in ordine ad rem habitam, ſicut vbi dicit modum, quo res eſt præſens loco.

Sed dices: Ergo non diſtinguuntur habitus, & vbi, quia vtrumque nihil aliud eſt, quam præſentia rei in alio, qualiter habere locum, nihil aliud eſt, quam præſentia localis in tali loco: ergo prædicamentum habitus, & prædicamentum vbi non diſtinguuntur.

Propter hoc argumentum Fonſec. 5. Metaph. cap. 7. q. 2. aſſerit ſatis probabiliter, hæc duo prædicamenta non eſſe diuerſa. Ne tamen hac in re ſingulares videamur, dicendum eſt, hæc duo prædicamenta eſſentialiter eſſe diuerſa, quia non quælibet præſentia realis conſtituit hoc prædicamentum: nam quamuis Paulus ſit iuxta Petrum, non ideò dicemus Petrum habere Paulum, ſed debet eſſe præſentia in alio, tanquam in re habita, qualiter homo ita eſt ſub veſte, quod dicatur habere veſtem; & ita præſentia, quam aliquis habet in loco, poteſt conſiderari duobus modis. Primò, prout eſt præſentia in ſpatio, & ſic eſt de prædicamento vbi. Secundò, prout eſt præſentia in re habita, nam etiam dicimus habere locum, & hoc modo pertinet ad prædi-

Digitized by Google

prædicamentum habitus; & ita ratione tantum hæc duo diſtinguuntur,

Solet tamen hic inquiri, vtrum hæc ſex vltima prædicamenta ſint abſoluta, vel relatiua. In qua re dicendum eſt breuiter, hæc prædicamenta non eſſe relatiua ſecundum eſſe, alias ponerentur in prædicamento relationis, neque eſſe diuerſa ab alio, contra Ariſtot. & receptam interpretum ſententiam. Addo tamen, importare relationes ſecundum dici ſaltem ad ſubiectum, quia talis ordo ad ſubiectum eſſentialis eſt accidenti omni, quantumuis abſoluto: & ita ab hac relatione (vt ſupra dixi) res non determinantur ſimpliciter relatiuæ, ſed potius abſolutæ.

FINIS.

SELECTA PRO DIALECTICÆ INTRODVCTIONE DE RATIONE TERMINORVM ſuper ſummulas Villalpandei.

PROOEMIVM.

ITa ardua, & per difficilis Logicæ diſputatio apud omnes ſemper habita eſt, quippe de illis diſputat, quæ manu, aut ſenſu percipi minimè valent, ſed de illis, quæ cogitatione, aut mente vix concipiuntur. De ratiocinatione, inquam, operibuſque intellectus dirigendis, quæ cum aliena à ſenſu, aliena etiam à noſtra cognitione videantur, ob id meritò authores aliqui non parui momenti, ſummas ſummularum, ſeu inſtitutiones, aut introductiones ad Logicam Ariſtotelis (idem enim ſunt) in lucem ediderunt. Horum primus extitit Petrus Hiſpanus, deinde Pater Sotus, & Cardinalis Toletus. Denique doctiſſimus doctor Willalpandeus, cuius veſtigia ſecuti ſumus, vtpote inter omnes breuitate, & claritate maxima pollens in ſuis ſummulis, neceſſaria ad Logicæ intelligentiam tradens, omnes excelluit, atque ſuperauit: & cum Logica de tribus intellectus operationibus ſermonem inſtituat, ideò ſummam ſummularum in tres diuiſit partes, vt prima, primæ; ſecunda, ſecundæ; & tertia, tertiæ correſponderent operationi.

Et vt diſtributionem hanc tyrones capiant, notare oportet triplicem eſſe intellectus operationem. Prima eſt ſimplex apprehenſio, qua cognoſcit res ſimplices ſine comparatione ad aliud, vt qua cognoſcit hominē, aut leonē. Secunda eſt cōpoſitio, ſeu diuiſio, vt qua cognoſcit ani-

Digitized by Google

animal conuenire homini, aut animal non conuenire lapidi, conficiendo has propoſitiones: Homo eſt animal: Lapis non eſt animal. Tertia eſt ratiocinatio qua per diſcurſum colligit vnum ex alio, vt quando colligit. Eſt animal rationale: ergo eſt riſibile.

Secundum has tres operationes diuiſit author noſter ſuam ſummularum ſummam. In prima parte agit de termino, & de eius diuiſione, nec non de eius proprietatibus: & hoc pertinet ad primam operationem intellectus, quia ſunt res ſimplices: In ſecunda parte tractatus agit de veritate, & contrarietate propoſitionum: in quo reperitur compoſitio: & ſic pertinet ad ſecundam operationem intellectus, quæ eſt cópoſitio: In tertia denique, & vltima agit author de ſyllogiſmis, in quibus reperitur diſcurſus, ſeu ratiocinatio, quod ad tertiã pertinet operationem intellectus. Coaptauit ergo quarto modo ſapienter noſter author ſuam ſummularum ſummam ordini in Logica ſeruato ſecũdum intellectus operationem. Ecce ergo optimam tradidit nobis introductionem ad Ariſt. Logicam intelligendam: Sed vt ea, quæ in ſingulis capitibus docet apertè, & clarè intelligantur, varijs argumentis oportet, diſcutiantur: quod commodiùs fieri iudicaui, ſi ſuper quodlibet caput vnicam conſtituamus diſputationem: & ſuper quamlibet difficultatem quęſtionem vnam adinuenire decreui.

DISPVT. I.

De termino.

INtentum authoris in hoc capite eſt agere de termino. Caput diuiditur in tres partes; In prima adducit diffinitionem termini ſecundum Ariſtotelem, colligitque ex ea duo corollaria: In ſecunda ponit diffinitionem ſecundum ſophiſtas, & aſſignat differentiam inter illam, & diffinitionem Ariſt. in tertia & vltima duo aſſignat notabilia ad intelligendam diffinitionem Sophiſtarum. Ad primam partem deuenientes, &c.

QVÆSTIO I.

Vtrùm author incipiens à termino rectum ſeruauerit ordinem.

CVm tyronum ingenia inſtruere conemur, id ſanè præſtare valebimus, ſi breuitati, & claritati ſtudeamus. Separemus igitur certa ab incertis, & hoc fiet notabilia, & certa aliqua in hac quæſtione ſtatuentes.

Primò ergo notandum eſt in termino, cum ſit quædam vox, tria reperiri. Primum ſyllabæ, ex quibus componitur: Secundum ſonus, ratione

tione cuius auditu percipitur: Tertium denique ſignificatio.

Secundò notandum eſt inter ſcientias, aut diſciplinas; talem eſſe ordinem, vt vna præſupponat aliam, v. g. dialectica præſupponit Grammaticam: Phyſica Logicam, & ſic de alijs, vnde fieri poteſt omnes tractare de eadem re: diuerſa tamen ratione, & ſecundum eam rationem, qua vna agit, non eſt neceſſarium quod alia agat.

Tertiò notandum eſt duplicem eſſe ordinem, qui ſeruari poteſt in qualibet ſcientia: Alius eſt ordo naturæ, & eſt incipere à partibus ad totum, quia quando natura producit equum, prius producit partes equi: & deinde totum equum. Similiter quando ædificatur domus, prius fundamenta, quæ ſunt partes, iaciuntur, & poſteà fit domus; Vnde incipere à partibus in aliqua ſcientia eſt imitari naturam, & ſeruare ordinem naturæ. Alius eſt ordo doctrinę, qui eſt incipere à toto ad partes, quia doctrina ordinatur ad cognoſcendum aliquid; vnde incipitur à toto, quod eſt notius, ad partes, quæ ſunt minus notæ. Nam quando videmus a longe hominem, prius videmus eſſe hominem, quam quod videamus habere talia brachia, talesque oculos: ſic etiam incipere ab vniuerſalioribus ad minùs vniuerſalia, eſt ſeruare ordinem doctrinæ, quia vniuerſale eſt totum reſpectu ſingularis.

His ſuppoſitis ſit primò certum contra Petrum Hiſpanum, non eſſe incipiendum à ſono. Ratio eſt, quia quamuis ſit vniuerſalior voce, quæ eſt terminus, nõ eſt notior, eo quod eſt ſimplicior voce, & ſic pertinet ad Phyſicum agere de ſono.

Secundò ſit certum, non eſſe incipiendum à ſyllabis, quia de illis agit grammatica, quæ præſupponitur ad Dialecticam, & ſic non eſt neceſſarium de illis agat Dialectica.

Tertiò ſit certum, non eſſe incipiendum à ſignificatione, quia eſt quaſi propria paſſio termini, & prius eſt agendum de eſſentia, quam de paſſione. De ſignificatione agit author. c. 8. primæ partis ſummularum, & Ariſ. in libris de Interpretatione.

Reſtat igitur difficultas, vtrum autor deberet prius incipere ab oratione, propoſitione, definitione, cõſequentia aut diuiſione, quam à termino, vt certum ſeruaret ordinem: & ſit etiam certum in qualibet ſcientia teneri authorem ſeruare vel ordinem naturæ vel doctrinæ. Quod ſi vnicum eorum tantum ſeruet, rectè quidem procedet, melius tamen ſi vtrumque ſimul ſeruauerit.

Sit concluſio reſponſiua. Cum author incipit à termino, ſimul ſeruat ordinem naturæ, & doctrinæ. Et probatur concluſio. Primò ſeruare

Digitized by Google

uare ordinem naturæ. Nam iſte poſtulat vt à partibus ad totũ incipiatur: ſed terminus eſt pars orationis, propoſitionis, & reliquorum, de quibus author agit: ergo ſeruauit ordinem naturæ. Maior eſt certa, Minor etiam, quia oratio fit ex terminis, & propoſitio conſtat ſubiecto, & prædicato, qui ſunt termini: ergo eſt pars omnium, ac per conſequens incipiens à termino ſeruauit ordinem naturæ.

Secunda pars probatur, ſcilicet ſeruaſſe ordinem doctrinæ; Nam hic poſtulat, vt à toto ad partes, vel ab vniuerſaliori ad minus vniuerſale, vel à notiori ad minùs notum incipiamus: ſed terminus eſt totum reſpectu orationis, & aliorum, de quibus agitur, quia eſt vniuerſalius, ſiquidem de illis prædicatur: nam hæ ſunt optimæ prædicationes; Oratio eſt terminus complexus, & ſimiliter propoſitio, nec non conſequentia eſt etiam vniuerſalior terminis in particulari: ergo incipiens à termino incepit à toto, & ſic ſeruauit ordinem doctrinæ.

Sed contra dictam concluſionem eſt primum argumentum. Author ſeruans ordinem naturæ & doctrinæ ſimul, malè proceſſit; ergo non eſt dicendum vtrumque ſimul ſeruaſſe ordinem. Antecedens probatur: Author in hoc tractatu intendit, vt habeatur doctrina de omnibus, de quibus agit: ſed ad habendam doctrinam ſolus ordo doctrinæ ſufficit: impertinenter ſe habet ordo naturæ, nam cum ſolo ordine doctrinæ ſufficienter procederet: ergo quamuis non eſſet ordo naturæ, id apertè fieret, ac per conſequẽs talis ordo in doctrina impertinens eſt, & non debuit author illum ſeruare.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo, quod ſi author ſolum ſeruaſſet ordinem doctrinæ, benè procederet; tamen melius vtrumque ſeruando, & ſic concedimus intendere tradere ordinem doctrinæ. Et quando dicis: Ad hoc ſufficit ordo doctrinæ, concedo: Ergo impertinenter ſe habet ordo naturæ, nego, quia iſte multum iuuat ad illum doctrinæ, eo quod ars imitatur naturam, quia quæ natura produxit, facit cognoſcere, & ſic ordo doctrinæ fundatur ſupra ordinem naturæ, quia quod primò natura produxit, primò in doctrina, ſiuè ſciẽtia cognoſcitur: vnde meliùs eſt vtrumque ſeruare ordinem, quã vnicum tantum.

Sed contrà eſt replica; Eſt eo meliùs ſeruare vtrumque ordinem, quia id, quod natura primò produxit, primò cognoſcitur in doctrina: ſed natura primò produxit partem: ergo in ordine doctrinæ, etiam erit incipiendum à parte. Ad hoc reſpondetur concedendo ſecundum ordinẽ doctrinæ eſſe incipiendum à parte,

parte, non ea ratione, qua pars eſt, ſed ea ratione, qua totum. V. g. animal, quæ eſt pars hominis, eſt etiam totum reſpectu ipſius hominis, in quantum prædicatur de illo; vnde ſeruando ordinem naturæ in ſcientia de homine, incipimus ab animali, quia eſt pars, & ſeruando ordinem doctrinæ, etiam incipimus ab animali, non in quantum eſt pars componens, ſed in quantum prædicatur de homine, & ſic eſt totum potentiale. Sic dicimus de termino, Author incipiens à termino, qui componit propoſitionem, ſeruauit ordinem naturæ, & in quantum eſt id, quod prædicatur de propoſitione, & de alijs, ſeruauit ordinem doctrinæ; Ecce iſti ordines incipiunt ab vnare, quamuis diuerſa ratione, & ſic dicunt aliquam connexionem inter ſe: vnde quia ſunt cõnexi, meliùs eſt vtrumque, quam vnum tantùm ſeruare ordinem.

Sit ſecundum argumentum ad probandum non ſeruaſſe ordinem naturæ. Ordo naturæ eſt incipere à partibus ad totum (vt dictum eſt): ſed terminus in communi, à quo incipit author, eſt totum reſpectu termini in particulari, & reſpectu propoſitionis: ergo non incepit à partibus, & ſic non ſeruauit ordinem naturæ. Minor probatur, ſcilicet quod terminus in communi ſit totum reſpectu termini in particulari & reſpectu propoſitionis, quia de illis prædicatur, & ſic eſt totum prædicabile.

Pro ſolutione huius argumenti eſt notandum, duplex eſſe totum; vnum prædicabile, ſeu potentiale, & eſt illud, quod prædicatur de alio, vt animal eſt totum potentiale reſpectu hominis quia de illo prædicatur: aliud eſt totum actuale, vt homo, qui componitur ex corpore, & anima: & domus, quæ componitur ex lignis, & lapidibus eſt totum actuale.

Hoc ſuppoſito reſpondetur ad argumentum diſtinguendo maiorem: Ordo naturę eſt incipere à partibus ad totum, diſtinguo; A partibus totius actualis, concedo; A partibus potentialis, nego: & quia oratio & propoſitio ſunt quædam tota actualia, quorum pars eſt terminus, ideò incipiendo à termino ſeruauit ordinem naturæ, quia incepit à parte, quæ eſt terminus.

Sed contra ſic argumentor, Sicut totum actuale, v. g. homo, conſtat partibus actualibus, ſcilicet corpore, & anima: ita totum potentiale conſtat ſuis partibus potentialibus. V. g. animal, quod eſt totum potentiale conſtat ſuis partibus potentialibus, de quibus prædicatur, videlicet ſpeciebus homine, & equo, & leone, iſtæ enim ſunt partes animalis: ergo ſicut ad cognoſcendum hominem ſeruando ordinem naturæ, incipimus à corpore, & anima,

ma, ita vt cognoſcamus animal, quod eſt genus, & totum potentiale, debemus cognoſcere ſpecies, ſcilicet hominem, & equum, qui ſunt eius partes potentiales: ergo debuit incipere à termino in particulari, vel à propoſitione.

Ad hanc replicam reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam vltimam: nam ordo naturæ eſt incipere à partibus illius totius, de quo eſt intentum agere in opere, & quia autor intendit agere de propoſitione, oratione, & ſyllogiſmo, quæ ſunt tota actualia, & terminus eſt pars actualis illorum, ideò benè agit incipiendo à termino, vt eſt pars, & non vt eſt totum.

Sit tertium argumentum ad probandum non ſeruaſſe ordinem doctrinæ. Ariſt. in libris de Priori reſolutione ſeruauit ordinem doctrinæ, & tamen incepit à propoſitione: ergo etiam autor ab illa debuit incipere. Ad hoc argumentum reſpondetur, Ariſtotelem ibi agere de reſolutione ſyllogiſmorum, & in hac prima pars eſt propoſitio, at tantum author intendit agere de propoſitione, conſequentia, definitione, quarum pars eſt terminus.

Sit quartum argumentum. Ariſt. 2. Metaph. cap. 2. docet eſſe abſurdũ ſimul tradere ſcientiam, & modum ſciendi, id eſt diffinitionem, quæ eſt modus ſciendi: ergo abſurdum erit, antequam author agat de diffinitione, quæ eſt modus ſciendi, tradere ſcientiam de ipſo termino. Reſpondetur in alijs ſcientis eſſe verum, tamen in ea, in qua agitur de ipſa definitione, non eſt abſurdum, quia ad explicandam definitionem, oportet cognoſcere illius partes, & iſtæ ſunt termini, & ſic prius eſt agendum de termino.

Quintum argumentum ſit. Ordo doctrinæ eſt incipere à toto ad partes: ſed propoſitio non eſt pars termini, adhuc potentialis: ergo ſimiliter diffinitio, nec diuiſio: ergo non incepit à toto ad partes. Minor probatur, quia illud, quod eſt totũ potentiale, prædicatur, & diuiditur formaliter in illa, de quibus prædicatur, ſicut animal, quod eſt totum potentiale ad hominem, & equum, diuiditur, & prædicatur de illis formaliter: ſed terminus non prædicatur de propoſitione, & diuiſione, & de alijs formaliter, ſed ſolum materialiter: ergo non eſt formaliter totum potentiale reſpectu illarum, & ſic non ſeruauit ordinem doctrinæ reſpectu illarum.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo totum, & negando conſequentiam, quia ſufficit, quod terminus ſit totũ potentiale reſpectu terminorum in particulari, & reſpectu termini complexi; de his enim formaliter prædicatur, & ſic formaliter eſt totum potentiale.

Alij communiter ſolent reſpondere,

Digitized by Google

dere, quod ſufficit materialiter dici de propoſitione, & diuiſione terminum, vt ſit totum potentiale. Hæc ſolutio non valet, quia ſi materialiter ſolum prædicatur, non erit formaliter totum, ſed ſolum materialiter: ergo non eſt verè totum, & ſic eſt euidenter dicendum non ſeruaſſe ordinem doctrinæ incipiendo à termino reſpectu orationis, & propoſitionis, ſed ſolum reſpectu terminorum in particulari, & reſpectu termini complexi.

Sextum argumentum ſit. Ordo doctrinæ eſt incipere à toto ad partes, ſed terminus eſt pars: ergo non poteſt eſſe totum quia nulla res poteſt eſſe ſimul totum & pars: ergo non incipit à toto incipiendo à termino.

Ad hoc argumentum reſpondetur diſtinguendo antecedens. Nulla res poteſt eſſe ſimul totum, & pars, diſtinguo. Pars actualis, & totum actuale, concedo. Pars actualis, & totum potentiale, nego. Sicut animal ſimul componit hominem, & ſic eſt pars actualis, & prædicatur de illo, & ſic eſt totum potentiale, ſic terminus ſimul componit terminum cōplexum, & ſic eſt pars actualis, & etiam prædicatur de illo, & ſic eſt totum potentiale.

Septimò argumentor ſic. Ordo doctrinæ eſt incipere à notioribus, ſed totum eſt notius ſua parte, at propoſitio eſt totum reſpectu termini, ſi quidem componitur ex illo: ergo à propoſitione erat incipiendum: Ad hoc argumenrum reſpondetur concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem. Totum eſt notius ſuis partibus, diſtinguo. Cognitione confuſa, concedo. Cognitione diſtincta, nego; & quia terminus eſt pars propoſitionis eſt notior cognitione diſtincta.

Octauum argumentum. Definitio eſt notior termino: ergo non ſeruauit ordinem doctrinæ. Antecedens probo. Quod eſt pars definitionis, eſt pars definiti, v. g. animal, quod eſt pars definitionis hominis eſt pars illius, qui eſt definitum: ſed propoſitio ponitur in definitione termini, & eſt pars illius: ergo etiam erit pars termini.

Ad hoc argumentum reſpondetur diſtinguendo antecedens. Quod eſt pars definitionis tanquam verum genus, eſt pars definiti, concedo. Quod eſt pars definitionis tanquam aliquid extrinſecum, nego: & propoſitio non ponitur tanquam verum genus, nec vera differentia, & ſic non eſt pars termini.

QVAEST.

Qvæst. II.

Vtrum definitio termini ſit exacta.

IN hac quæſtione primò præſuppoſnendum eſt duplicem eſſe definitionem termini, vna Ariſt. 1. libr. Priorum. c. 1. quæ his verbis continetur. *Terminum voco, in quem reſoluitur propoſitio, vt in prædicatum, & de quo prædicatur appoſito vel ſeparato eſſe vel non eſſe*; Quæ ſic declaratur, *Terminus eſt pars propoſitionis, in quam reſoluitur propoſitio tanquam in prædicatum, & ſubiectum in propoſitione affirmatiua, vel negatiua*, & hæc diffinitio habetur de termino tanquam de parte, in quam reſoluitur propoſitio.

Secunda definitio eſt noſtri authoris relata in c. de termino; *Eſt extremum propoſitionis, id eſt, ſubiectum & prædicatum in quæ tanquam in partes propoſitio reſoluitur.* Et in explicatione huius definitionis eſt noſtra quæſtio. Huiuſmodi definitiones primò differunt, quia prima explicat terminum, vt pars, in quam reſoluitur. Secunda explicat terminum, vt eſt pars componens propoſitionem. Secundò differunt: nam prima eſt deſcriptiua, quia explicat propriam paſſionem; Secunda eſt eſſentialis, vt infrà dicemus: nam ex eo quod ſit pars, eſt eſſentia termini, & ex eo quod ſit pars, naſcitur quod propoſitio reſoluatur in terminum, ſicut ex riſibili naſcitur eſſe animal rationale.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio in hac quæſtione. Definitio termini ſolum continetur illis verbis: *Extremum propoſitionis.* Reliquæ particulæ ad maiorem explicationẽ ponuntur. Hæc concluſio probatur. Primò ex Authore: nam poſtquam dixit: *Extremum propoſitionis*, ſtatim ſubdidit, *Id eſt, ſubiectum, & prædicatum*, ſed illa particula, *id eſt*, denotat explicationem eorum, quæ dicta erant: ergo omnia, quæ dicuntur poſt particulam, *id eſt*, ad explicationem ponuntur, & non intrant in definitionem.

Secundo probatur ratione: nam in illis verbis *Extremum propoſitionis* includitur genus & differentia termini, aut aliquid illorum; ergo integra definitio termini continetur illis verbis, & ſic aliæ ſunt ad explicationem.

Tertiò probatur: nam ſi definitio non eſſent ſola illa verba *Extrema propoſitionis* eſſet nimis lõga oratio, & etiam cuilibet termino conueniret eſſe ſimul ſubiectum, & prædicatum: nam dicitur, *id eſt ſubiectum & prædicatum*: ergo ſi hæc verba eſſent de definitione, conuenirent termino, qui eſt definitum, & ſic ſimul eſſet ſubiectum, & prædicatum: hoc non eſt dicendum: ergo nec quod ſint in definitione niſi ad maiorem explicationem.

Digitized by Google

Sed dicet aliquis, quod illa particula & cum dicit autor *ſubiectum & prædicatum* intelligitur, vel ſumitur pro diſiunctione vel. Reſpondetur id eſſe reſpondere ad libitum, & ſine fundamento: Vnde enim colligitur ita ſumi: nam in propoſitione vera poſſem ego dicere ſumi pro falſa, vel in negatiua pro affirmatiua: non enim minus opponuntur. Ergo non eſt dicendum & ſumi pro illa, vel è contra.

Sit primum argumentum contra dictam concluſionem. Si definitio conſtat ſolum illis verbis. *Extremũ propoſitionis*, ſequitur talem definitionem eſſe nimis obſcuram: ergo eſt mala. Antecedẽs probo nam indiget alijs verbis ad maiorem explicationem. Quibus reſpondetur definitionem ſatis eſſe claram, tamen quia traditur tyronibus, & incipientibus ideò indiget expl catione.

Sit ſecundum argumentum. Si definitio ſit in illis verbis *Extremum propoſitionis* conuenit alijs à definito: ergo eſt mala, aut non eſt in ſolis illis verbis. Antecedens probo. Nam verbum, *eſt*, in hac propoſitione. Hoc eſt animal, eſt extremum propoſitionis, & tamen non eſt terminus: ergo definitio conuenit alijs à definito, hoc eſt alicui rei, quæ non eſt terminus.

Ad hoc argumentum reſpondetur, quòd verbum, *eſt*, non eſt extremum propoſitionis officio, ſed tantum poſitione, quia eius officium eſt coniungere extrema, quod non tollitur, quia ponatur ante, vel poſt terminum.

Sit tertium argumentum. Oratio, & propoſitio, ſunt extrema in his propoſitionibus. Homo albus eſt corpus: & in hac. Homo eſt animal eſt propoſitio; ergo ſi definitio intelligatur illis verbis ſolis, oratio, & propoſitio, erunt termini. Hoc eſt falſum: ergo illud, ex quo ſequitur. Reſpondetur eſſe extrema materialiter, & non formaliter.

Sit ſecunda concluſio in hac quæſtione. Diffinitio termini eſt quidditatiua, & eſſentialis. Hæc concluſio probatur ſic. Illa eſt definitio eſſentialis, quæ naturam, & eſſentiam explicat rei; ſed hæc explicat eſſentiam termini. Ergo eſt definitio eſſentialis termini. Maior eſt certa. Minor probatur, Illa eſt eſſentia termini, quæ primò illi conuenit, ſed componere propoſitionem, vt pars, & extremum illius, primò conuenit termino: ergo eſt eſſentia illius. Antecedens probo: nam eſſentia partis eſt componere totum, ita vt non ſit actu pars, niſi actualiter componat totum: ſed terminus non eſt actu pars, niſi actu componat: ergo quod primò conuenit termino, eſt eſſe partem propoſitionis tanquam extremũ: ergo definitio eſt eſſentialis.

Sit primum argumentum contra prædictam concluſionem. Hæc definitio potius eſt diuiſio, quam definitio: ergo falſum eſt dicere eſſe eſ-

ſentia-

Digitized by Google

ſentialem definitionē. Antecedens probo, æquiuoca prius ſunt diuidēda, quam definienda, ſed terminus eſt æquiuocus: ergo prius eſt diuidendus, quam definiendus; ſed ante hanc definitionem non diuiſerat author terminum: ergo hæc diuiſio eſt potius, quam definitio. Minorem probo, ſcilicet quod terminus ſit æquiuocus: nam eſt communis ad terminum ſignificatiuum ad placitum, & naturaliter, ſcilicet ad terminum vocalem, qui ſignificat ad placitum, & ad terminum mentalem, qui ſignificat naturaliter; ſignificatio autem ad placitum eſt ens rationis, ſignificatio verò naturalis eſt ens reale, ad ens rationis, & ad ens reale non datur aliquid vniuocū; ergo terminus eſt æquiuocus.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo, quod terminus eſt cōmunis ad terminum mentalē, & vocalem, & ſimiliter quod ſignificatio ad placitum ſit ens rationis, & ſignificatio naturalis ſit ens reale, negādo tamen ꝙ terminus, qui hic definitur ſit ęquiuocus, quia nō definitur in quantū eſt ſignificatiuus, ſed inquantum eſt pars propoſitionis; & hac ratione eſt vniuocus ad terminum vocalem, mentalem, & ſcriptū, qui æqualiter conueniunt in componendo propoſitionē. Nam ſicut vocalis componit propoſitionē vocalem, ita mentalis componit mentalem, & ſic de ſcripto. Vnde hæc eſt definitio vera & eſſentialis.

Sit ſecundum argumentū. Omnis bona definitio debet conſtare vero genere, & vera differentia; hæc non conſtat: ergo nō eſt bona. Antecedens probo: nam ſi non conſtet vero genere: & vera differentia: ergo non benè explicat eſſentiam rei.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens: nam ſufficit quod conſtet vero genere, & alio, loco differentiæ. Vnde in hac definitione termini, extremum eſt verū genus, quia extremum extenditur ad omnia vltima rerum: nam vltima pars lineæ, & baculi, eſt extremum, vnde extenditur ad plura, quam terminus. Sicut animal eſt genus hominis, quia extenditur ad plura, quā homo, ſcilicet ad equum, & leonem. Et particula *Propoſitionis* ponitur loco differentiæ, & quādo dicis: Ergo non benè explicat naturam rei, nego. Quia ad hoc non requiritur conſtare vero genere, & vera differentia: nam cum terminus habeat ſuam eſſentiam in ordine ad propoſitionem, non poteſt explicari, niſi ponatur propoſitio in ſua definitione loco differentiæ.

Sit tertium argumentum: Extremum nō eſt verum genus: ergo falſum eſt quod diximus. Antecedens probo. Accidit termino, quod ſit extremū, vt patet in hac propoſitione. Homo animal eſt. Animal eſt terminus, & tamen non eſt extremum, quia non eſt vltimum propo-

 ſitio-

Digitized by Google

ſitionis:ergo extremum non eſt genus, quia genus eſt eſſentiale,& non accidentale, ſicut animal in homine.

Reſpondetur negando antecedens,ſcilicet quod accidat termino quod ſit extremum, & in dicta propoſitione, quamuis ille terminus, *Animal*, non ſit extremum,poſitione, eſt tamen officio, quia coniungitur animal cum homine per illud verbum,*eſt*, & ſic *Animal*, eſt extremum,& verbum,*eſt*,copula.

Sit quartum argumentum. Sequitur quod ſi extremum ſit verum genus, eſſe malam definitionem termini; nam extremum eſt genus remotum, quia inter ipſum, & terminum,mediat aliud genus, ſignũ, ergo deberet diffiniri terminus per ſignũ tanq̃ per genus proximũ, ſicut hominẽ definimus: Eſt animal rationale, quia animal eſt genus proximum, eo quod inter hominem,& animal,nihil mediat;& non definimus: Homo eſt ſubſtantia rationalis, quia ſubſtantia eſt genus mediatum, quia inter illam, & hominem mediat animal: ergo ſi definitio termini eſt bona, extremum non eſt genus, ſed potiùs debebat poni ſignum tanquam genus. Primò quod extremum ſit genus remotum ſic probo. Quia extenditur ad omnia vltima rerum, at ſignum non extenditur niſi ad dictionem: ergo eſt magis commune extremũ, quàm ſignum.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens,ſcilicet quod extremum ſit genus remotũ, negando tamen conſequentiam, ſcilicet quod definitio ſit mala, quia non ponatur ſignum vt genus:nam ad oſtendendum quod terminus ſit ſimul ſignum,& actu pars propoſitionis, aptius ponitur extremum vt genus,quam ſignum. Sicut ſi velimus ſimul probare, quod homo ſit ens per ſe: & rationalis,aptiùs dicemus: Eſt ſubſtantia rationalis,quã: Eſt animal rationale; & tamen ſubſtantia eſt genus remotum, quia benè ponitur extremum vt genus,etiam ſi ſit remotum, quia ad intentum Ariſtot. & Authoris, quod eſt probare terminum eſſe partem actualem propoſitionis,aptiùs fit per extremum, quam per ſignum, quia vox ſeu dictio extra propoſitionem eſt ſignum, non tamen eſt extremum propoſitionis.

Secundò poſſumus reſpondere ad prædictum argumentum,& meliùs meo iudicio, quod extremum, & ſignum,non ſunt genera ſubordinata, & ſic vnum reſpectu alterius non poteſt dici proximum & alterum remotum: vnde non eſt ratio quare definiatur terminus per ſignum tanquam per verum genus quod non ſint ſubordinata; ſic patet.Nam non valet:Eſt ſignum:ergo eſt extremũ; quia dictio extra propoſitionem eſt ſignum, vt v. g. homo,

Digitized by Google

mo, & tamen non eſt extremũ: ergo non ſunt ſubordinata. Conſequentiam probo: nam ſubſtantia, & animal, quę ſunt genera ſubordinata in homine, vnum dicitur remotum, ſcilicet ſubſtantia, & animal dicitur genus proximum. Et ex eo valet: Eſt animal: ergo eſt ſubſtantia, & ſic ſunt genus proximum, & remotum, animal proximum, & ſubſtantia remotum. Ergo ſi non valet: Eſt ſignum: ergo eſt extremum, non erunt, vnum genus proximum, & aliud remotum: ergo ſignum non eſt genus proximum ac per conſequens non debuit definiri terminus per ſignum, vt genus.

Sed obijcies: Si extremum, & ſignum reperiuntur in termino, & extremum ſe extendit ad plura, quã ſignum, qua ratione erunt duo genera ſubordinata, vel quomodò ſe habent.

Reſpondetur, quod in rebus paruæ entitatis, & quæ non ſunt entia phyſica, & naturalia perfecta, non eſt tanta perfectio, vt ſint genera ordinata, ſicut in homine, & alijs; & ſic in termino extremum, & ſignum ſe habent tanquam duæ rationes per ſe requiſitæ ad completam rationem termini.

Sed aduerſus eandem definitionem termini ſit primum argumentum ad probandum illam particulam *Propoſitionis* non eſſe differentiam. Et primò, quod non ſit differentia, probatur: nam non valet: Eſt terminus: ergo eſt propoſitio. Neque è contra: Eſt propoſitio: ergo eſt terminus; ſed ſi eſſet differentia, valerent prædictæ conſequentiæ, ſicut quia rationale eſt differentia hominis, valet: Eſt rationale: ergo eſt homo. Eſt homo: ergo eſt rationale.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo illam particulam, *Propoſitionis*, non eſſe veram differentiam definitionis termini, tamen ponitur loco differentiæ, quia cum terminus dicat ordinem eſſentialem ad propoſitionem, non poteſt explicari talis ordo: niſi ponatur propoſitio in eius definitione loco differentiæ; & ſic non eſt neceſſarium, quod conuertatur cum illa, quæ ponitur loco differentiæ.

Sit ſecundum argumentum. Per illam particulam *Propoſitionis*, non differt terminus ab alijs, quæ non ſunt termini: ergo non ponitur loco differentiæ. Antecedens probo: nam oratio, & propoſitio ſunt extrema propoſitionis hypotheticæ, & tamen non ſunt termini: ergo per illam particulam non diſtinguitur ab alijs terminis.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia particula illa *Propoſitionis*, quæ ponitur in definitione termini, intelligit propoſitionis categoricæ, & non hypotheti-

theti-

theticę. Sed cõtrà ſic argumẽtor: Propoſitio hypothetica eſt verè propoſitio, ſicut categorica. Ergo non eſt ratio, cur illa particula magis intelligatur de categorica, quàm de hypothetica. Et confirmatur: Nam differentia in definitione debet eſſe clara, & non ſubintellecta, quia ſic eſt obſcura: ergo non intelligitur de propoſitione categorica. Ad hanc replicam reſpondetur concedendo antecedens, negando tamen conſequentiam, quia ex intentione Authoris colligitur clarè particulam illam *Propoſitionis*, eſſe categoricæ. Nam intendit docere formam ſyllogiſmi, quæ fit propoſitionibus categoricis, & non hypotheticis, & ſimiliter Ariſt. in loco, ex quo Author deſumpſit hanc definitionem expreſsè, & clarè agit de propoſitione categorica, Vnde his ſuppoſitis differentia illa non eſt obſcura, ſed ſatis clara.

Sit tertium argumentum contra eandem concluſionem. In hac propoſitione. Petrus currit velociter, hic modus *Velociter* eſt extremum propoſitionis, & tamen non eſt terminus. Ergo quamuis illa particula *Propoſitionis* intelligatur de categorica, non eſt loco differentiæ, quia per illam non differt terminus ab his, qui non ſunt termini.

Ad hoc argumentum reſpondetur, quod ille modus *Velociter* eſt extremum, hoc eſt vltimũ propoſitionis, tamen non eſt extremum, quia non eſt id, quod coniungitur copula, ſed modus extremi: nam prædicatum eſt id, quod coniungitur, & ille modus eſt prædicati. Vel ſecundò reſpondetur, quod ille modus *Velociter*, non eſt extremum tamquàm ſubiectum, vel prædicatum, quod requiritur, vt aliquid ſit terminus.

Quartum argumentum. Verbum, eſt, non eſt extremum propoſitionis, & tamen eſt terminus: ergo falſa eſt definitio. Antecedens probo. Propoſitio reſoluitur in verbum, eſt, quia propoſitio hæc. Homo eſt animal, reſoluitur in ea ex quibus componitur: Et confirmatur, nam eſt forma propoſitionis, ſiquidem eſt copula: ergo.

Ad hoc ergo argumentũ reſpondetur negando antecedens, ſcilicet quod ſit terminus, & concedendo quod propoſitio reſoluatur in verbum *eſt*, non tamen tanquam in partem, ſed tanquam in modum, vt linea componitur ex punctis, non tanquam partibus: ſed modis coniungentibus partes. Vnde negamus, quod verbum *eſt*, ſit forma in propoſitione.

Sed ſi quæras quæ ſit forma propoſitionis, reſpondeo; quod prædicatum reſpectu ſubiecti, & enuntiatio reſpectu totius propoſitionis.

Sit

Digitized by Google

Sit quintum argumentum: Homo, & animal, quando ſunt extra propoſitionem, ſunt verè termini, & tamen nō ſunt actu extrema propoſitionis categoricæ: ergo falſa eſt noſtra interpretatio definitionis termini. Antecedens probo: nam verba in definitione non dicunt actum, ſed aptitudinem, hoc eſt non debent declarari per actum, ſed per potentiam. v. g. quando dicimus. Homo eſt riſibilis, vt hæc definitio ſit vera, non requiritur quod homo actu rideat, ſed quod poſſit ridere. Sic ſimiliter ad hoc, vt vox ſit terminus, non requiritur, quod actu ſit extremum, ſed quod poſſit eſſe: ergo cum homo, & animal, extra propoſitionem habeant potentiam, vt poſſint poni in propoſitione, & eſſe extrema, erunt termini.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens, ſi intelligatur de omnibus rebus: nam licet de aliquibus rebus abſolutis ſit verum, vt de riſibilitate, & de alijs, tamen de alijs, quarum eſſentia conſiſtit in actu, non eſt verum, vt patet de qualibet parte componente: non enim eſt actu pars, niſi actualiter cōponat, vt lignum, & lapis, non eſt actu pars domus, niſi actu componat domum, ſic terminus, quia eſt pars propoſitionis, non eſt actu terminus, niſi actu componat propoſitionem. Et hæc de hac quæſtione dixiſſe ſufficiat.

QVÆST. III.

Vtrum voces expertes ſignificatus ſint termini ſecundum ſententiam Ariſtotelis.

SIt primò certum in hac quæſtione, voces iſtas nihil ſignificantes eſſe terminos ſecundum ſophiſtas, vt conſtat ex earum definitione, quã explicare breuiter placuit, vt huius quæſtionis difficultas pateat, quæ his verbis continetur, *Terminus eſt ſignum ponibile in propoſitione.* In qua *ſignum*, eſt genus: nam extenditur ad propoſitionem integram, quæ eſt ſignum doctrinale, & non eſt terminus, quia non eſt ponibilis in propoſitione categorica, & ſic, *Ponibile*, eſt differentia. Vnde dicta definitio eſt eſſentialis, conſtat enim vero genere, & vera differentia. Quod ſi aliqui dicant, vt dicunt, non eſſe eſſentialem, quia, *Ponibile*, non eſt vera differentia. Contra hoc fieri poteſt euidens argumentum. Definitio termini ſecundum Ariſto. eſt eſſentialis, & tamen non conſtat vera differentia, ſed conſtat illa particula *Propoſitionis* loco differentiæ: ergo quamuis hæc definitio ſophiſtarum non conſtet vera differentia, ſed aliquo loco illius, optimè poteſt eſſe quidditatiua.

Sed dices. Vnius rei tantum debet eſſe vna definitio eſſentialis, quia vnius rei tantum eſt vnica eſ-

Digitized by Google

ſentia: ergo ſi definitio Ariſtot. eſt eſſentialis, & hæc Sophiſtarum etiam, iam dantur duæ eſſentiales definitiones termini; ſed hoc non poteſt dici: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur, diſtinguendo antecedens. Vnius rei tantum debet eſſe vnica definitio eſſentialis, diſtinguo. Apud ſentientes eadem ratione de eadem re, concedo. Apud ſentientes ratione diuerſa, nego. Et quia Ariſt. ſentit, terminum eſſe extremum propoſitionis, tradidit vnam definitionem eſſentialem: at verò quia Sophiſtæ aliter ſenſerunt, ideò diuerſam aliam definitionẽ tradiderunt.

In hac quæſtione aliqui affirmant, has voces non ſignificatiuas eſſe terminos ſecundum Ariſt. Argumenta, quibus hanc opinionem probant, inferius adducemus, vt ſimul argumenta, & ſolutiones ponamus.

Sit prima concluſio in hac quæſt. Qui dicunt voces nihil ſignificantes eſſe terminos ſecundum Ariſt. non defendunt Authorem. Quod apertè probo. Nam dum aſſignat differentiam inter definitionem Ariſt. & Sophiſtarum, poſtquam dixit: *Verbum eſt, & octo partes orationis, comprehenduntur definitione Sophiſtarum, non tamen definitione Ariſt.* ſtatim ſubiungit: *Voces etiam, expertes ſignificatus, comprehenduntur iſta definitione.* Vbi maximè eſt conſideranda illa particula, *Etiam*, quæ coniungit ea, quæ dixerat: quaſi diceret: Sicut verbum, *Eſt*, non erat terminus ſecundum Ariſt. eſt tamen ſecundum Sophiſtas, ita eſt dicendum de vocibus nihil ſignificantibus.

Nec valet, ſi dicant aduerſarij, quòd Author non dixit, voces expertes comprehendi ſub definitione Ariſt. ſed ſolum dixiſſe comprehendi definitione Sophiſtarum; & ſic videntur termini voces nihil ſignificantes ſecundum Ariſtotelem apud Authorem.

Ad hoc reſpondetur, quod illa particula, *Etiam*, cum ſit copulatiua, coniungit ea, quæ dixerat, ſed de verbo, *Eſt*, non ſolum dixit comprehendi definitione Sophiſtarum, verum etiam non comprehendi definitione Ariſt. ergo totum cõiungit, cum dicit, *etiam*, ac per conſequens, ſi ſententiam Authoris ſequamur, non poteſt dici, quod voces nihil ſignificantes ſint termini ſecundum Ariſt. ſententiam.

Sed contra hoc eſſe poteſt argumentum. Author inferius explicans definitionem Sophiſtarum dixit, *Signum* (intellige doctrinale:) ergo ſi voces nihil ſignificantes ſunt ſigna doctrinalia, & hoc concedit author, concedit etiam, quod ſint termini ſecundum Ariſt. nam hoc ſolum requiritur, vt aliquid ſit terminus ſecundum Ariſt.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens, & conſequentiam, negando tamen vltimam minorem, ſcilicet quod ſufficiat eſſe ſignum doctrinale, vt ſit terminus ſecundum Ariſt. Nam ſecundum Ariſt. requiritur, quod ſit ſignum ad placitum ſignificans aliquid extra ſe, tamquam vox, vt infrà dicemus latius: at verò ſecundum Sophiſtas quodlibet ſignũ doctrinale eſt terminus.

Sit ſecunda concluſio. Voces expertes ſignificatus, non ſunt termini ſecundum Ariſt. Hæc concluſio probatur primò authoritate noſtri authoris illam clarè fatentis, vt ſuprà in prima concluſione latè probauimus.

Deinde probatur concluſio ratione. Primò; Terminus ſecundum Ariſt. debet eſſe vox, quæ ſit ſignum doctrinale, ſed voces nihil ſignificantes, non ſunt ſigna doctrinalia: nam ſignum vt patet ex Aug. eſt illud *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud extra ſe facit cognoſcere*; hoc eſt, ꝙ debet ſignificare aliquid extra ſe; ſed iſtæ voces *blitiri*, & *ſcindapſus*, extra ſe, nihil ſignificant: ergo non ſunt ſigna doctrinalia, ac per conſequens, nec termini ſecundum Ariſtotelem.

Secundò. Illud eſt terminus ſecundum Ariſtot. quod componit propoſitionem doctrinalem pertinentem ad demonſtrationem veram, & formalem; ſed propoſitio talis, debet eſſe illa, quæ componitur ex vocibus verè, & propriè ſignificantibus; ſed iſtæ voces non ſignificant propriè aliquid: ergo non ſunt termini.

Tertiò, Verbum, *Eſt*, non eſt terminus ſecundum Ariſtot. quamuis poſſit poni in propoſitione vt in hac: *Eſt*, eſt verbum, quia nihil ſignificat, & ſic non poteſt eſſe extremum formaliter, ſed ſolum materialiter: ergo ſimiliter nec voces iſtæ quamuis ponantur in his propoſitionibus. Blitiri eſt vox. Scindapſus eſt vox, nihil ſignificãt, quia nõ ſunt extrema formaliter, eo quod non ſignificant aliquid: ergo nec poſſunt eſſe termini ſecundum Ariſt.

Quartò, Omnes fatentur, quod ſignum eſt genus proximum ad terminum: ergo ſignum intrat in eſſentiam termini, ſicut animal, quia eſt genus ad hominem, intrat in eſſentiam hominis; ergo non poteſt eſſe terminus ſecundum Ariſt. quod non fuerit ſignum propriè, & formaliter; ſed iſtæ voces Blitiri, &c. nihil ſignificantes, non ſunt ſigna propria: ergo nec termini propriè & formaliter.

Quinto, Quis vnquam dixit quod hæc coniunctio, *&*, ſit terminus ſecundum Ariſtot. quamuis ponatur in hac propoſitione: *Et*, eſt coniunctio: ergo quamuis *Blitiri* ponatur in propoſitione non erit ter-

terminus,quia non eſt ſignum formaliter, nec extremum ſed ſolum materialiter.

Sed rogabis vnde colligitur, quod terminus ſecundum Ariſtot. debeat eſſe ſignum. Reſpōdeo, primo quod quia ſignum eſt genus. Secundo, quia author intendit agere de propoſitione, quæ per ſe, & formaliter pertinet ad componendam demōſtrationem, ſed demonſtratio conſtare debet ex propoſitionibus ſignificatiuis, verè & propriè, quia eſt ad habendam ſcientiam de rebus: & hoc fit medijs propoſitionibus ſignificantibus res ipſas; ſed propoſitiones, quæ ſignificat res, debent componi ex vocibus ſignificantibus res: at voces expertes ſignificatus, non ſignificant res: ergo non ſunt termini ſecundum ſententiam Ariſt.

Vltimò probatur concluſio. Hæc vox, *homo*, eſt terminus formaliter in hac propoſitione. Homo eſt animal rationale; & ſignificat aliquid extra ſe, ſcilicet hominem: ergo ſi componatur & ſumatur materialiter, vt quando dicimus. Homo eſt vox: tunc *homo* ſumitur pro voce, & ſecundum quod nō ſignificat aliquid extra ſe, non erit tunc terminus formaliter. Quis enim dicere poteſt ita formaliter eſſe terminū in vna propoſitione ac in alia, ſcilicet quando ſumitur materialiter, ac quando ſumitur formaliter: ergo voces nihil ſignificantes, cum non poſſint ſumi formaliter, quia numquam ſignificant, non erunt termini formaliter.

Ex his cōſtat, quod vt aliquid ſit terminus ſecundum Ariſt. requiritur quod ſit actu extremum formaliter propoſitionis categoricæ & ad hoc vt ſit extremum formaliter debet eſſe vox ſignificatiua alicuius extra ſe.

Sed contra prædictam concluſionem eſt primum argumentum. Voces nihil ſignificantes ſunt extrema propoſitionis: ergo ſunt termini. Ad hoc reſpondetur, quod ſunt extrema materialiter, & non formaliter, & ſic non ſunt termini.

Secundum argumentum ſit. Illud eſt extremū propoſitionis formaliter. quod eſt ſignum doctrinale, ſed *blitiri* eſt ſignum doctrinale: ergo eſt extremum formaliter, ac per conſequens eſt terminus. Antecedēs probo. Nam illud eſt ſignū doctrinale, quod conducit ad doctrinam comparandam, & quod poteſt eſſe in demonſtratione, per quā habemus ſcientiam, ſed, *blitiri*, ponitur in hac demonſtratione, cum dicimus. Blitiri eſt vox: omnis vox eſt ſonus; ergo, blitiri, eſt ſonus: ergo, blitiri, eſt ſignum, & extremum formaliter, & ſic erit terminus formaliter.

Ad

Digitized by Google

Ad hoc argumentum reſpondetur, quod, *blitiri*, eſt ſignum doctrinale apud Sophiſtas: & ſic author quando dixit *Signum* (intellige doctrinale) loquitur ſecundum ſententiam Sophiſtarum, & non Ariſt. non tamen eſt ſignum ſecundum Ariſt. nam vt ſit ſignum ſecundum Ariſt. debet ſignificare aliquid extra ſe, & quia iſtæ voces non ſignificant aliquid extra ſe, ideò non ſunt ſigna formaliter ſecundum Ariſt. Et quando dicis. Ponitur in propoſitione, concedo: tamen illa propoſitio non eſt formalis, ſed materialis: & ſimiliter illa demonſtratio non eſt formalis ratione illius partis, in qua eſt vox *blitiri*, ſed ratione alterius partis, ſcilicet *Omnis vox eſt ſonus*, ſicut quando in demonſtratione eſt maior propoſitio vera & minor falſa, concluſio debet eſſe falſa, & tamen non ſequitur ratione partis veræ, ſed ratione falſæ: ita illa demonſtratio non eſt formalis, nec ſcientifica propriè ratione propoſitionis, in qua eſt, *blitiri*, ſed ratione alterius.

Contrà, *Blitiri* ſignificat aliquid extra ſe: ergo ſignificat propriè. Ergo eſt terminus. Antecedens probo. Significat ſuum prolatorem: ergo ſignificat aliquid extra ſe.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, nam, *Blitiri*, ſignificat ſuum prolatorem non tanquã vox, ſed tanquã effectus naturalis ſicut fumus ſignificat ignẽ, & veſtigium animal, & vt ſit terminus requiritur, quod ſignificet tamquam vox propriè.

Sed dices, ſaltem ſequitur, quod ſint termini impropriè ſecundum Ariſt. voces expertes ſignificatus; nam vt aliquid ſit terminus ſecundum Ariſt. requiritur quod ſignificet propriè: ergo vt ſint termini impropriè, ſufficit, quod ſignificent impropriè.

Ad hoc reſpondetur, quod vt aliquid ſit terminus ſecundum Ariſt. requiritur, quod ſignificet vt vox, ſcilicet aliquid extra ſe, non tanquam effectus naturalis & quia iſtæ voces *blitiri* & aliæ, non ſignificant tanquam voces, nec propriè, nec impropriè, ſed tamquam res, & ſic in propoſitione ponuntur tamquã res, ideò non ſunt termini ſecundũ Ariſtotelem.

Sed rogabis quare ponuntur tanquam res, & alię res non poſſunt poni? Reſpondetur hoc eſſe peculiare in his rebus, quia conueniunt in ratione ſoni cum vocibus ſignificatiuis: at verò aliæ res non conueniunt ſic cum vocibus ſignificatiuis. Et confir. nam quamuis atramentum ſignificet, quia ſignificat vt res quædam, ex qua conficitur ſcriptura: non eſt terminus, nec ſecundum Ariſt. nec ſecundum Sophiſtas: ſignificare autem impropriè tanquã

Digitized by Google

vox, eſt quod vox ſignificet aliquam rem, ad quam ſignificandam non fuit impoſita, vt hæc vox, *Nero*, quãdo ſignificat crudelem, & iſta vox, *Nero*, in hac propoſitione: Petrus eſt Nero, eſt terminus impropriè, quia ſignificat Petrum crudelem impropriè.

Aduerte denique, quod atramentum ſumitur dupliciter, tum pro re, ex qua conficitur ſcriptura, tum pro voce ſignificante rem, quæ eſt atramentum, & hac ratione eſt terminus ſecundum Ariſt. Et hæc de hac quæſtione & capite de termino.

DISPVT. II.

In Capit. II. De oratione.

INtentum Autoris in hoc capite eſt agere de oratione: caput diuiditur in duas partes. In prima reddit author rationem, quare poſt terminum agat de oratione, & explicat quid ſit. In ſecunda ponit vnicam illius diuiſionem. Ad primam partem deuenientes inquit autor, &c.

QVÆSTIO I.

Vtrum definitio orationis ſit vera.

PRimò notandum eſt duplicem eſſe definitionem orationis: vnã Ariſt. 1. lib. de Interpretatione, c. 4. vbi ſic eam definit: *Eſt oratio ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua pars ſeparatim ſignificat ad placitum*: Alia eſt definitio, quã noſter tradit in hoc capite author; *Oratio eſt plures dictiones congruè ſe habentes.*

Sed dices. De vnica re tantum debet eſſe vna definitio, quare ergo dantur iſtæ duæ definitiones de oratione, ſiquidem eſt vnica res? Reſpondeo, quia Ariſ. ſolum definiuit orationem vocalem; at verò autor definiuit orationem, mentalem, vocalem, & ſcriptam, hoc eſt orationẽ in communi.

Secundò notandum eſt, agendo poſt terminum de oratione, naturæ, & doctrinæ ordinem ſeruaſſe. Naturæ, quia oratio eſt pars propoſitionis, & diuiſionis: nam eſt genus, ſicut animal reſpectu hominis, & leonis; & ſicut animal eſt pars hominis, ita oratio propoſitionis. Similiter ſeruauit ordinem doctrinæ, quia oratio, prædicatur de oratione mentale, vocali, & ſcripta, & reſpectu eorum eſt totum potentiale.

Sit concluſio reſponſiua. Definitio orationis eſt eſſentialis & ſatis exacta. Probatur primò. Illa eſt bona definitio eſſentialis, quæ conſtat vero genere, & vera differentia, ſed definitio orationis talis eſt: ergo eſt bona. Minorem probo: nam, *Plures dictiones*, eſt genus: *Congrue ſe habentes*, eſt differentia. Nam Marcus Tullius Cicero, ſunt plures dictio-

Digitized by Google

ctiones, & tamen non ſunt oratio, & ſic illa particula *Plures dictiones* eſt genus. Illa verò: *Congrue ſe habentes*, eſt differentia, quia conuertitur cum definito, quia valet: Eſt plures dictiones congruè ſe habentes. ergo eſt oratio.

Contra hanc concluſionem eſt primum argumentum. Datur aliqua oratio, quæ non ſit plures dictiones: ergo falſa eſt definitio orationis. Antecedens probo. Nam oratio mentalis eſt verè oratio, & tamen non eſt plures dictiones, ſed plures conceptus.

Ad hoc argumentum reſpondeo concedendo, quod oratio mentalis ſit vera oratio, negando tamen, quod non ſit plures dictiones: nam conceptus etiam dicuntur dictiones, quia cognitio appellatur locutio interna, & conceptus dictiones, ſeu verba interna, & etiam oratio ſcripta habet plures dictiones ſcriptas congruè ſe habentes. Secundò argumentor. Marcus Tullius Cicero, ſunt plures dictiones congruè ſe habentes, & tamen non ſunt oratio: ergo mala eſt definitio. Similiter equiferus, ſunt plures dictiones, & non ſunt oratio: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando, quod ſint plures dictiones congruè ſe habentes, quia vt ſint plures dictiones materialiter, & formaliter (vt requiritur ad orationem conſtituendam) requiritur quod ſint plures, dictiones ſignificantes plures res, & quia Marcus Tullius Cicero, non ſignificant plures res, ideò non ſunt oratio, ſimiliter *Equiferus*, non eſt oratio, quia ſignificat eandem rem: vt autem congruè ſe habeant, eſt neceſſe, quod ſint coniunctæ, & congruè ſe habeant ſecundum regulam grammaticæ, quod coniungant ſubſtantiuum cum adiectiuo, & quia non coniungunt ſic iſtæ dictiones; Petrus, Ioannes, Franciſcus, non ſunt oratio, quia non concordant in aliquo. Poſſunt autem coniungi copula, vt cum dicimus; Petrus, & Ioannes, & tunc eſt vera oratio.

Tertium argumentum. Hæc definitio orationis conuenit alijs à definito, hoc eſt conuenit alijs præter definitum, quia conuenit termino complexo: ergo eſt mala. Antecedens probo, quia Autor dixit: *Terminus complexus eſt plures dictiones congrue ſe habentes*: ergo conuenit illi hæc definitio, ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens: nam terminus complexus eſt plures dictiones congruè ſe habentes, & etiam terminantes propoſitionem. Prima ratio eſt generica. Secunda eſt differentia.

Sed dices. Quare autor non poſuit in definitione termini complexi particulam illam: *Terminantes propoſitionem*. Reſpondeo, quia eo ipſo quod dicitur terminus, dicitur quod

Digitized by Google

quod terminet propoſitionem, & quia in capite dixerat Author, quod terminus eſt extremum terminans propoſitionem, ideò definiens poſteà terminum, non fuit neceſſarium de nouo repetere illud.

Sit quartum argumentum, Nullum complexum poteſt definiri; ſed oratio eſt quid complexum: ergo non poteſt definiri. Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Nam oratio non definitur per modum plurium, aut complexi, ſed per modum vnius in quantum plures dictiones vniuntur per concordantiam grammaticalem.

Vltimò ſic argumentor Ariſtot. docet in definitione ſupra allata, partem aliquam orationis debere ſignificare ad placitum, & ſimiliter Author dixit orationem componi ex terminis, ſed hæc eſt oratio. Blitiri nō eſt ſcindapſus, & tamen nulla pars ſignificat ad placitum, nec eſt terminus ſecundum Ariſtotelem: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondent aliqui, qui defendunt has voces non ſignificatiuas eſſe terminos ſecundū Ariſt. quod ſufficit, vt ſignificet verbum, *eſt*, non tamen voces: & etiam dicunt eſſe terminos, quia ſignificant licèt impropriè. Sed hæc ſolutio ominò eſt falſa: nam verbū, *eſt*, non eſt pars propoſitionis, nec propoſitio reſoluitur in illam tamquam in partem, vt omnes fatentur in expoſitione capitis de termino. Quod autem non ſint termini, ſupra probauimus. Secundò, quando autor dicit orationem componi ex terminis certum eſt loqui de terminis formalibus, & veris.

Vnde nos in noſtra perſiſtentes ſententia, quod iſtæ voces non ſint termini ſecundum Ariſt. facilè reſpondemus, concedendo quod non ſit vera oratio quando dicimus: Blitiri non eſt ſcindapſus ſed tantùm eſt oratio, materialiter ſcilicet compoſita ex dictionibus tanquam ex rebus, quibus eſt proprium poni in propoſitione, propter rationem ſupra dictam, Et hæc de hac quæſtione.

QVÆST. II.

Vtrum diuiſio orationis ſit exacta.

IN hac quæſtione ſit concluſio hæc. Diuiſio, qua diuiditur oratio in orationem perfectam, & imperfectam, eſt optima, & eſt generis in ſpecies. Probatur primò. Illa eſt bona diuiſio generis in ſpecies, in qua membra diuidentia eſſentialiter cōtinentur ſub diuiſo, & æqualiter participant illud: ita ſe habent oratio perfecta, & imperfecta: ergo. Minorem probo, nam hæc eſt prædicatio eſſentialis: Oratio perfecta eſt oratio. Et ſimiliter; Oratio imperfecta

perfecta eſt oratio: ergo ſimiliter æqualiter ſunt orationes, quia ſicut oratio perfecta eſt plures dictiones, ita oratio imperfecta eſt congruè plures dictiones ſe habentes, quia oratio in communi, quæ eſt diuiſum in hac definitione fuit definita in communi, & ſolum includit eſſentialiter, quod ſit plures dictiones cōgruè ſe habentes.

Contra hanc concluſionem eſt argumentum. Oratio perfectiori modo reperitur in oratione perfecta, quam in imperfecta: ergo non æqualiter participat diuiſum.

Ad argumentum reſp. quod oratio perfecta eſt perfectior ratione differentię, ſcilicet quia generat perfectum ſenſum ratione modi indicatiui: at verò in hoc quod eſt eſſe plures dictiones, æquales ſunt, ſicut homo eſt perfectius animal, quam equus, ratione rationalitatis, quæ eſt differentia.

Sed contra: Oratio perfecta non eſt perfectior ratione differentiæ, ſcilicet ratione modi indicatiui: ergo. Probatur antecedens: nam aliqua oratio modi indicatiui, non generat perfectum ſenſum, vt hæc, Petrus, qui legit, & aliæ ſunt modi indicatiui, & tamen non faciunt perfectum ſenſum: ergo. Reſpondetur quod author ſolum dixit, quod modus indicatiui quantum eſt de ſe, eſt ſufficiens ad generandum perfectū ſenſum, niſi impediatur ab aliquo, & in dicta propoſitione impeditur ratione illius relatiui. Vnde poteſt dari aliqua oratio categorica, quæ non ſit perfecta oratio, qualis eſt illa: Petrus, qui legit: Ioannes, qui currit; ſunt veræ categoricæ, & non ſunt orationes perfectæ.

Vltimò nota in hoc capite, quod aliquæ propoſitiones optatiui ſunt perfectæ, quia generant perfectum ſenſum. Ratio eſt, quia illæ poſſunt habere idem verbum, & modum indicatiui. Cum dicimus: Vtinam legerē, iſte modus, *legerem*, eſt indicatiui, & ſic eſt oratio perfecta. Et hæc de hac quæſtione, & cap.

DISPVT. III.

De Propoſitione.

INtentum Authoris in hac diſput. eſt agere de propoſitione. Diuiditur in tres partes. In prima diuidit orationem, & explicat quid ſit propoſitio. In ſecunda ponit quaſdam diuiſiones propoſitionis. In tertia, & vltima tres refert dictiones, quibus interrogatur de quantitate, qualitate, & ſubſtantia propoſitionis, &c.

QVÆST. I.

Vtrum definitio propoſitionis ſit vera.

PRimò præſupponendum eſt in hac quæſt. Authorem rectum ſeruare ordinem, agendo poſt orationem de propoſitione, quia oratio eſt genus ad propoſitionem, & ad diuiſionem, & conſequentiam. Egit prius de propoſitione, quia de illa fuit facta mentio in definitione termini, & ſic aliquo modo erat iam notior definitione, & argumentatione. Vnde ſeruando ordinem doctrinæ, debuit ab illa incipere: de definitione autem non fuit facta mentio, quamuis definitione vteretur Author, quia non vſus eſt illa, explicando aliquam illius partem, & ſic non fuit cognita: at verò explicuit partem propoſitionis, & ſic fuit cognita propoſitio: & egit prius de oratione, quam dè propoſitione, quia oratio eſt genus: vt ſic melius cognoſceretur propoſitio.

Secundò præſupponenda eſt diuiſio, qua diuidit Author orationē, dicens: *Oratio alia eſt propoſitio, alia non propoſitio.* In hac diuiſione diuiditur oratio eadem, quæ diuiſa fuit in cap. de oratione, ſed diuerſa ratione, ſicut ſubſtantia poteſt diuidi dupliciter. Primò. Alia eſt rationalis, alia irrationalis. Secundò poteſt diuidi. Subſtātia alia corporea, alia incorporea: ſic oratio poteſt diuidi dupliciter, & nullum eſt inconueniens, quod vna res diuidatur duplici diuiſione ſecundum diuerſas rationes: nam oratio poteſt intelligi dupliciter. Primò, inquantum poteſt facere perfectum, vel imperfectum ſenſum, & ſic fuit diuiſa in cap. de orat. Secundò poteſt diuidi inquantum poteſt habere ſubiectum, & prædicatum, & inquantum non poteſt illa habere.

Sit prima cōcluſio in hac quæſt. Definitio propoſitionis, quæ talis eſt, *Eſt oratio verè, vel falſe ſignificans*, non eſt eſſentialis, ſed deſcriptiua. Probatur concluſio. Primò. Illa eſt eſſentialis definitio, quæ cōſtat vero genere, & vera differentia, vel aliquo alio loco differētiæ, quod explicet eſſentialem ordinem: ſed hæc definitio, licet conſtet vero genere, quod eſt oratio, non conſtat vera differentia, aut alio loco differentiæ explicante ordinem eſſentialem; ſed ſolum propria paſſione loco differentiæ, ſcilicet *Significare verè, vel falſe*: ergo non eſt eſſentialis.

Secunda ratio. Definitio eſſentialis debet explicare eſſentiam rei, ſed hæc definitio ſolum explicat propriam paſſionem: ergo non eſt eſſentialis. Antecedens probatur, quia ſignificare verè vel falſe, non poteſt eſſe eſſentia propoſitionis, cum eadem propoſitione manente inte-

integra, & perfecta, poteſt modo ſignificare verum, modo falſum, vt hæc propoſitio. Petrus ſedet, ſedente eſt vera, ſurgente eſt falſa: ergo non eſt eſſentia. Probo conſequentiã, quia eſſentia rei eſt inuariabilis: ergo ſicut eſt impoſſibile manente homine, quod non ſit animal rationale, quia hoc illi conuenit tanquã eſſentia: ita ſi variatur in propoſitione, ſignificare vere vel falſe, non eſt de eius eſſentia.

Quod autem ſit deſcriptiua ſic probo. Illa eſt definitio deſcriptiua, quæ explicat paſſionem rei, ſed hæc definitio explicat paſſionem: ergo eſt deſcriptiua. Minorem probo, nam ſignificare verum, vel falſum, eſt propria paſſio propoſitionis: ergo eſt deſcriptiua. Quod ſit paſſio ſuprà probauimus.

Suppoſito quod ſignificare verè vel falsè non ſit eſſentia propoſitionis, quæret aliquis, quæ ſit eius eſſentia: & reſpondetur breuiter hanc eſſe *Eſt oratio enuntians vnum de alio.* Sic eam definiuit Ariſt. 1. lib. de Interpretat. c. 4. Et ex hac eſſentia naſcitur immediate, quod ſit affirmatiua, vel negatiua, & deinde quod ſit ſignificatiua veri, vel falſi.

Sit ſecunda concluſ. Definitum in dicta definitione eſt propoſitio categorica ſola. Quæ concluſio probatur primò ſic. Nam ſi definiretur propoſitio in communi, prout comprehendit hypotheticã, omnis propoſitio hypothetica deberet ſignificare verum, vel falſum: at non omnis ſignificat, vt ſæpe autor expreſsè fatetur: ergo definitum non eſt definitio in communi.

Secundò probatur, nam author poſtquam definiuit propoſitionem, dixit: *Omnis autem propoſitio conſtat verbo indicatiui*, ſed indicatiuo non conſtat niſi propoſitio categorica: ergo illa ſola fuit definita.

Sed contra prædictam concluſionem eſt primum arg. Infra definitionem diuidit propoſitionem in categoricam, & hypotheticam: ergo eandem definiuit. Antecedens probatur: nam talis ordo ſemper ſeruatur, vt vniuoca prius definiantur, & deinde diuidantur: ergo ſi poſt definitionem diuiſit propoſitionem, quæ compræhendit categoricam, & hypotheticã, eadem debet eſſe definitum.

Ad hoc argumentum reſpond. concedendo antecedens, negando tamen conſequentiam. Nam benè probaret argumentum ſi idem Author non declaraſſet, antequam poneret diuiſionem. Ante illam enim dixit: *Omnis propoſitio conſtat verbo indicatiui*, ſignificans *omnis propoſitio definita conſtat verbo indicatiui*, ſed hæc ſolum eſt

categorica: ergo ſola illa eſt definitum.

Sed dicet aliquis, quod quando Author dicit: *Omnis propoſitio conſtat verbo indicatiui*, loquitur etiam de hypothetica propoſitione: nam illa reſoluitur in verbum indicatiuum, vt cum dicimus: Si Sol luceret dies eſſet, reſoluitur in hanc: Si Sol lucet, dies eſt. Reſpond. ſic poſſe intelligi Authorem, nam ipſe fatetur aliquas eſſe orationes imperfectas generantes imperfectum ſenſum, ſed ſi aliquæ orationes, vel omnes conſtant verbo indicatiuo, quia ad ipſum poſſunt reduci, ſequitur omnes eſſe perfectas, ſicut hæc: Me legere, poteſt reduci ad hanc: Ego lego: & ſic de reliquis: ergo nulla eſſet oratio imperfecta. Si quidem oratio perfecta eſt, quæ conſtat modo indicatiuo, omnes poſſunt reduci, vt fatentur aduerſarij: ergo omnes ſunt perfectæ: ſed hoc non poteſt concedi: ergo nec eſt dicendum poſſe declarari verba Authoris, vt aliqui falsò putant, ſcilicet quod omnis propoſitio conſtat verbo indicatiui, quia poſſunt ad illud reduci.

Secundò reſp. aliqui defendunt definitum eſſe propoſitionem in communi, quod illa verba authoris, ſcilicet: *Omnis propoſitio conſtat verbo indicatiui* eſſe intelligenda incōpletè, ita vt ſenſus ſit. De qualibet ſpecie propoſitionis, aliqua conſtat verbo indicatiui. v. g. de ſpecie categoricæ aliqua, de ſpecie hypotheticæ aliqua, vt hæc. Vtinam legam, & Petrus audiat. Hoc verbum, *legam*, eſt optatiui, & indicatiui etiam.

Sed hæc ſolutio nihil valet, & contra eam argumentor ſic. Illa propoſitio vniuerſalis ſumitur incompletè, quando omnia ſingularia alicuius ſpeciei contentæ ſub illa nō cōprehenduntur; ſed aliquod tantum; ſed de ſpecie propoſitionis categoricæ omnia ſingularia conſtant verbo indicatiui: ergo non ſumitur incompletè.

Nec valet ſi dicas; ſufficere ſi ſumatur incompletè reſpectu vnius tantum ſpeciei, ſcilicet hypotheticæ. Contra, eſt loqui ad libitum, nam vniuerſalis, ſi ſemel ſumatur incompletè, debet ſumi reſpectu omnium ſpecierum, vel reſpectu nullius: nam eadem debet eſſe ratio vnius, & alterius. Vnde ſecundò colligitur, vt debet ſumi talis propoſitio. Similiter poſſem ego dicere omnes propoſitiones vniuerſales eſſe incompletas: hoc non eſt dicendum: ergo nec quod ſumatur incompletè. Quod ſi quæras; Si definitum in dicta definitione non comprehendit hypotheticam, quare non definiuit eam. Reſpond. quia non per ſe pertinet ad demonſtrationem, ſed ratione categoricæ.

Sit tertia concluſio. Prædicta definitio ſic explicata eſt optima: nam exactè explicat propriam paſſionem propoſitionis categoricæ in communi: ergo eſt exacta. Antecedens conſtat ſatis ex dictis.

Sed contra hanc concluſionem ſit primum argumentum. Aliqua vox ſignificat verũ vel falſum, & tamen non eſt propoſitio: ergo dicta definitio non eſt bona. Antecedens probo: nam huiuſmodi voces, *verum & falſum*; vna ſignificat veritatem, alia falſitatem; & tamen quælibet non eſt oratio: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondent aliqui quod iſtæ voces *verum* vel *falſum* ſignificant veritatem, & falſitatem ſimplicem, non tamen cõpoſitam.

Sed hæc ſolutio impugnatur: nam veritas, & falſitas ſimplices, ſunt verè & propriè veritas, & falſitas: ergo loquendo in communi de veritate, & falſitate, ita eſt intelligendum de illis, ac de veritate compoſita: ſicut qui dicit terminum, ita dicit terminum incomplexum, qui eſt vox ſimplex, vt homo, ac dicit terminum complexum, qui eſt cõpoſitus ex pluribus, vt homo albus: ergo ſimiliter qui dicit in communi ſignificare, *vere vel falſe*, ita dicit ſignificare veritatem ſimplicem, ac compoſitam: ergo dicta ſolutio nihil valet.

Vnde ad argumentum melius reſpondeo quod hîc Autor agit de propoſitione in ordine ad demonſtrationem, in qua demonſtratur vnũ conuenire alteri, vel non cõuenire: & ad hoc eſt neceſſaria veritas enuntiatiua, hoc eſt, quia vnum affirmatur de alio, vt, Homo eſt animal, & hoc ſolum reperitur in propoſitione categorica, & ſic ſola illa eſt definitum; Ita quia veritas compoſita enuntiatiua hîc definitur, & quia iſtæ voces *verum & falſum* non ſignificant hanc veritatẽ, ideò illis non conuenit prædicta definitio.

Sit ſecundum argumentum. Veritas, & falſitas, reperiuntur ſolum in intellectu: ergo non in propoſitione: ergo propoſitio non ſignificat verè, vel falſè; Ad hoc argumentum reſpondetur, quod ſiue reperiatur veritas in intellectu, ſiue non nihil refert: nam propoſitio ſignificat veritatem exiſtentem in intellectu, & hoc ſufficit: nam ad ſignificandum veritatem ſufficit, quod ſit ſignum, quale eſt propoſitio.

Sit tertium argumentum, facile & commune. Nulla definitio debet dari per oppoſita: hæc datur: ergo eſt mala. Antecedens probo: nam datur per verum, & falſum; hæc ſunt oppoſita: ergo datur per oppoſita. Reſpondetur breuiter diſtinguendo antecedens. Non debet dari per oppoſita copulatiuè, concedo; diſiunctiuè nego.

Contra eſt replica. Definitio accidentis datur per oppoſita copulatiuè: ergo. Antecedens probo: nam eſt hæc. *Accidens eſt, quod poteſt adeſſe, & abeſſe*, ſed *eſſe, & non eſſe*, opponuntur copulatiuè: ergo. Reſpondetur, quod non debet dari per oppoſita pro eodem tempore; pro diuerſis temporibus nihil obſtat. Et hæc definitio accidentis eſt pro diuerſis temporibus, & ſic eſt bona.

Sed contra argumentum. Definitio oppoſitionis dàtur per oppoſita copulatiuè, & pro eodem tẽpore, & reſpectu eiuſdem rei: ergo ſolutio eſt nulla. Antecedens probo: nam in duabus propoſitionibus oppoſitis, v. g. Homo eſt animal; Homo non eſt animal, animal affirmatur, & negatur de eodem ſubiecto, ſcilicet homine, in eodem tempore, ergo datur per oppoſita copulatiuè in eodem tempore, & reſpectu eiuſdem.

Ad hanc replicam reſpondetur concedendo dari per oppoſita, tamen negando quod ſit reſpectu eiuſdem: nam animam eſt idem prædicatum in vtraque propoſitione, tamen diuerſo modo ſe habet in vna, ac in alia, quia affirmatiua ſupponit determinatè: in negatiua autem diſtributiuè, & ſic non eſt idem omninò. Vnde non datur definitio per oppoſita reſpectu eiuſdem

Sit quartum argumentum. Nulla propoſitio ſignificat verè, vel falſè, ſed verè aut falſè determinatè: ergò non eſt propria paſſio propoſitionis ſignificare verè, vel falsè. Antecedens probatur; nam omnis propoſitio aut eſt vera aut eſt falſa: ergo. Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens, negando tamen cõſequentiam, quia illa proprietas eſt propoſitionis in communi, & ſufficit vt illi conueniat, quod in particulari quælibet propoſitio, aut ſit vera aut falſa.

Quintum argumentum. Datur aliqua propoſitio, quæ nec ſignificet verum nec falſum: ergo definitio ſuprà allata eſt mala. Antecedens probo: nam hæc. Petrus erit albus, nec dicit verum, nec falſum: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens: nam hæc propoſitio: Petrus erit albus, ſignificat veritatem, aut falſitatem determinatam, vt videbimus in libris de Interpretatione, nos autem non cognoſcimus veritatem illius, ſed ſolus Deus, & tamen quia nos non cognoſcamus, nihilominus ipſa ſignificat eam.

Vltimum argumentum. Omnis propoſitio eſt vera: ergo. Antecedens probatur, omnis propoſitio eſt ens: ens eſt verum; ergo omnis propoſitio eſt vera; Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens, diſtinguendo tamen conſequens. Ergo omnis propoſitio

ſitio

ſitio eſt vera tranſcendentaliter, cõcedo: ſpecificè nego. Veritas ſpecifica eſt quando enuntiatur vnum de alio ſicuti eſt, vt quando dicimus: Homo eſt animal. Tranſcendens eſt, quæ reperitur in qualibet re, quia eſt ens.

Qvæst. II.

Vtrum diuiſio, qua diuiditur propoſitio categorica in vniuerſalem, particularem, indefinitam, ſit bona.

ANtequam accedamus ad explicandam prædictam diuiſionẽ, oportet animaduertere non nulla, quæ ante hanc diuiſionem Author tradidit. Primò notandum eſt certum eſſe in diuiſione, qua diuiſit Author propoſitionem dicens: *Alia eſt, vera, alia eſt falſa*, diuiſiſſe categoricam, quia ea eſt, quæ ſuprà fuit definita vt probauimus. Sit etiam certum quod quando dicitur. *Vera eſt, quæ ſignificat rem ita eſſe, ſicut eſt*; Illud verbum, *eſt*, ampliatur ad omnĩa tempora, & ad poſſibile, ita vt ſenſus ſit: *Propoſitio vera eſt, quæ enuntiat de re, quod eſt enuntiabile, ſiue ſit præſens, ſiue præteritum, ſiue futurum.*

Secundò notandum eſt quod quando Author dixit: *Cui proferenti poſſumus dicere; Verum dicis; aut: Mentiris*, debet intelligi de propoſitione vocali, nam mentalis, quamuis verum ſignificet, non nobis manifeſtatur exterius, & ſic nec poſſumus id dicere.

Tertio notandum eſt quod diuiſio, qua autor diuiſit propoſitionem in categoricam, & hypotheticam, eſt diuiſio analogi in ſua analogata: nam de ratione eſſentialis propoſitionis in cõmuni eſt, quod ſit enuntiatio vnius de alio: & ad hoc requiritur, quod ſignificet verum, vel falſum, & quia hypothetica non ſignificat verum, vel falſum, niſi in quantum poteſt reduci ad categoricam, vt hæc: Si Sol luceret, dies eſſet; quia reducitur ad hanc, Si Sol eſt, dies eſt, inde ſignificat per accõmodationem ad categoricam, & ſic analogicè ſolùm dicitur propoſitio, ſicut dicitur ridere de prato, aut ſanum de vrina, quæ dicitur ſana à ſanitate, quæ eſt in animali, ſic hypothetica dicitur vera à veritate, quæ eſt in categorica.

Sed contra dicet aliquis. Ariſ. 1. lib. de Interpret. c. 4. dixit: Eſt *Enuntiatiua oratio, aut ea, quæ vnum ſignificat, aut ea, quæ coniunctione eſt vna.* In quibus verbis intelligunt aliqui per eam, *quæ coniunctione eſt vna*, hypotheticam propoſitionem, quæ coniunctione habet ſuas partes copulatas: ergo ſi eſt enuntiatio, ſecundum Ariſt. erit propoſitio.

Sed

Sed facilè reſpon. concedendo intelligi in illis verbis hypotheticam, negando tamen quod ſit propoſitio: nam Ariſt. appellauit eam enuntiationem per analogiam, & ſimilitudinem, & ſic per analogiam eſt propoſitio: Vnde categorica, & hypothetica propoſitio non ſunt ſpecies propoſitionis in communi. Et ex his poſſunt ſolui quam plurima argumenta, quæ fiunt ad intelligendum, qua ratione categorica componat hypotheticam: nam ſi non ſunt ſpecies, facilè ſoluuntur.

Quartò notandum eſt, quod definitio, qua definit Autor propoſitionem categoricam dicens: *Eſt illa quæ conſtat ſubiecto, & prædicato, tãquam partibus proximis*, eſt eſſentialis, & quidditatiua. Genus in illa eſt illa particula *quæ*, in qua intelligitur oratio, quæ eſt verum genus: Loco differentiæ ponuntur *ſubiecto & prædicato* quæ ſunt partes eſſentiales phyſicæ, & ſic hæc definitio, eſt phyſica: Nam ſicut homo eſſentialiter definitur phyſicè: *Eſt ens conſtans corpore & anima rationali.* Et metaphyſicè definitur: *Eſt animal rationale* ſic etiam propoſitio categorica, definitur phyſicè ſic: *Eſt quæ conſtat ſubiecto, &c.* & Metaphyſicè: *Eſt enuntiatio vnius de alio*: & non eſt inconueniens, quod vna res definiatur duplici definitione eſſentiali, vna phyſica, & alia metaphyſica, quia ambæ ſunt idem formaliter, & habent diuerſas voces.

Quintò notandũ eſt, quod propoſitio categorica conſtat ſubiecto, & prędicato, tanquam partibus proximis, quia inter prædicatum, & ſubiectum, & propoſitionem categoricam, nihil mediat, ſed immediate componitur; at verò hypothetica conſtat immediate ex duabus integris categoricis, aut orationibus, quæ nõ dicuntur vna de alia: & quia categoricæ conſtant ſubiecto, & prędicato, ideò dicitur conſtare mediate ex illis aut remotè, quia mediat integra propoſitio categorica, aut oratio, inter ſubiectum, & hypotheticam.

His ſuppoſitis ſit concluſio reſponſiua quæſtioni. Diuiſio, qua diuiditur propoſitio in vniuerſalem, particularem, &c. eſt optima, eiuſque diuiſum eſt propoſitio categorica. Hæc concluſio probatur: nam quantitas, ſiue ſit in propoſitione, ſiue in re naturali, ſemper eſt in materia, vel ſaltem conuenit ratione materiæ, ſed materia in propoſitione eſt ſubiectum: ergo vbi non fuerit ſubiectum, non poteſt eſſe quantitas: at non eſt ſubiectum in propoſitione hypothetica: ergo nec poteſt eſſe quantitas, quæ eſt, quod propoſitio ſit vniuerſalis, particularis, indefinita, aut ſingularis: ergo diuiſum non eſt propoſitio prout eſt quid commune ad categoricam,

&

Digitized by Google

& hypotheticam, ſed ſolum categorica.

Sed aduertendum eſt quod quãtitas proprie, ſolum reperitur in ſubſtantijs materialibus, vt in homine, & equo; & in illis reperitur, quia propriè reperitur magnitudo, & paruitas: per ſimilitudinem verò reperitur in propoſitionibus, nam ſicut homo dicitur magnus, quia eſt corpore magnus, ita in propoſitione quia extenditur ad aliqua inferiora, vnde vniuerſalis dicitur maioris quantitatis, quam particularis, quia ad plura inferiora ſe extendit.

Sed contra concluſionem ſit primum arg. Quantitas non ſolum reperitur in propoſitione categorica, ſed etiam in hypothetica: ergo diuiſum eſt propoſitio, vt comprehẽdit hypotheticam, & per conſequens eſt falſa noſtra concluſio. Antecedens probo: nam hæc propoſitio: Omnis homo currit, &: Omnis equus mouetur, eſt hypothetica, & eſt vniuerſalis: ergo habet quantitatem.

Ad hoc argument. reſp. quod illa propoſitio eſt vniuerſalis ratione categoricarum propoſitionũ, ex quibus componitur, non tamen ratione ſui.

Sed contra eſt. Hæc propoſitio: Petrus, & Ioannes mouentur; & hæc Petrus, vel Ioannes mouentur, ſunt hypotheticæ, & vña extenditur ad plura, ſcilicet illa copulatiua, quia ad eius veritatem requiritur, quod ambæ partes ſint veræ, quam alia diſiunctiua, ad cuius veritatem ſolum requiritur quod vna tantum pars ſit vera: ergo ſi extenditur ad plura, iam habet quantitatem.

Ad hoc argum. reſp. aliqui concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia illa extenſio eſt ratione copulæ, & Author non loquitur hic de quantitate ratione copulæ, ſed ratione materiæ. Hæc ſolutio nihil valet: nam ſi concedatur quod ſit quantitas; ergo iam falsò docent, quod quantitas propoſitionis ſit in materia propoſitionis, ſiquidem ratione copulę etiam concedunt quantitatem: Præterea, vnde conſtat ex verbis diuiſionis Authorem loqui de quantitate materiæ magis, quam de quantitate copulæ: ergo ſolutio hæc eſt nulla.

Vnde nos aliter reſpondemus, quod prædictæ propoſitiones, quia habent in ſe propoſitiones categoricas, ideò ſignificant veritatem, aut falſitatem, & ideò verificantur prædicata de ſubiectis, & ideò extẽduntur ad plura vel ad pauciora, quia ſupponit prædicatum pro vno, aut pro pluribus; & hoc totum eſt ratione propoſitionis categoricæ, & non hypotheticæ, & ideò quod habeat quantitatem eſt ratione categoricæ.

Sit ſecundum arg. ad probandum hanc diuiſionam non eſſe bonam;

In bona diuiſione membra diuidẽtia debent participare rationem diuiſi, ſed in hac diuiſione aliquod membrum non participat, ſcilicet propoſitio ſingularis, quæ non habet quantitatem; ergo non participat diuiſum, quod eſt propoſitio quanta.

Pro ſolutione huius argumenti nota, quod hæc diuiſio, de qua eſt quæſtio, eſt ſubiecti in accidẽtia, vt ſi dicamus: Homo, alius albus, alius niger: vel, alius paruus, alius magnus.

Vnde reſpondetur ad arg. negando antecedens, & ſimiliter negando quod diuiſum ſit propoſitio, quanta, ſed potius propoſitio categorica, quæ alia eſt cum quantitate, vt vniuerſalis, particularis, & indefinita, alia ſine quantitate, vt ſingularis.

Tertium argumentum ſit. Membra diuidentia, cuiuſcumque diuiſionis debent eſſe oppoſita, re, vel ratione; ſed in hac diuiſione propoſitio particularis, & indefinita, non opponuntur, quia habent eandem quantitatem: ergo non opponuntur, ac per cõſequens diuiſio eſt mala: Antecedens probatur: nam vt indefinita ſit vera, ſufficit quod vna pars ſit vera, & vt ſit falſa, omnes eius partes. Idem contingit in particulari: ergo habent eandem quantitatem.

Ad hoc argumentum reſpondetur diſtinguẽdo antecedens: Habent eandem quantitatẽ, diſtinguo: Habent eandem quantitatem realiter, cõcedo: formaliter, nego. Nam indefinita ita habet quãtitatẽ, vt poſita in materia naturali æquiualeat vniuerſali, vt in hac; Homo eſt animal rationale, æquiualet huic: Omnis homo eſt animal rationale, & poſita in materia cõtingenti, æquiualet particulari, vt hæc: Aliquis homo currit, valet tantũ, quantũ hæc. Petr⁹ currit, vel: Ioannes currit. Vnde opponuntur, ſaltem ratione, indefinita, & particularis propoſitio, & ſic eſt optima diuiſio.

Sit quartum argumentum. Ariſt. 1. lib. Priorum. cap. 1. diuiſit propoſitionem categoricam, & non diuiſit eam in ſingularem, ſicut noſter Author: ergo vel Ariſtot. diminutè proceſſit, vel Author malè proceſſit.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens, negando tamen conſequentiam, quia Ariſtot, ibi agebat de propoſitione quãta, quia agebat de propoſitione, quæ maxime, & principaliter pertinet ad reducendos ſyllogiſmos, & quia particularis non habet quantitatẽ, ideò de illa mentionem non fecit.

In calce tamẽ huius quęſtionis notandum eſt quod definitio, qua definit Author propoſitionem hypotheticam, videlicet quod ſit *quæ conſtat duabus categoricis, aut duabus alijs orationibus*, eſt eſſentialis. Genus eſt illa particula, *quæ*, differentia ſunt aliæ particulæ.

Quod

Quod ſi dicas. Eſſentia propoſitionis eſt, ꝙ ſit enuntiatio; hoc nō explicatur in tali definitione: ergo non eſt eſſentialis. Ad hoc reſpondetur quod vt ſuprà diximus, res poteſt definiri dupliciter. Metaphyſicè, vt homo, quando dicimus *Animal rationale;* alio modo phyſicè, vt quando dicimus. *Homo conſtat corpore, & anima*, & vtraque definitio eſt eſſentialis. Sic propoſitio poteſt definiri Metaphyſicè, quando dicimus: *Eſt enuntiatio, &c.* Alio modo phyſicè per partes, ex quibus componitur, vt quando dicimus: *quæ cōponitur ex duabus categoricis vel orationibus*, & vtraque eſt eſſentialis, vnde prædicta eſt eſſentialis.

QVÆST. III.

Vtrum diuiſio, qua diuiditur propoſitio in affirmatiuam, & negatiuam, ſit exacta, nec ne.

IN hac quæſtione ſit certum diuiſum eſſe propoſitionem in communi, prout comprehendit categoricam & hypotheticam, quia in vtraque reperiri poteſt negatio, ſiue in copula, ſiue in coniunctione.

Secundò ſit certum, eſſe diuiſionē ſubiecti in accidentia, quia quod ponatur negatio, vel nō ponatur in propoſitione, accidit illi, eo quod non mutatis partibus eſſentialibus propoſitionis, poteſt eſſe modò affirmatiua, modò verò negatiua.

Vnde ſit concluſio. Prædicta diuiſio eſt optima: nam omnis propoſitio vel eſt affirmatiua, vel negatiua: & ſic ſufficienter, quantum ad hoc, cōprehendit omnes propoſitiones.

Sed contra concluſionem eſt primum argumentum. Propoſitio hypothetica nullo modo eſt affirmatiua, nec negatiua: ergo talis diuiſio eſt mala. Antecedens prob. nam in propoſitione hypothetica non reperitur ſubiectum, nec prædicatum, nec vnum dicitur de alio: ergo non eſt affirmatio, nec negatio: quia ſi iſtæ reperirentur, eſſet veritas, aut falſitas; talis non eſt: ergo nec affirmatio, nec negatio.

Ad hoc argum. reſpond. diſtinguendo antecedens. In hypothetica non reperitur affirmatio, & negatio, diſtinguo. Enuntiando vnum de alio, concedo: hoc enim ſi in illa reperiatur, eſt ratione categoricæ: tamen reperitur negatio, vel affirmatio, copulando vnā propoſitionem cum alia, aut non copulando: vnde ſi in coniunctione reperitur negatio, eſt negatiua, ſi non reperiatur, eſt affirmatiua.

Circa definitionem propoſitionis negatiuę aduertendum eſt, quod negatio debet eſſe ante verbum, quod pertinet ad præcipuum ſenſum propoſitionis, quod vocatur præcipua copula, quia principaliter perficit propoſitionem, vt in

hac; Petrus, qui legit, non docet, eſt negatiua, quia verbum, *Docet*, perficiens ſenſum propoſitionis, appellatur præcipua copula, & habet ante ſe negationem. Quod ſi talis negatio poneretur ante ſubiectum, & prædicatum, non eſſet negans, ſed infinitans, vt: Non homo currit, eſt affirmatiua: quia facit hunc ſenſum. Quod non eſt homo, currit.

Similiter aduerte, quod negatio poteſt impediri per aliam negationem, & hinc non reddi propoſitionem negatiuam, vt cum dicimus: Nonnullus homo currit, eſt idem, quod, Aliquis homo currit.

Circa vltimum, quod Author docet in hoc cap. de illis particulis, *Quæ, qualis, & quanta*, notandum eſt, quod quãuis ſit de eſſentia propoſitionis, quod ſit enuntiatio vnius de alio, & quod ſit categorica, vel hypothetica: tamen quia in enuntiatione non æqualiter conueniunt categorica, & hypothetica, ideò non reſpondemus ad interrogationem factam, per: *Quæ eſt enuntiatio;* at verò in eſſe categoricam, vel hypotheticam, in hac eſſentia conueniunt æqualiter, & ſic reſpondemus optimè, quod ſit categorica, vel hypothetica, quia, *Quæ*, quærit æqualiter de vtraque, loquendo de hac eſſentia phyſica, vt diximus, & quia in enuntiatione non conueniunt, ideò non poteſt aſſignari particula, quę de illis æqualiter quærat.

De ſecunda particula, *Qualis*, nota, quod quamuis ſit qualitas propoſitionis, quod ſit vera vel falſa, non reſpondetur per hæc, quia de iſtis non quæritur, niſi in diſputatione, in qua ſunt particulæ ad reſpondendum, *Nego*, ad falſam: *concedo*, ad veram.

De tertia particula, quę eſt *Quanta*, nota, quod quando reſpondemus: Eſt ſingularis, non ſic reſpondemus, quia ſingularis habeat quãtitatem, ſed quia tum intelligitur interrogatio, *An habeat quantitatem*, & reſpondeo. Eſt ſingularis, nõ habere quantitatem.

Vltimò rogabis, quantæ ſint iſtæ propoſitiones: Omnes Apoſtoli ſunt duodecim: Omnes homines ſunt quatuor. Homo eſt ſpecies. Reſpondetur eſſe vniuerſales; ſed homo eſt ſpecies, ſupponit immobiliter, id eſt, quod ita ſupponit pro cõmuni, vt ad particularia non poſſit accommodari illud prædicatum, *Species*, & ita dicitur immobiliter ſupponere. Hæc de hac quæſtione.

DISPVT. IV.

De conſequentia, ſeu argumentatione.

INtentum Authoris in hoc capite eſt agere de conſequentia. Caput diuiditur in tres partes. In prima expli-

explicat, quid, & quotuplex ſit conſequentia, & ea, quæ in ipſa reperiuntur. In ſecunda quædam colligit. In tertia, & vltima docet, quomodò argüentes, & reſpondentes ſe debeant habere.

QVÆSTIO I.

Vtrùm definitio conſequentiæ ſit optima.

IN hac quæſtione præſupponenda eſt definitio conſequentiæ, quæ talis eſt. ***Conſequentia eſt forma, ſeu ratio vnum ex altero colligendi.*** In qua ponitur ***Ratio***, loco generis, quia ad plura ſe extendit, quam cōſequentiam, ***Vnum ex altero colligendi***, eſt differentia. Et dicitur ***Vnum ex alio*** ad ſignificandum propoſitionem, quæ in conſequenti colligitur, debere eſſe diuerſam, ab ea, quæ eſt in antecedenti.

Primò certum ſit in hac quæſtione, prædictam definitionem non eſſe eſſentialem, quia non conſtat vero genere nam verum genus eſt, ***oratio.*** Vnde eſſentialiter definitur conſequentia, quando dicimus. ***Cōſequentia eſt oratio colligens vnum ex alio.***

Secundo certum ſit authorem optimum ſeruaſſe ordinē in agendo priùs de conſequentia, quam de diuiſione, & definitione, quia eſt præſtantior, & perfectior illis; nam præſupponit eas, eo quod definitio ad primam operationem intellectus pertinet; diuiſio ad ſecundā: at conſequentia ad tertiam.

His ſuppoſitis ſit concluſio reſponſiua. Prædicta definitio conſequentiæ eſt optima. Probatur concluſio primò autoritate noſtri autoris ſic eam definientis. Secundò ratione, nam illa eſt bona definitio, quæ rectè explicat eſſentiam, aut propriam paſſionem rei, ſed dicta definitio conſequentiæ, id præſtat: ergo eſt optima, explicat enim paſſionem, ſcilicet quod ſit ratio, ſeu medium, per quod vnū ex alio colligitur: ergo eſt optima.

Sed contra concluſionem eſt argumentum. Datur aliquid, quod ſit ratio colligendi vnum ex alio, & tamen non ſit conſequentia, ergo definitio conſequentiæ eſt mala. Antecedens probatur, nam actus intellectus eſt ratio, ſeu medium, quo intellectus vnum ex alio colligit: ergo.

Ad hoc argumentum reſpon. diſtinguendo antecedens. Datur aliquid, quod ſit ratio vnum ex alio colligendi, & non ſit conſequentia, diſtinguo. Quod ſit ratio formalis colligendi, & non ſit conſequentia, nego: Efficienter, concedo, & ſic actus intellectus eſt ratio colligendi efficienter, quia eſt id, quod colligit; at verò conſequentia eſt medium formale, per quod colligitur vnum ex alio.

Digitized by Google

Sit ſecundum argumentum contra prædictam concluſionem. Propoſitio eſt genus ad conſequentiã, ergo non *oratio*; nec particula, *forma* ſeu *ratio*. Antecedens probo. Nam hęc eſt bona prædicatio. Conſequentia eſt propoſitio, ſicut hæc Homo eſt animal: ergo ſicut animal eſt genus ad hominem, ita propoſitio ad conſequentiam, ergo.

Ad hoc argumentum reſpon. negando antecedens: nam illa prædicatio: Conſequentia eſt propoſitio, non eſt formalis prædicatio, ſed materialis, quia propoſitio eſt realiter in conſequentia, & ſunt duæ ſpecies diuerſæ rationis, & ſic vna non prædicatur de alia formaliter, ſicut actio quamuis ſit idem realiter cum paſſione, & valeat: Actio eſt paſſio quia eſt prædicatio realis, non eſt genus vna ad aliam.

Sit tertium argumentum. Oratio, vt dictum eſt, eſt genus ad conſequentiam; ergo non rectè definiuit autor conſequentiam, non aſſignando, vt genus, orationem in prædicta definitione.

Ad hoc argumentum reſpon. concedendo antecedens, & negando cõſequentiam, quia in oratione conuenit conſequentia cum propoſitione hypothetica, & quia de illa ſatis egerat in capite de oratione, & propoſitione, ideo non poſuit orationem, vt genus, ſed formam, aut rationem.

QVÆST. II.

Vtrum ex falſo aliquando ſequatur verum, & ex vero non niſi verum.

IN hac quæſtione primò præſupponenda eſt diuiſio conſequentię in conditionalem, cauſalem, & rationalem; quæ ſubiecti in accidentia eſt. Nam eadem conſequentia ſecundum notam illationis, & ſecundum eoſdem terminos, poteſt eſſe modo cauſalis, modo rationalis, vt patet in hac: Eſt rationale, ergo eſt riſibile, & poſteà: Si eſt rationale ergo eſt riſibile: quæ eadem eſt rationalis, & cauſalis, quia accidit, quod addatur conditio, ſiue cauſalis particula.

Diuiditur autem conſequentia in ſuas ſpecies formaliter, quando dicimus: Cõſequentia, alia ſyllogiſmus, alia enthymema, alia inductio, alia denique exemplum.

Diuiditur etiam aliquando ratione propoſitionum, quando dicimus: Conſequentia, alia neceſſaria, alia probabilis. Nam hoc prouenit illi ratione propoſitionum, ex quibus componitur, & conſtat.

Secundo notandum eſt quod quando autor docet conſequentiam debere conſtare antecedenti, conſequenti, & nota illationis, aſſignat materiam totalem, & adæquatam conſequentiæ, ita quod materia con-

Digitized by Google

conſequentiæ ſit antecedens, conſequens, & nota illationis.

Tertiò notandum eſt, quod hæc materia conſequentiæ eſt triplex. Naturalis, contingens, & remota. Naturalis, eſt quando termini naturaliter, & neceſſario, ſunt connexi. v.g. Homo eſt animal, eſt in materia naturali, quia homo, & animal, naturaliter coniunguntur, & neceſſariò homo includit animal. Contingens materia eſt quando termini contingenter coniunguntur, & poſſunt optimè ſeparari, vt: Homo eſt albus, *Homo* & *albedo* accidentaliter coniunguntur, & homo poteſt eſſe ſine albedine. Materia remota eſt, quando termini interſe repugnant, ita vt vnus cum alio eſſe nequeat, vt Homo eſt lapis; *Homo* & *lapis* omninò repugnant interſe, quia homo non poteſt eſſe lapis.

Quartò notandum eſt, quod forma conſequentiæ eſt diſpoſitio terminorum. v.g. ex eo quod animal rationale, & riſibile, ita ſint connexi, & diſpoſiti, ſequitur quod valeat conſequentia: Eſt animal rationale: ergo eſt riſibile: Illa diſpoſitio eſt forma conſequentiæ: vnde rectè ſequitur id, quod docet Author, quod conſequentia, quæ ſemel eſt bona, ſemper erit bona, id eſt; Quod ſemel rectè colligitur ratione diſpoſitionis terminorum, ſemper colligitur in omni materia, & quia in propoſitione vniuerſali, ita ſunt termini diſpoſiti, vt colligatur ſemper ex vniuerſali particularis in omni materia; & ſic valet: Omnis homo eſt animal: ergo aliquis homo eſt animal: Omnis homo eſt albus: ergo aliquis homo eſt albus: Nullus homo eſt lapis: ergo aliquis homo non eſt lapis: at vero conſequentia, quæ eſt bona ratione materię, ſolum in aliqua materia eſt bona, & non in alijs materijs. v.g. Aliquis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt animal, eſt bona conſequentia ratione materiæ ſolum, & in hac materia naturali ſemper eſt bona, non tamen in contingenti: & quando author dixit: *Conſequentia, quæ ſemel eſt bona, ſemper erit bona*, loquitur ratione formæ, cuius in omni materia valet conſequentia.

Sed dices contra hoc. Hæc conſequentia fuit bona. Prophetæ dixerunt Chriſtum eſſe venturum; ergo veniet: ergo modo ſimiliter erit bona; ergo Chriſtus veniet: ſed eſt falſa: ergo conſequentia, quæ ſemel eſt bona, non ſemper erit bona.

Ad hanc obiectionem reſpondetur, quod illa conſequentia non erat bona ratione formæ, quia non valet: Hoc eſt dictum, ergo erit; ſed ſolum fuit bona ratione materiæ, ſcilicet quia reuelatum fuit Chriſtum eſſe venturum, & talis reuelatio fuit infallibilis.

Sed

Sed dices. In materia naturali, aut in materia certa, conſequentia, quæ ſemel eſt bona ratione talis materiæ, ſemper in illa erit bona, ſicut in materia naturali: ergo ſi ſemel fuit verum dicere ratione materiæ infallibilis: Chriſtus eſt venturus ſecundum Prophetas; ergo veniet, ſimiliter in eadem materia modo verum dicere: Ergo Chriſtus veniet: ſed modo non poteſt dici, ergo.

Ad hoc reſpon. quod illa copula de futuro *Chriſtum eſſe venturum* ampliat ad duas temporis differentias, ſcilicet: Ergo venit, vel veniet, & ſic modo valet conſequentia: Rophetæ dixerunt Chriſtum eſſe venturum: ergo vel venit vel veniet.

His ſuppoſitis ſit prima concluſio in hac quæſtione. Ex vero non poteſt ſequi niſi verum in bona cōſequentia: nam de mala conſequentia loquendo non procedit noſtra concluſio, in ea enim poteſt dari antecedens verum, & conſequens falſum. Concluſio probatur primò. Nam aut antecedens eſt vna ſola propoſitio, aut duæ, ſicut contingit in ſyllogiſmo. Si eſt vna tantum, aut eſt vniuerſalis, & ſic, ſi ſit vera, optimè poteſt colligi quælibet particularis ſub ea contenta, & omnes particulares debent eſſe veræ, quia vniuerſalis eſt vera, cuius omnes partes ſunt veræ: & ſi antecedens eſt verum, etiam conſequens debet eſſe verum: & ſi antecedens ſit propoſitio particularis, etiam poteſt ſequi particularis vera, vt in hac. Aliquis homo currit: ergo aliquis homo mouetur: vel etiam: Ergo vel hic homo, vel hic homo currit, cum ex vero non niſi verum. Si autem antecedens ſit duplex propoſitio, vt in ſyllogiſmo; ratio propter quam ex antecedenti vero non poteſt ſequi niſi verũ, eſt quia in antecedenti ponuntur duo termini, qui non repugnant cum medio, & ideò in conſequenti non repugnant interſe ſecundum illud principium: *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

Sit ſecunda concluſio: Ex falſo aliquando ſequitur verum. Hæc concluſio probatur. Primò authoritate noſtri Authoris in præſenti capite, in quo adducit illum ſyllogiſmum; Omnis homo eſt arbor; Platanus eſt homo; ergo Platanus eſt arbor. In quo vero datur antecedens falſum, & conſequens verum, ſed tota difficultas huius concluſionis eo ſita eſt, vt aſſignetur ratio propterquam ex antecedenti falſo ſequatur conſequens verum.

Vt hanc rationem breuiter, & claritate neceſſaria, aſſignemus, aduertendum eſt, antecedens falſum, ex quo ſequitur conſequens verum, vel habere vnicam propoſitionem vt in hac conſequentia: Omnis homo eſt Philoſophus; ergo Socrates eſt Philoſophus; vel poſſe habere dupli-

Digitized by Google

duplicem propoſitionem, vt patet in ſyllogiſmo. Vnde breuiter dico. Quando antecedens eſt vnica propoſitio, tunc ſequitur ex antecedenti falſo cōſequens verum, quia propoſitio vniuerſalis in materia contingenti falſa, poteſt continere propoſitionem particularem veram, vt in exemplo dicto: Omnis homo eſt philoſophus, ergo Socrates eſt philoſophus, vniuerſalis eſt falſa, quia requirit omnes particulares veras; & particularis vera eſt, quia certum eſt aliquem hominem eſſe Philoſophum.

Si autem antecedens falſum conſtet duplici parte, vt in ſyllogiſmo, tunc ſumitur ratio aperta, & breuis ex noſtro autore lib. 5. Summular. c. 6. vbi aſſignans rationem, quare ex puris negatiuis nihil colligatur, docet quod non eſt neceſſarium, vt ea, quæ non ſunt eadem in vno tertio, non ſint idem inter ſe, hoc eſt, quòd poteſt contingere, vt in antecedenti ſint duo termini repugnantes medio, non tamen repugnantes inter ſe. v. g. in ſyllogiſmo à noſtro autore conſtituto ponuntur in antecedenti iſti termini, *homo*, qui eſt medium; & maior extremitas, *arbor*: & minor, *platanus*: arbor & platanus omninò repugnant cum homine, & ſic non ſunt idem in vno tertio: tamen non colligitur ex eo, quod non poſſunt coniungi inter ſe, quia Platanus eſt arbor eſt vera propoſitio, & ſic coniunguntur inter ſe, quamuis in antecedenti non poſſint coniungi cum medio; & ob id propoſitiones antecedentis ſunt falſæ, & conſequens verum.

Sed contra prædictam concluſionem eſt argumentum. Conſequens cauſatur ab antecedenti, ita quod antecedens ſit cauſa conſequentis, ſed effectus non poteſt eſſe perfectior ſua cauſa: ergo nec conſequens poteſt eſſe verum, quando antecedens eſt falſum.

Ad hoc argum. reſp. quod conſequens verum ſequitur ex antecedenti ratione diſpoſitionis terminorum, & hæc eſt ita perfecta, ſicut conſequens verum: Sed hæc ſolutio nihil valet, quia ſequeretur ſemper ex ſyllogiſmo facto in *Darij*, cuius antecedens ſit falſum, ſequi conſequens verum, quod non poteſt dici. Sequelam probo. Nam eadem eſt diſpoſitio terminorum omniū ſyllogiſmorum, qui fiunt in *Darij*, cum illa, quam habet ſyllogiſmus; Omnis homo eſt arbor; Platanus eſt homo: ergo platanus eſt arbor: Ergo ſi in hoc ſyllogiſmo ſequitur cōſequens verum ratione diſpoſitionis, in omnibus etiam ſequitur quia eadem eſt diſpoſitio; ſed conſequens eſt omninò falſum: ergo nec dicendum eſt, ſequi ratione diſpoſitionis terminorum.

Secundò reſpondent alij, quod veritas conſequentis non continetur

tur in antecedenti. Aliud enim dicunt eſſe, concluſionem inferri ex antecedenti, aliud verò, quod veritas conſequentis cauſetur ab antecedenti. Primum eſt verum, ſecundum falſum, quia veritas ſumitur ex conformitate ad rem ſignificatam, quod minimè cauſatur ab antecedenti. Vnde reſpondent, quod conſequens, inquantum verum, non eſt effectus antecedentis.

Sed hæc ſolutio eſt omnino falſa, quia quod cauſat, quod duo termini coniungantur in concluſione, in tali conformitate, vt rem ſignificent, ſicuti eſt; etiam cauſat, quare verè ſignificant rem, ac per conſequens veritas concluſionis cauſatur ab antecedenti.

Vnde nos aliter reſpondemus ad argumentum, concedendo, quod veritas concluſionis cauſetur ab antecedenti, negando tamen conſequentiam: Ergo effectus eſt præſtantior ſua cauſa, quia conſequens verum cauſatur ab antecedenti falſo, inquantum habet optimam diſpoſitionem, aut formam in tali materia, ſcilicet in illis terminis, quibus non repugnat coniungi inter ſe: & hæc diſpoſitio in ordine ad tales terminos eſt ita perfecta, ac concluſio vera. Et hæc de hac quæſt. & cap.

DISPVT. V.

De definitione.

INtentum Authoris in hoc capite eſt agere de definitione. Caput hoc diuiditur in tres partes. In prima explicat, quid, & quotuplex ſit definitio. In ſecunda quid, & quotuplex ſit definitum. In tertia denique, & vltima, quinq; adducit præcepta rectè definiendi. Ad primam partem, &c.

QVÆST. I.

Vtrùm definitio, quæ definitur definitio rei, ſit optima necne.

PRimò præſupponendum eſt in hac quæſtione, definitionē idem eſſe cum finitione, ſeu limitatione, quia per definitionem cognoſcimus rem, & eam diſtinguimus ab alijs: nam ſicut per fines limitamus agros, ita per definitiones limitamus rem.

Secundò præſupponendum eſt, Authorem agendo prius de definitione, quam de diuiſione, ſeruaſſe ordinem naturæ, quia eſt ſimplicior diuiſione, nec non etiam ordinem doctrinæ, quia eſt nobilius, & præſtantius inſtrumentum ad ſcientias comparandas.

Tertiò præſupponendum eſt, definitionem materialiter eſſe quid æquiuocum, quia ad nomen, & rem non

Digitized by Google

non datur quid vniuocum: & ob iſtam rationem Author priùs illam diuiſit, quam definiuit: formaliter tamen eſt ens rationis, & ſic eſt quid vniuocum, quia conueniunt vniuocè definitio nominis, & definitio rei in hoc, quod eſt explicare definitũ.

Quod ſi dicas: Si formaliter eſt vnica definitio, quare fuit prius diuiſa, quàm definita? Reſpondeo, rationem huius eſſe: Quia materialiter eſt æquiuoca, ſufficit, vt ſit neceſſarium prius diuidi, quam definiri, vt maiori claritate noſter procederet Author.

Secundò reſpondeo, quod in vniuocis etiam poteſt ſic quis procedere, prius illa diuidendo, quam definiendo, quamuis hoc non ſit neceſſariũ, ſicut in æquiuocis, in quibus nulla ratione eſt procedendum, niſi prius diuidendo, & deinde definiendo.

Quartò præſupponenda eſt in hac quæſt. diuiſio, qua diuiditur definitio in definitionem nominis, & definitionem rei, quæ quidem eſt diuiſio generis in ſpecies, nam conueniunt in hoc, quod eſt explicare clarè definitum, differunt tamen ratione differentiæ, ſcilicet, quia vna eſſentiam, aut proprium rei, alia eſſentiam, aut proprium nominis explicat.

Sed contra hanc diuiſionem eſt argumentum. Membra diuidentia non ſunt oppoſita: ergo nec diuiſio eſt generis in ſpecies. Probatur. Definitio nominis eſt definitio rei, quia nomen eſt res: ergo omnis definitio eſt definitio rei.

Ad hoc argumentum reſpondetur diſtinguendo minorẽ: Nomen eſt res, diſtinguo: Eſt res tranſcendentaliter, concedo: Specificè nego. Res tranſcendentaliter dicitur, quia eſt aliquid, cui conſequitur, quod ſit res: ſpecificè dicitur res, quia condiſtinguitur à nomine, per quod ipſa res ſignificatur, & ſic diſtinguuntur.

His ſuppoſitis ſit concluſio reſponſiua quæſtioni. Prædicta definitio, qua definitur definitio rei, ſcilicet: *Eſt oratio explicans naturam, aut proprium aliquod rei*, eſt exacta, & eſſentialis. Hæc concluſio eſt contra aliquos aſſerentes eſſe deſcriptiuam. Et probatur primò hac ratione. De eſſentia definitionis nihil aliud eſſe poteſt, quam manifeſtare ſuum definitum, inquantum ad eius eſſentiam, aut propriam paſſionem, quia natura ſua ad hoc ordinatur; ſed hoc explicatur per illam definitionem: ergo per illam explicatur eſſentia, ac per conſequens eſt eſſentialis, & quidditatiua.

Secundò probatur. Nã ſi propter aliquam rationem non eſſet eſſentialis, maximè, quia nõ conſtat vera differentia; ſed hæc ratio non obſtat ergo eſt eſſentialis. Antecedens probo: nam authores oppoſitæ ſenten-

tiæ eò ſolum dicunt non eſſe eſſentialem, quia non conſtat vera differentia. Quòd vero hæc ratio non impediat eſſe eſſentialem, ſic probo: Definitio termini eſt eſſentialis ſecundũ opinionem authorũ oppoſitæ ſententiæ, & tamen non conſtat vera differentia, quia illa particula *Propoſitionis*, ponitur loco differentiæ ſecundum omnes. Præterea: Albedo definitur eſſentialiter, cum dicimus: *Albedo eſt color corporis diſgregantis viſum*: & hoc omnes tenentur fateri: & tamen illa particula, *Corporis*, ponitur loco differentiæ, & non habet veram differentiam: ergo habere veram differentiam, non ſemper requiritur, vt aliqua definitio ſit eſſentialis: ergo quamuis definitio definitionis rei non conſtet vera differentia, bene poteſt eſſe eſſentialis, & quidditatiua, ſiquidem in illa eſt verum genus, ſcilicet, *Oratio*, & *Natura, aut proprium*, ponuntur loco differentiæ.

Tertiò Prob. Si non eſſet eſſentialis, maximè quia datur per illud diſiunctum, *Natura, aut proprium*, vt aiunt, qui oppoſitam tenent ſententiam; ſed non impedit, quin ſit eſſentialis: ergo talis eſt. Minorem probo. Definitio accidentis datur non ſolum per diſiunctum, imò per copulatũ, & ad duo oppoſita, quod eſt maius; & tamen eſt eſſentialis: ergo. Antecedens probo: nam talis: eſt *Accidens eſt, quod poteſt adeſſe: & abeſſe ſubiecto*: ergo & hæc definitio definitionis erit eſſentialis.

Quartò illud ponitur loco differētiæ in definitione eſſentiali, quod terminat ordinem eſſentialẽ, quem dicit definitum. v. g. in definitione eſſentiali accidentis ponitur ſubiectũ loco differentiæ, quia accidens, quod definitur, dicit eſſentialẽ ordinem ad ipſum ſubiectum: & ſimiliter propoſitio ponitur loco differentiæ in definitione termini, quia terminus dicit ordinem eſſentialem ad ipſam propoſitionem; ſed ſimiliter definitio rei, quæ definitur in dicta definitione, dicit ordinem eſſentialem ad eſſentiam, aut propriam paſſionem rei: ergo hæc debent poni loco differentiæ, & poſitis his particulis definitio erit eſſentialis.

Ob. Definitio, & definitũ debent conuerti; ſed definitio nõ conuertitur cum ſuo definito: ergo non eſt bona definitio. Minorem probo: Definitũ eſt definitio rei in cõmuni; hæc definitio eſt quædam particularis definitio; à particulari ad vniuerſale non valet conſequentia: ergo non conuertitur cum definito: ac per conſequens eſt mala.

Ad hoc argumentum reſpondetur, notando prius, quod hæc definitio poteſt dupliciter ſumi: materialiter, ſcilicet, & formaliter. Materialiter, inquantum eſt quædam definitio, quæ comprehenditur ſub

defi-

definitione in communi, quę eſt definitum. Alio modo poteſt ſumi formaliter inquantum explicat eſſentiam definitionis in communi, & vt ſic eſt idem, quod eſſentia definitionis in communi, & conuertitur cum illa. Vnde reſpondetur ad argumentum in forma: Omnis bona definitio debet conuerti cum ſuo definito, concedo maiorem: Hæc definitio non conuertitur cum ſuo definito, quod eſt definitio in communi, eſt ipſa particularis. Diſtinguo minorem. Eſt particularis; ſi ſumatur materialiter, concedo, quia ſic comprehenditur à definitione in communi: formaliter tamen, nego, quia ſic eſt idem, quod definitio in communi, aut cum eius eſſentia: & hac ratione conuertitur.

Ob. Si hæc definitio definit definitionem in communi, ſequitur, quod definiat ſe ipſam; ſed nihil poteſt definire ſe ipſum: ergo definitio eſt mala. Antecedens probo: Hæc definitio eſt verè definitio: ergo cõprehẽditur ſub definitione in communi.

Ad hoc argumentum reſpondetur: Idem non poteſt definire ſe ipſum, diſtinguo; Sub eadem ratione concedo: Sub diuerſa nego: hoc eſt, ea ratione, qua eſt definitio, nõn poteſt eſſe definitum: tamen ſub alia ratione poteſt eſſe definitum: & hæc definitio formaliter ſumpta, inquãtum eſt idem, quod eſſentia definitionis in communi, definit ſe ipſam materialiter ſumptam, inquantum eſt definitio, cui conuenit conſtare genere, & differentia, & explicare naturam, aut proprium rei.

Vltimò in hac quæſt. notanda eſt illa diuiſio, qua diuidit Author definitionem in eam, quæ explicat naturam rei, & in eam, quæ proprium ipſius: quæ quidem eſt diuiſio generis in ſpecies, genus eſt *Definitio in communi*, ſpecies ſunt *Deſcriptiua, & quidditatiua definitionis.*

Sed contra hoc eſſe poteſt obiectio aut argumentum: Nulla definitio poteſt dari per omnia genera cauſarum: ergo nulla definitio poteſt explicare clarè, & apertè naturam, & eſſentiam rei. Antecedens probo; In definitione ſolùm ponitur genus materiale, quale eſt genus, & genus formale: quale eſt differentia: ergo non ponuntur, genus efficiens, & finale, ac per conſequens non poteſt clarè explicari natura rei per definitionem, ſiquidem vt clarè cognoſcatur, omnia genera, ex quibus res pendet, debent cognoſci.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo, quod in definitione tantum ponantur genus materiale, & formale, quæ ſunt genera intrinſeca: & dicuntur intrinſeca, quia componunt tanquàm partes ipſam rem; negamus tamen conſequentiam, ſcilicet: Ergo non cog-

Digitized by Google

gnoſcitur clarè res:nam ad hoc ſufficit cognoſcere genera intrinſeca, &non requiritur ponere genera extrinſeca.

Ob. Proprium rei eſt ens per accidens,v.g. *Riſibile*, ſed ens per accidens non poteſt definiri: ergo nulla eſt definitio deſcriptiua; Antecedens probo; Illud eſt ens per accidens, quod componitur ex rebus diuerſorum prædicamentorum, ſed riſibile componitur ex ſubſtantia, quæ eſt homo,& ex accidenti, quod eſt riſibilitas: nam riſibile ſignificat hominem, & riſibilitatem: ergo eſt vnum per accidens, ac per conſequens non poteſt definiri.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens ſcilicet, quod proprium ſit vnum per accidens: Nam ad hoc requiritur, quod dicat æqualiter res diuerſorum prædicamentorũ, & quia riſibile in recto dicit hominem, & in obliquo riſibilitatem,ideò non dicit æqualiter res diuerſorum prædicamentorum,ac per conſequens non eſt vnum per accidens,& ſic poteſt definiri, & eſt formalis definitio deſcriptiua.

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuiſio,qua diuiditur definitum in proximum,& remotum ſit optima.

IN hac quæſtione primò præſupponendum eſt iuxta dicta poſt quam author egit de definitione agere de definito, quod optimè definiuit per ipſam definitionem,quia ſunt relata, & ideò vnum ſine alio intelligi,nec definiri minimè poteſt, ſicut quia pater,& filius ſunt relata, non poteſt definiri pater, niſi ponẽdo filium in eius definitione, nec filius ſine eo, quod pater intret in definitione filij. Sic etiam quia definitio, & definitum, ſunt relata, in definitione definiti, ponitur definitio, vt differentia, ad explicandum definitum. Vnde definitio definiti, quæ talis eſt: *Id cuius natura, aut proprium explicatur per definitionẽ*, genus eſt illa particula: *id.* Differentia verò ſunt reliquæ particulæ. Nec valet ſi dicas, quod definitio definiti datur per disiunctionem: ergo non poteſt eſſe eſſentialis. Hoc inquam, non valet, quia, vt ſuprà probauimus in definitione definitionis, hoc non impedit,quo minus ſit eſſentialis. Quod ſi iterum arguas: quoties genus definitur per differentias, per quas contrahitur,poſitas loco differentiæ in ſua definitione, tunc tale genus non definitur eſſentialiter, ſed

Digitized by Google

ſed deſcriptiuè, v.g. quando definitur: *Animal, eſt viuens, rationale, vel irrationale,* non definitur eſſentialiter: ergo ſimiliter quando definitur definitio, vel definitum per hoc, quod eſt explicare naturã, aut proprium, non definitur eſſentialiter, quia explicare ſecundum naturam, eſt vna differentia; & ſecundum proprium, eſt alia: ergo ſicut animal nõ definitur eſſentialiter, ita nec definitio, nec definiuntur eſſentialiter.

Ad hoc argumentum reſpondetur, eſſe maximam differentiam inter animal, & definitionem, aut definitũ, quia animal eſt quoddam genus abſolutum, & non dicit eſſentialem ordinem ad rationale, vel irrationale; & ſic ſecundum naturam poteſt quidditatiuè definiri ſine ordine ad aliud, at verò definitio in communi dicit eſſentialem ordinem ad naturam, vel ad proprium, definiti, & ſic non poteſt eſſentialiter definiri, ſine eoquod ponantur in eius definitione. Similiter definitum ſecundum ſuam naturam, aut proprium, terminat ordinem quem dicit definitio ad ipſum definitum. Et ſic non poteſt quidditatiuè definiri, niſi ponatur natura, aut proprium in eius definitione: ergo tam definitio definitionis in communi, quàm definiti in cõmuni, ſunt eſſentiales, & quidditatiuæ, quod quàm plures authores immeritò negant.

Secundò notandum eſt, quod duplex eſt definitum, vnum adæquatum, aliud inadæquatum: Adæquatum eſt, quod adæquat definitionem, & cum illa conuertitur, vt homo in hac definitione: *Animal rationale,* eſt definitum adęquatum, quia conuertitur cum illa: benè enim valet: Eſt homo, ergo eſt animal rationale; Eſt animal rationale: ergo eſt homo. Inadæquatum eſt, vt Petrus, quia non adæquat, nec conuertitur: non enim valet. Eſt homo, ergo eſt Petrus.

Tertiò notandum eſt, quod omnes authores admittunt diuiſionem definiti in proximum, & remotum. Sic Sot. lib. 2. ſummula. c. 4. Fonſe. lib. 2. inſtitutio, dialecticar. cap. 8. & noſter autor hoc lib. 1. ſummular. cap. 5. expreſſis verbis eam tradit, & definit vtrumq; definitum, tam remotum, quàm proximum.

Quartò notandum eſt, maximè variare authores in aſſignando definitum proximum, & remotum. Sotus enim loco citato exiſtimat definitum proximum eſſe ſignificationem nominis, & remotum ipſam rem ſignificatam per tale nomen.

Sed talis modus omnino à ratione alienus eſt, & ſuſtineri nequit: nam definitio de definito proximo verificari debet, & cũ eo cõuerti, ſed hæc definitio: *Animal rationale,* non veri-

verificatur de nomine, *Homo*, ſed de ipſa re ſignificata per tale nomen: ergo iſte modus eſt falſus.

Secunda ſententia, & opinio, eſt Fonſecæ loco ſuprà citato aſſerentis definitum proximum eſſe naturam communem, & remotum; ſingularia, vt in hac definitione: *Animal rationale*, definitum proximum eſt, *Homo*, in communi, remotum ſunt ſingularia, ſcilicet Petrus, & Ioannes. Et fundamentum illius eſt, quia quando definitur homo proximè, verificatur de illo in cõmuni, quod ſit animal rationale, & remote de ſingularibus, quia eò Petrus eſt animal rationale, quia eſt homo; ſed quamuis iſte modus ab aliquibus à ratione alienus non videatur, meo tamen iudicio improbabilis, eſt.

Et impugnari ſic poteſt. Nam eò ſingularia aliquo modo definiũtur in hac definitione: *Animal rationale*, quia participant rationem hominis, & quia ratio hominis in illis reperitur, ſed hæc eadem ratio hominis, quæ in ſingularibus reperitur, proximè definitur: ergo ſingularia non ſunt definitum remotum.

Quod ſi reſpondeant, prout communem, eſſe definitum proximum, & prout ſingularem, eſſe remotum.

Contra: nam ſi hoc eſſet verum, ſequitur non poſſe aſſignari in hac definitione hominis definitum proximum, adæquatum, & inadæquatum, quod eſt contra communem ſententiam omnium authorum. Sequelam probo. Nam nullum aliud poteſt eſſe definitum inadæquatum, niſi ſingulare, ſed ſi ſit definitum remotum ſingulare, non eſt inadæquatum; quia definitum inadæquatum etiam eſt proximum: ergo dicta ſententia defendi non poteſt.

Tertia ſententia eſt noſtri authoris in præſenti capite dicentis, definitum proximum eſſe illud, cuius natura, aut proprium, explicatur per definitionem, vt ab ipſo nomine ſignificatur, & remotum, cuius natura, aut propriũ, explicatur per definitionem, nõ vt ab ipſo nomine ſignificatur, v. g. definitum proximum, in hac definitione: *Animal rationale*, eſt homo, quia eius natura explicatur, vt ab ipſo nomine, *Homo*, ſignificatur, quia homo ſignificat animal rationale: remotum vero eſt riſibile, quia eius natura explicatur non vt ab ipſo nomine, *Riſibile*, ſignificatur.

Vt aſſignetur definitum proximum, & remotum in hac definitione, *Animal aptum ad ridendum*, notandum eſt, quod poteſt conſiderari dupliciter. Primò, vt eſt deſcriptiua, & ſic definitum proximum eſt, homo, vt riſibilis, quia eius proprium explicatur; remotum verò, homo, vt homo. Secundò poteſt ſumi, vt

vt eſt quidditatiua, & vt ſic definitum proximum eſt, riſibile, abſolutè; remotum verò, riſibile, vt homo.

Vt prædicta ſententia noſtri authoris intelligatur clarius, aliqua certa ſunt ſtatuenda. Primum eſt, definitum proximum, & remotum, eſſe vnam, & eandem naturam, diuerſis nominibus ſignificatam: & ſic definitum proximum, & remotum, ratione ſolum diſtinguuntur, v.g. In hac definitione: *Animal rationale*, definitum proximum eſt natura humana ſignificata hoc nomine, *Homo*, & eademmet natura ſignificata hoc nomine, *Riſibile*, eſt remotum.

Secundò certum ſit duo requiri, vt aliquid ſit definitum proximum. Primum eſt, quod eius natura, aut proprium explicetur per definitionem. Secundum, quod ſignificetur per nomen ex propria impoſitione, vt homo in hac definitione: *Animal rationale*. Remotum vero non debet ſignificari per nomen ſecundũ propriam impoſitionem, vt quãdo homo ſignificatur per hoc nomen *riſibile*, vt ſit definitum remotum in dicta definitione.

Tertio certum ſit, quod definitum non eſt natura ſola, nec vox ipſa naturam ſignificans, ſed natura cum ordine ad ipſam vocem, per quã ſignificatur; hoc eſt, natura ſignificata per vocem. Et ſic natura humana ſignificata hac voce, *homo*, eſt definitum proximum, & ſignificata hac voce, *Riſibile*, eſt remotum, in hac definitione *animal rationale*.

His ſic ſtatutis, & ſuppoſitis, ſit concluſio. Diuiſio definiti proximi, & remoti, vt à noſtro authore habetur, & explicatur, eſt optima, quia explicantur & aſſignantur à noſtro authore in qualibet definitione definitum proximum, & remotum.

Hæc concluſio probatur, definitum proximum, & remotum, neceſſarium eſt reperiantur in qualibet definitione: ergo diuiſio eſt optima. Antecedens probo, nam debent aſſignari ſecundum diuerſitatẽ vocum, quibus natura definita poteſt ſignificari, ſed poteſt duplici. Altera, quæ eſt impoſita ex conſuetudine, eam ſignificat, vt, *homo*, naturam humanam. Altera, quæ non eſt impoſita vt *riſibile*; ergo debent aſſignari duo definita, remotum ſcilicet, & proximum. Quòd autem ſecundum diuerſitatem debeant aſſignari, iam ſuprà probauimus, quia non aſſignatur, quia vnum proximè, & aliud remote explicatur: ergo ſolum ſecundum diuerſitatem vocum, quibus natura definita ſignificatur.

Sed contra prædictam cõcluſionem eſt argumentum. Definitum proximum, & remotum, ſolum debent aſſignari penes hoc, quod pro-

ximè,vel remotè, natura explicetur: ergo impertinenter ſe habet, quòd vno, aut alio nomine ſignificetur. Antecedens probo, quia ſignificari hoc, aut illo nomine, non iuuat ad explicandam rem.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo,quod non iuuet ad explicandam rem hoc, aut illo nomine ſignificari : tamen iuuat ad hoc,vt natura dicatur definitũ proximum, aut remotum; nam natura non eſt definitum, niſi vt ſignificatur aliquo nomine; vnde ſi ſignificetur aliquod nomen, vt explicatur in definitione,erit definitum proximum; ſi verò ſignificetur alio nomine, non vt explicatur in definitione,erit remotum, vt patet in definitione *Animal rationale.* Explicatur natura hominis, & ſignificata iſto nomine *homo*, quod ſignificat animal rationale, eſt proximum definitum:ſi verò ſignificetur hoc nomine *Riſibile*, quia explicatur non vt iſto nomine,eſt remotum.

Obijcies,in hac definitione: *Animal aptum ad ridendum* nõ poſſunt aſſignari definitum proximum, & remotum ergo. Antecedens probatur, nam vel huiuſmodi definitio quidditatiuè ſumitur, vel deſcriptiue. Si ſumatur deſcriptiuè, definitum eſt homo, vt homo, quia homini, vt homo eſt, conuenit tanquam proprium, eſſe riſibile; ergo nullo modo riſibili, quod ſit definitum, nec proximum nec remotum, quia riſibili non conuenit tanquam proprium riſibilitas.

Si autem ſumatur, vt quidditatiua,ſola riſibilitas eſt definitum,quia eius eſſentia explicatur, & homo nõ eſt definitum, ac per conſequens ſequitur, non dari definitum remotum.

Ad hoc argumentum reſpondetur,quod ſi definitio: *Animal aptum ad ridendum*, ſumatur deſcriptiuè definitum proximum eſt *homo* vt ſignatur hoc nomine *riſibile*, & remotum eſt,vt aſſignatur hoc nomine *homo*. Et quando dicis, Non explicatur proprium riſibilis,ſed hominis,vt homo eſt; ergo definitum proximum eſt homo; Reſpondetur. Non explicatur *riſibilis* reduplicatiuè, concedo; riſibilis ſpecificitiue, nego. Nam *riſibile* ſpecificatiue ſignificat hominem pro vt habet riſibilitatem,id eſt, connotando riſibilitatem,tanquam paſſionem,&vt ſic eſt definitum proximum,homo autem, vt homo eſt, eſt definitum remotum, nam quamuis riſibilitas ſit paſſio hominis vt homo eſt, tamen vt ſit definitũ proximum, neceſſe eſt ſignificetur hoc nomine riſibile.

Si autem ſumatur dicta definitio,*animal aptum ad ridendum* quidditatiuè,tunc definitum proximum eſt riſibile, reduplicatiuè, ſcilicet riſibile,vt riſibile, quod ſignificat riſibili-

Digitized by Google

bilitatem : quia eſſentia riſibilitatis explicatur, *quod ſit aptitudo hominis ad ridendum*; Remotum erit riſibile, vt homo, quia licet eius natura nō explicetur, vt ſignificatur hoc nomine *homo*, tamen explicatur, vt aſſignatur hoc nomine *riſibile*; Vnde ſvnica definitione explicatur natura, aut proprium, definiti proximi, aut remoti, ſecundum quia eadem natura explicatur diuerſis nominibus ſignificata.

Tertiò eſt argumentum. In hac definitione: *Animal rationale*, ſi aliquod eſſet definitum, maximè, riſibile; ſed hoc non, ergo nullum; Antecedens probo. Nam vel riſibile ſumitur formaliter pro ipſa riſibilitate, & hoc eſſe non poteſt, quia nec natura, nec propriũ explicatur per definitionem : nec eſt definitum, ſi ſumatur materialiter, hoc eſt, pro homine habente riſibilitatem, quia ſic eſt definitum, proximum ; ergo nullum eſt definitum remotum.

Ad hoc argument. reſpondetur quod definitum remotum in hac definitione *animal rationale*, eſt riſibile ſpecificatiue ſumptum, hoc eſt, homo habens riſibilitatem, non autem reduplicatiuè, id eſt, in quantum riſibile aut prout riſibile, quia ſic dicit ipſam riſibilitatem, & riſibilitatis nec propium, nec natura explicatur; at verò explicatur natura, & eſſentia riſibilis, ſcilicet hominis, qui habet riſibilitatem, quod eſt idem ac animal rationale, non vt ab hoc nomine ſignificatur, ſed vt hoc nomine *Homo*, & ſic definitum proximum eſt homo, quia eius natura explicatur vt ab hoc nomine *homo*, ſignificatur, remotum verò eſt riſibile, quia eius natura explicatur, non vt iſto nomine ſignificatur, ſed vt ſignificatur nomine *homo* quod eſt idem, ac dicere, quod riſibile materialiter eſt definitum remotum.

Sit quartum argumentũ. Quando definitur paſſio in abſtracto, non datur definitum remotum, quia paſſio in abſtracto non verificatur de eſſentia in abſtracto. v. g. quando ſic definitur riſibilitas : *Eſt aptitudo hominis ad ridendum*, tunc non poteſt dari definitum remotum, quia ſi aliquod eſſet, maximè eſſentia in abſtracto, ſed de illa nullo modo verificatur, quod ſit aptitudo hominis ad ridendum : ergo nullum datur definitum remotum in hac definitione, ac per conſequens falſum docet author.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo, quod in definitione, in qua definitur paſſio in abſtracto, non detur definitũ remotum, nam quia non eſt duplex nomen ad ſignificandam paſſionem in abſtracto, ideò non eſt duplex definitum ; ideò enim in hac definitione,

Digitized by Google

Animal rationale eſt duplex definitum, quia homo, cuius natura explicatur, poteſt ſignificari duplici nomine, ſcilicet hoc nomine, *Homo*, & hoc nomine, *riſibile*; at verò quia riſibilitas, cuius natura explicatur per hanc definitionem: *Riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridendum*, nõ habet duplex nomen, quo ſignificetur, ideò non datur in hac definitione definitum proximum, nec remotum. Et colligitur hæc ſolutio ex noſtro autore: nam ipſe ex diuerſitate nominum ſignificantium eandem rem, colligit definitum proximum, & remotum.

Quod ſi quæras. Si riſibilitas non eſt definitum proximum, nec remotum, quod ergo definitum erit? Reſpondetur eſſe definitum abſolutè abſtrahens ab vtroque.

Contra hoc tamen eſt argumentum: Ergo malè diuiſit author definitum in proximum, & remotum. Antecedens probo: nam datur aliquod definitum quod nec ſit proximum, nec remotum, vt riſibilitas in prædicta definitione: ergo non ſufficienter diuiſit definitum.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando ſequelam, ſcilicet: Ergo male author, aut inſufficienter diuiſit definitum: nam quamuis riſibilitas modo non ſit definitũ proximum nec remotum, tamen poteſt eſſe, quia poteſt inueniri ab hominibus nomẽ aliquod, quod eam aliter ſignificet, & tunc ſignificata per hoc nomen: *Riſibilitas*, erit definitum proximum, & ſignificata illo nomine de nouo inuento, erit remotum. Vnde verum dicit author, quòd definitum diuiditur in proximum, & remotum, aut quod eſt de facto, aut quia poteſt eſſe.

Vel ſecundò reſpondetur, authorem diuiſiſſe definitum definitionis rei in concreto, quia res in concreto habent duplex nomẽ, quo ſignificentur: vnum ratione eſſentiæ, aliud ratione paſſionis: at vero in abſtracto non habent niſi vnicum nomen. Quod ſi quæras vnde hoc colligitur, ſcilicet authorem ſic fuiſſe locutum. Reſpondeo; ex eius verbis: nam ſemper aſſignauit definitum proximum, & remotum, eandem rem diuerſis nominibus ſignificatã: ergo ſolum diuiſit definitum in rebus, quæ poſſunt duplici nomine ſignificari: hæc ſunt inconcreto, & non in abſtracto; ergo quando definitur aliqua forma in abſtracto, vt quando dicimus: *riſibilitas eſt aptitudo hominis ad ridendum*, non eſt neceſſarium aſſignemus definitum proximum, & remotum; nec id noſter author voluit oſtendere nec docere, quia riſibilitas nõ poteſt ſignificari, niſi vnico tantum nomine: at verò riſibile, quia dicit hominẽ habentem riſibilitatem, ſignificatur etiam hoc nomine, *Homo*, & etiam natura ſignificatur hoc nomine, *Homo*,

Digitized by Google

Homo, & etiam hoc nomine, *Riſibile*: & ſic in his aſſignatur definitum proximum, & remotum.

Ex dictis conſtat, quod ſicut eſt duplex definitum proximum; vnũ, cuius natura, aliud cuius propriũ explicatur per definitionẽ, ita ſimiliter eſt duplex definitum remotum; vnum, cuius natura, aliud, cuius proprium explicatur.

In calce huius quæſtionis aduerte, quod quando Author dixit, definitum proximum conuerti cum definitione, non eò negaſſe, conuerti etiam cum definito remoto, quia illud dixit, vt reijceret errorem eorum, qui dicebant, definitũ proximum eſſe ſignificationem nominis: & quia definitio, v.g. Animal rationale, conuertitur cum homine, & non cum voce, ob id illa poſuit verba.

Secundò ſequitur, quod ſingularia non ſunt definitum proximum, nec remotum, quia nec eorum natura, nec eorum proprium explicatur per definitionem: nam in hac definitione: *Animal rationale*, eſſentia hominis explicatur, & non Petri, nec Ioannis: ſimiliter in hac: *Animal aptum ad ridendum*, proprium hominis explicatur, & non Petri.

Qvæst. Vltima.

Vtrum præter conditiones ab Authore numeratas in omni bona definitione, ſint aliæ.

Antequam ad quæſtiones accedamus, præſupponamus placet, diuiſiones aliquas definitionis, quarum non meminit Author: tamen earum cognitio non parum emolumenti Dialecticis adducere poteſt, vt omne genus definitionis agnoſcant. Agnoſcant in primis, definitionem diuidi in mentalem, quæ cõceptibus componitur, & in vocalẽ, quæ vocibus, denique in ſcriptam, quæ ſcripturis.

Secũdò diuiditur definitio quidditatiua in metaphyſicam, & in phyſicam. Metaphyſica illa eſt, quæ genere, & differentia conſtat, vt hæc, *Animal rationale*. Phyſica, quæ phyſicis partibus coaleſcit, vt hæc: *Homo conſtat corpore, & anima*: corpus enim, & anima phyſicæ partes ſunt.

Deſcriptiua etiam eſt duplex. Alia, quæ paſſionem explicat, vt *Animal aptum ad ridendum*: alia, quæ rei cauſas externas oſtendit, vt ſi dicamus: *Homo eſt animal à Deo factum, ad beatitudinem creatum.*

His ſuppoſitis manet quæſtio vtrum in prædictis definitionibus, & in alijs reperiantur plures conditio-

Digitized by Google

Dispvt. VI.

Super caput de definitione nominis.

INtentum authoris in hoc capite eſt agere de definitione nominis. Diuiditur in duas partes. In prima adducit definitionem definitionis nominis. In ſecunda quomodo ſit appellanda docet, &c.

Qvæst. Vnica.

Vtrum definitio nominis ſit vera.

IN hac quæſt. præſupponenda eſt definitio, ſcilicet, *Eſt oratio explicans ſignificationem nominis*, quæ quidem eſt eſſentialis, & quidditatiua: Genus eſt: *Oratio*, reliquæ particulæ ſunt differentia, quia nominis definitio eſſentialiter habet ſignificare rem, vt latius videbimus in capit. 8. de ſignificatione, nec non etiam capite 1. primi libri de Interpretatione.

Sit concluſio in hac quæſt. Prædicta definitio ſic explicata eſt optima; & probatur ratione. Illa eſt optima definitio, quæ exactè explicat eſſentiam, aut proprium definiti; ſed hæc ita ſe habet: ergo eſt optima. Antecedens probo, nam nihil aliud includitur eſſentialiter in definitione nominis, niſi quod explicet eſſentiam nominis, aut vocis; ergo. Minorem probo, quia definitio, & definitum ſunt idem, ſed vox eſſentialiter habet ſignificare rem, & ſic hæc vox, *Homo*, eſſentialiter definitur, cum dicimus: Homo eſt vox ſignificatiua naturæ humanæ: ergo definitio, quæ hoc explicat, habet pro eſſentia hoc explicare; ergo alia definitio, quæ de hac datur, explicabit eſſentiam huius definitionis ac per conſequens erit eſſentialis, & quidditatiua.

Sed aduerſus prædictam concluſionem eſt argumentum. Hæc definitio nõ explicat ſignificationem nominis, ſed ſignificatum per nomen; ergo non explicat eſſentiam nominis nec vocis, ac per conſequẽs non eſt quidditatiua Antecedens probo: nam author poſtquam poſuit definitionem, appoſuit exemplum dicens, *Vt ſacerdos quia dat ſacra*, ſed qui dat ſacra, eſt ſignificatũ huius nominis, *Sacerdos*, & non ſignificatio nominis, *Sacerdos*: ergo concluſio eſt falſa.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens, ſcilicet, quod hæc definitio explicet ſignificatum vocis, & non ſignificationem nominis, aut vocis. Et quando dicis: Sacerdos eſt, qui dat ſacra, non eſt ſignificatio, ſed ſignificatũ, concedo, tamẽ in hoc includitur explicatio ſignificationis huius nominis *Sacerdos*, quia dicere: *Sacerdos eſt, qui dat ſacra*, eſt idem, ac dicere:

Hoc

Digitized by Google

Hoc nomen, *Sacerdos*, ſignificat eum, qui dat ſacra, quæ explicat ſignificatio huius nominis, *Sacerdos*.

Secundum argumentum ſit. Author ampliùs prædictam definitionem explicans, dixit, idem eſſe ſignificationem nominis, & etymologiam ipſius: ſed analogia nominis non eſt de eſſentia ipſius: ergo dicta definitio non eſt eſſentialis, ſiquidem non explicat eſſentiam definitionis nominis, ac per conſequens non eſt quidditatiua, penes hoc, quod explicet definitionem explicantem eſſentiam, & naturam nominis.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo verba Authoris, nec non etiam, quod etymologia non ſit de eſſentia nominis: negamus tamen conſequentiam, quia Author voluit explicare per etymologiam, nominis eius ſignificationem: & ſic Author eſt intelligendus: Etymologia eſt idem, ac ſignificatio cauſaliter, hoc eſt, quia aliquis homo dat ſacra: ideò hoc nomen: *Sacerdos*, fuit impoſitum ad ſignificandum talem hominem.

Tertiò eſt argumentum aduerſus id, quod docet Author, definitionem eſſe appellandam veram, aut falſam, non tamen bonam, aut malam. Veritas, & falſitas, ſolum reperiuntur in propoſitione: ergo non in definitione: & per conſequens definitio non debet appellari vera, aut falſa. Antecedens probo: Nam veritas, & falſitas in ſecunda operatione intellectus reperiuntur, vt videbimus in libris de Interpretatione: ad quam ſecundam operationem attinet conficere propoſitiones: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur diſtinguendo antecedens: Veritas, & falſitas ſolum reperiuntur in propoſitione, quæ fit per ſecundam operationem intellectus, diſtinguo. Formaliter concedo. Fundamentaliter tamen reperitur in prima operatione intellectus, ad quam pertinet definitio: (nam definitio non eſt propoſitio) & ad hoc, vt definitio dicatur vera, aut falſa, ſufficit, quod in ea reperiatur veritas, & falſitas fundamentaliter. Et hæc de hac quæſt. & cap.

DISPVT. VII.

Super caput de diuiſione.

INtentum Authoris in hoc cap. eſt agere de diuiſione claritatis gratia. In tres diuiditur partes. In prima docet, quid, & quotuplex ſit diuiſio. In ſecunda numerat ea, quæ in omni bona diuiſione reperiri debent. In tertia deniq;, & vltima quatuor ponit præcepta in omni bona diuiſione ſeruanda, &c.

Quæſt.

QVÆST. I.

Vtrum diuiſio, qua diuiſit Author diuiſionem in diuiſionem nominis, & rei, ſit optima.

PRimò notandum eſt in hac quęſtione, optimè authorem poſt definitionem, ſermonem inſtituiſſe de diuiſione. Nam, vt ipſe aſſerit, eſt alterum inſtrumentum, maximè ad Dialecticos neceſſarium. Per illam enim coordinantur prædicamenta, vt Deo dante, fuſius in Logica videbimus. Secundò eſt neceſſaria ad inueſtigandum partes cuiuslibet rei: nam per diuiſionem poſſumus venire in cognitionem hominis: nam homo eſt ens, non accidens: ergo ſubſtantia: non incorporea: ergo corporea: non inſenſibilis: ergo ſenſibilis, quæ eſt animal: non irrationale: ergo rationale: cum per diuiſionem entis, & aliorum venimus in cognitionem hominis: ac per cōſequens eſt maximè neceſſaria diuiſio ad Dialecticos.

Quod ſi obijcias. Etiam per reſolutionem venimus in cognitionē: nam hac ratione poſſumus cognoſcere hominem: Homo deſinit eſſe in materiam, & animam: ergo erat compoſitus anima, & corpore: ergo reſolutio etiā eſt inſtrumentū maximè neceſſariū ad Dialecticos, ac per conſequens debuit noſter Author in hoc tractatu agere de reſolutione.

Ad hanc obiectionem reſpondetur, non eſſe neceſſarium agere de reſolutione, quia ſi ſemel cognoſcatur per diuiſionem, quibus partibus componatur res, facilè colligitur, in quas partes debeat reſolui.

Secundò obijcies: Per diuiſionē cognoſcimus partes rei: ergo diuiſio eſt prior definitione, ac per conſequens prius agere debuit de diuiſione, quam de definitione.

Reſpond. non egiſſe prius de definitione, quam de diuiſione, quia definitio ſit prior diuiſione; ſed quia definitio eſt principalius inſtrumētum, vt in diſp. 5. q. 1. notab. 1. diximus. Secundò, quia definitio eſt pars principalis conſequentię, quia in ea, vt patet in ſyllogiſmo, ponitur vt medium: & ideò immediatè poſt conſequentiam oportuit agere de definitione, non verò de diuiſione.

Secundò notandum eſt, optimè etiam proceſſiſſe Authorem, prius agendo de diuiſione, quam de ſignificatione, quia ſignificatio eſt paſſio diuiſionis, & definitionis; & hæc ſunt ſubiectum illius: ſubiectum autē eſt prius ipſa paſſione: vnde quia in ordine naturæ à prioribus eſt incipiendum, ideò prius erat agendū de diuiſione, definitione, cōſequentia, quam de ſignificatione.

His ſuppoſitis ſit concluſio. Diuiſio, qua diuiditur diuiſio in diuiſionem nominis, & rei, eſt exacta, & generis in ſpecies. Hanc concluſionem

Digitized by Google

nem ſic probo. Diuiſum in hac diuiſione eſt diuiſio in cõmuni, prout comprehendit diuiſionem nominis, & diuiſionem rei; ſed diuiſio in cõmuni dicit in ſua eſſentia hoc, ꝙ eſt diſtribuere magis cõmune per minus communia: & hoc æqualiter reperitur in diuiſione: ergo eſt diuiſio generis in ſpecies. Minorẽ probo: nam ſicut in diuiſione rei, v. g. quando diuiditur animal in hominem, & brutum, animal, quod eſt magis commune, diſtribuitur per hominem, & equum, qui ſunt minus communia, ita ſimiliter in diuiſione nominis, v. g. qua diuiditur canis in latrabilem, & piſcem marinum, & ſydus cœleſte, diſtribuitur nomen magis commune, ſcilicet canis, per ſydus cœleſte, & piſcem marinum, necnon canem latrabilem, quæ ſunt inferiora: ergo eſſentia diuiſionis in communi æqualiter reperitur in inferioribus, ac per cõſequens eſt diuiſio generis in ſpecies.

Sed aduerſus prædictam concluſionem eſt argumentum. Nulla datur diuiſio nominis: ergo diuiſio Authoris eſt mala. Antecedens probo. Si aliqua eſſet diuiſio nominis, maximè qua diuiditur canis in latrabilẽ, & piſcem marinum; ſed hæc non: ergo. Minorem probo, quia membra diuidentia ſunt res, ſcilicet ſydus cœleſte, canicula, inquam, & piſcis canis: ergo eſt diuiſio rei.

Ad hoc argumentum reſpondetur, concedendo, membra diuidentia prædictæ diuiſionis eſſe res, nego tamen cõſequentiam, ſcilicet quod ſit diuiſio rei: nam vt diuiſio ſit rei, neceſſarium eſt, quod diuiſum ſit res, & non nomen: & quia diuiſum eſt ſolum illud nomen, *Canis*, ideò non eſt diuiſio rei, ſed nominis.

Sed contra hanc ſolutionem ſic argumentor. Diuiſio rei fit per voces: nam, quia res non poſſumus ad ſcholam adducere, vtimur vocibus pro illis: ergo omnis diuiſio rei fit per voces, ac per conſequens diuiditur nomen, *Animal*, in hac diuiſione: Animal aliud homo, aliud brutum, & ſic omnis diuiſio eſt diuiſio nominis, & nulla rei. Vnde dicta diuiſio Authoris eſt nulla, necnon ſolutio argumenti.

Ad hoc reſpondetur, diuiſionem rei fieri per vocem, tamen ſignificantem aliquam rem communem membris diuidentibus: canis enim non ſignificat aliquem conceptum realem communem caniculæ; & cani latrabili: at verò animal, quando diuiditur in hominem, & brutum, ita diuiditur, vt ſignificet aliquam rem communem homini, & bruto, ſcilicet naturam ſenſitiuam, quæ reperitur in homine, & bruto.

Contra: Canis latrabilis, piſcis marinus, & ſydus cœleſte, conueniunt in eſſe corporis, quia omnia hæc tria

Digitized by Google

tria ſunt verè corpus; ſed hæc ratio eſt realis communis ad hæc tria: ergo non ſolum conueniunt in ſolo nomine, verum etiam in aliqua ratione reali, ac per conſequens ſolutio eſt nulla.

Ad hoc reſpondetur concedendo antecedens, negando tamen cõſequentiam: nam illa ratio corporis non ſignificatur per hoc nomen, *Canis*, ſed per hoc nomen, *Corpus*: vnde ſi diuiſio fieret ſic: Corpus, aliud ſydus cœleſte, aliud piſcis marinus, eſſet quidem diuiſio rei, quia nomen, per quod diuiſio fit, ſignificat aliquam rationem communem: at verò, quia hoc nomen, *Canis*, non ſignificat aliquam rem communem ad illa tria membra, ideò non eſt diuiſio rei, ſed nominis.

Secundò ſic argumentor contra concluſionem. Datur aliqua diuiſio, quæ nec ſit nominis, nec rei: ergo diuiſio Authoris non eſt exacta. Antecedens probo. Nam diuiſio, qua diuiditur diuiſio in communi in diuiſionem nominis, & rei, non eſt nec nominis, nec rei, quia eſt communis ad vtramque, & abſtrahit ab illis, ſicut animal, quia diuiditur in hominem, & brutum, abſtrahit, ita quod nec ſit homo, nec brutum: ergo ſimiliter diuiſio, in qua diuiditur diuiſio in diuiſionem nominis, & rei, abſtrahit ab illis, ita vt nec ſit diuiſio nominis, nec rei: ergo diuiſio Authoris eſt mala.

Ad hoc argumentum reſpondent aliqui, quod hæc diuiſio eſt diuiſio rei: nam diuiditur hoc, quod eſt diſtribuere magis commune per minus communia: quod quidem eſt aliquid reale repertum in diuiſione nominis, & rei.

Sed hæc ſolutio non placet, nec ſuſtineri poteſt. Nam ſi concedamus, vt omnes fatentur, & fateri debet, quod diuiſum eſt aliquid abſtrahens à diuiſione nominis, & rei, nulla ratione hæc diuiſio erit diuiſio rei, ſicut quando diuiditur animal in hominem, & brutum, quia animal abſtrahit ab vtroque, non poteſt animal eſſe, nec dici homo, aut brutum: diuiſum enim diuerſum eſt à quolibet membro diuidenti: & ſic diuerſo nomine ſignificari debet: animal enim non appellatur homo, quia homo eſt membrum diuidens: ergo ſimiliter, quia diuiſio rei eſt alterum membrum diuidens, non poteſt tribuere nomen diuiſo: ergo diuiſio Authoris non eſt diuiſio rei, nec nominis.

Secundò reſpondent aliqui, quod diuiſio Authoris ſit diuiſio rei, non quidem exiſtentis à parte rei, ſed per intellectum, ita quod ſenſus ſit. Diuiſio, quæ eſt actus intellectus: alia, qua intellectus diuidit nomen, alia, qua diuidit rem.

Sed hæc ſolutio etiam eſt falſa: nam diuiſio, ablato omni actu intellectus, aut illo non incluſo, eſt diſtributio magis communis per minus communia: & quamuis includatur actus intellectus, ita quod diuiſio ſit actus intellectus, adhuc ſolutio eſt nulla, quia ſi alterum membrum diuidens eſt actus intellectus diſtribuens, vel diuidens rem, ex eo dicitur diuiſio rei: ergo diuiſio, quæ eſt diuiſum, & abſtrahit ab hac, non poteſt dici diuiſio rei adhuc per intellectum. Conſequentiam probo ratione ſupradicta, quia diuiſum non participat membrum diuidentis: ergo ſolutio eſt nulla.

Vnde nos breuiter reſpondemus ad argumentum, cõcedendo, quod diuiſio Authoris non ſit diuiſio nominis, nec rei, ſed diuiſio abſtrahens ab vtroque, ſicut animal nec eſt homo; nec brutum, ſed aliquid ab vtroque abſtrahens.

Quod ſi quæras, quo nomine debeat appellari hoc diuiſum abſtrahens, ſicut ratio abſtrahens ab homine, & bruto, appellatur animal; ita ſimiliter debet eſſe aliquod nomen, quo nominemus rationem cõmunem ad diuiſionem nominis, & rei.

Reſpondeo, appellari debere diſtributiuum communis per minus communia; nec eſt aliud nomen, quo nominetur: multæ enim ſunt res, ad quas nomen ſimplex impoſitum non eſt.

Quod ſi obijcias: Ergo mala eſt diuiſio Authoris dicentis, omnem diuiſionem nominis, aut rei debere eſſe, ſiquidem hæc nec nominis, nec rei eſt. Reſpondetur negando ſequelam: nam Author loquitur de omni diuiſione particulari, & non communi ad diuiſionem nominis, & rei: & quia hæc eſt communis, ideò non eſt inconueniens, quod nec ſit nominis, nec rei, quamuis id, quod diuiditur, ſit res, quia eſt res abſtrahens à re ſpecificè, & à re tranſcendentali.

Tertium argumentum ſit. Datur aliqua diuiſio particularis, quæ non ſit nominis, nec rei, & tamen ſit verè diuiſio: ergo concluſio noſtra eſt falſa. Antecedens probo. Diuiſio, qua diuiditur verbũ, aut participium, eſt verè diuiſio, & tamen non eſt nominis, nec rei: ergo diuiſio Authoris eſt mala.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo, has diuiſiones eſſe verè diuiſiones; negamus tamen, quod non ſint diuiſiones nominis, quia reducuntur ad diuiſionem nominis: nam quamuis *Verbum* non ſit *Nomen*, grammaticè loquendo, tamen Logicè poteſt appellari nomen, eo quod ſignificat rem, & vt ſic id, quod condiſtinguitur à re ſignificata, dici poteſt nomen, aut vox.

Quæſt.

Digitized by Google

QVÆST. VLTIMA.

Vtrum definitio diuiſionis rei ſit exacta.

IN hac quæſtione præſupponenda eſt definitio diuiſionis rei, quæ talis eſt: *Eſt oratio diſtribuens magis commune per minus communia.* Quæ quidem definitio quidditatiua non eſt, ſed potiùs deſcriptiua, eo quod cum deberet, & poſſet conſtare differẽtia illa, ſcilicet, *Diſtribuens rem,* & non conſtat, quidditatiua eſſe nequit.

Secundò aduertendæ ſunt omnes conditiones, quas Author numerauit ad bonam diuiſionem; in quibus ſolum in prima, aut in primo præcepto notandum eſt. Quando docet author diuiſum debere cõuerti cum membris diuidẽtibus, intelligendus eſt cum membris diuidentibus ſimul ſumptis. Nam cum quolibet, non valet. v. g. benè valet: Eſt animal: ergo eſt homo, vel brutum, non tamen valet: Eſt animal: ergo eſt homo. Tertium præceptum etiam eſt notandum, quòd quando docet author diuiſionem debere eſſe bimembrem, ita debet intelligi, vt ad minus ſint duo membra diuidentia, non tamen nocet quod ſint plura.

Circa vltimum præceptum notare oportet, quod diuiſio debet appellari bona, aut mala, non tamen vera, aut falſa: nam quamuis diuiſio pertineat ad ſecundam operationẽ intellectus, in qua reperitur veritas, aut falſitas formaliter; tamen quia diuidere eſt ſub aliquo diuiſo communi numerare aliqua membra diuidentia, ſeu inferiora; & qui numerat non dicitur verè, aut falſè numerare, ſed benè, aut malè, ideò diuiſio debet appellari bona, aut mala, & non vera aut falſa.

His ſuppoſitis ſit concluſio reſponſiua quæſtioni. Prædicta definitio ſic explicata, eſt optima. Quæ probatur hac ratione. Illa eſt optima definitio deſcriptiua; quæ optimè paſſionem definiti explicat, ſed hæc eſt talis: ergo eſt optima. Minorem probo: nam paſſio diuiſionis eſt diſtribuere magis commune per minus communia.

Sed contra prædictam concluſionem eſt argumentum. Datur aliqua diuiſio rei, quæ non ſit diſtribuens magis commune per minus cõmunia: ergo definitio eſt mala: Antecedens probo. Diuiſio, qua diuiditur homo in ſuas partes, ſcilicet in animal, & rationale; nec non, qua diuiditur in corpus, & animam, eſt rei, & tamen non diſtribuitur commune, quia homo non eſt magis cõmune, quam animal; ergo definitio eſt mala.

Pro ſolutione huius argumenti notandum eſt, quòd diuiſio rei eſt

Digitized by Google

multiplex. Primò diuiditur in diuiſionem per ſe, & per accidens. Per ſe eſt illa, in qua diuiditur totum per ſe in ſuas partes, vt qua diuiditur animal in hominem, & brutum, vel qua diuiditur homo in corpus, & animam. Per accidens eſt illa, qua diuiditur cumulus lapidis in lapides. Diuiſio per ſe adhuc eſt duplex. Vna Phyſica, qua diuiditur totum Phyſicum, vt qua diuiditur homo in materiam, & formam, & hæc dicitur diuiſio Phyſica eſſentialis. Alia eſt Phyſica integralis, vt qua diuiditur homo in partes integrales, vt in caput, brachia, & pedes. Alia eſt diuiſio Metaphyſica, & eſt, qua diuiditur totum Metaphyſicum, vt qua diuiditur homo in genus, & differentiam, vel qua diuiditur genus in ſuas ſpecies, & hæc appellatur diuiſio logica, de qua principaliter hic agitur.

Vnde ad argumentum reſpon. in forma. Datur aliqua diuiſio, in qua non diſtribuitur aliquid magis commune, nego antecedens. Et quando dicis ; Quando diuiditur homo in ſuas partes non diſtribuitur magis commune, nego minorem: nam homo eſt magis commune, ſtat dupliciter: vno modo logicè, & ſic animal eſt magis commune, quam homo : at verò phyſicè magis commune eſt homo, quam quælibet pars eius, quia phyſicè dicitur aliquid magis commune, pe-nes hoc, quod plus entitatis includat, & quia totum phyſicum habet plus entitatis, quam pars, ideò eſt magis cõmune: vnde in omni diuiſione ſemper diuiſum eſt magis cõmune.

Placuit in calce huius quæſtio. ſcrupula duo circa ea, quæ diximus, eradicare. Primum eſt circa id, ꝙ diximus in ſecundo argumento, ſcilicet diuiſionem illam in communi nec eſſe nominis, nec rei: nam contra hoc poteſt eſſe argumentũ. Nam id, quod diuiditur, eſt quędam res, vt nos concedimus in noſtra ſolutione: ergo ſi res diuiditur, erit diuiſio rei. Antecedens probo: nam quod diuiditur eſt quædam ratio, ſeu conceptus communis ad diuiſionem nominis & ad diuiſionem rei : ergo ſi eſt res diuiſum, diuiſio erit rei, ac per conſequens noſtra ſolutio, in qua dicimus diuiſionem illam in communi, nec eſſe nominis, nec rei, eſt falſa.

Ad hoc arg. reſp. diſtinguendo illam maiorem, Quod diuiditur eſt res, diſtinguo. Eſt res ſpecificè, nego, ſed eſt res quædam abſtrahens à re ſpecifice, & à re tranſcendentali, quia abſtrahit à nomine, ſeu à diuiſione nominis, quæ eſt res tranſcendentaliter, ſicut nomen, & à diuiſione rei, quæ eſt res ſpecificè. Vnde quia abſtrahit ab illis, nec eſt res tranſcendentaliter, nec ſpecificè, quia abſtrahit ab illis: vnde non eſt diui-

Digitized by Google

diuiſio rei, quia nō eſt res ſpecificè, ꝙ requiritur, vt ſit diuiſio rei, nec etiam eſt diuiſio nominis, quia quod diuiditur, non eſt nomen, ſed res abſtrahens à nomine, & re.

Circa ſecundum ſcrupulum reſtat quęrere quare non definiuit author diuiſionem in communi, ſiquidē diximus eſſe vniuocā ad diuiſionē nominis, & rei. Reſpondetur: Quia diuiſio in communi materialiter eſt quid æquiuocum, formaliter eſt quid vniuocum, ſicut diximus de definitione in communi. Et hæc ſint ſatis de hac quæſtione, & capite.

DISPVT. VIII

Super caput de ſignificatione.

INtentum Authoris in hoc capite eſt agere de ſignificatione. Diuiditur in tres partes. In prima explicat Author, quid ſit ſignificare, & quibus propriè conueniat. In ſecūda docet, vel aſſignat differentiam inter ſignificationem vocum, & ſcripturarum ex vna parte, & inter ſignificationem conceptuū ex alia. In tertia denique, & vltima, aliquas ſigni diuiſiones ponit.

QVÆST I.

Vtrùm voces, & ſcripturæ ſignificent ad placitum.

IN hac quæſtione notanda eſt primô definitio ſignificationis, quæ talis eſt *Significare eſt rem facere cognoſcere.* In qua ponitur loco generis, *Facere*, & loco differentiæ, *Cognoſcere*. Vnde prædicta definitio eſt deſcriptiua, quia nec verum genus, nec veram differentiam continet.

Quod ſi quæras, quæ ſit definitio eſſentialis? Reſpondeo non cognoſci: multæ enim ſunt res, aut quia ſunt perfectiſſimę, aut quia minimæ, quarum eſſentia non cognoſcitur.

Secundò notandum eſt pro intelligentia dictæ definitionis, *Facere cognoſcere*, multipliciter ſumi. Primò ſumitur efficienter. Qua ratione noſter intellectus facit cognoſcere rem, quia ipſe efficienter producit cognitionem, qua cognoſcimus rem. Similiter ipſa cognitio efficienter facit nos cognoſcere.

Secundò poteſt ſumi *Facere cognoſcere*, formaliter penes hoc, ꝙ ſit aliquid forma, qua cognoſcimus. Qua ratione imago Cæſaris, quia eſt forma, ſeu figura repræſentatiua Cæſaris facit nos cognoſcere formaliter Cæſarem; ſic ſimiliter voces, ſcripturæ, & conceptus, faciūt nos

nos cognoſcere formaliter. Vnde valet: Quidquid facit nos cognoſcere, formaliter ſignificat, non tamen: Quidquid facit cognoſcere efficienter: quia intell ctus facit cognoſcere efficiẽter, & nõ ſignificat.

Tertiò notandum eſt, quod quãdo Author dixit: *Proprium eſt vocum, & ſcripturarum ſignificare*, intelligendum eſſe, ita vt alijs etiam conueniat, conuenit enim etiam conceptibus. Vnde ſenſus eſt: *Proprium eſt vocum, & ſcripturarum ſignificare, non tamen ita, vt alijs etiam non conueniat.*

Quòd ſi obijcias: Imago, v. g. Cæſaris, facit cognoſcere formaliter, vt diximus, & tamẽ nec eſt vox, nec ſcriptura, aut conceptus: ergo non eſt proprium vocum, & ſcripturarum ſignificare. Ad hanc objectionem reſp. quod imago Cæſaris, & aliæ imagines faciunt cognoſcere, ſed non doctrinaliter, & tanquàm ſigna, quæ in propoſitione poſſint pro rebus ſupponere; & Author hic agit de ſignificatione doctrinali, quæ in demonſtratione haberi poteſt. Et quod de illis hic agat Author, ex eo patet, quia eius intentum in toto opere eſt, demonſtrationem enodare, ſingulas eius partes explicando, & quia ſigna doctrinalia, quæ pro rebus poſſunt ſupponere, ſolum poſſunt componere demonſtrationem, ideo de illorum ſignificatione ſolũ hic agit Author, & eam definiuit.

Quartò notandum, ſignificare ad placitum, eſſe ſignificare ex libera hominum impoſitione, ſcilicet quia homines voluerunt imponere aliquam vocem ad ſignificandam rem, talis impoſitio dicitur ad placitum.

His ſuppoſitis ſit concluſio reſponſiua quæſtioni. Voces & ſcripturæ ſignificant ad placitum. Concluſionem ſic probo. Illud ſignificat ad placitum, quod ſignificat ex libera hominum impoſitione; ſed voces, & ſcripturæ impoſitæ fuere ab hominibus ad ſignificandas res: ergo ſignificant ad placitum. Minorem probo. Ex eo hæc vox, *Homo*, hominem ſignificat, quia homines illam impoſuerunt ad ipſum ſignificandum taliter, vt poſſent facere ſignificare lapidem: ergo ſignificant voces, & ſcripturæ ad placitum.

Sed contra prædictam concluſionem eſt argumentum. Illud eſt naturale, quod eſt eſſentiale; ſed eſſentiale eſt vocibus ſignificare: ergo eſt naturale. Minorem probo: nam voces, & ſcripturæ ad hoc inuentæ ſunt. Præterea. Ariſt. pluribus in locis vocem definiuit, dicens: *Vox eſt ſonus ſignificatiuus*, præcipuè. 2. libr. de anima cap. 8. & in libris Perihermenias definiuit vocem. *Quod ſit ſignificatiua*: ergo eſt eſſẽtiale vocibus ſignificare. Conſequentiam probo: nam nihil eſt magis eſſentiale,

Digitized by Google

le, quam quod conuenit rei ex eius definitione: ergo ſi eſſentiale, erit naturale, ac per conſequens concluſio eſt falſa.

Ad hoc argumentum reſpon. diſtinguendo antecedens. Illud eſt eſſentiale, quod conuenit rei ex eius definitione eſſentiali, concedo. Ex eius definitione accidentali, nego: & quia accidentaliter definitur vox, quãdo definitur, *Quod ſit ſignificatiua ad placitũ*: nam accidentale eſt huic voci, *Homo*, quod hominem ſignificet: nam eadem voce permanente poteſt modo hominem ſignificare, & poſteà leonem, aut lapidem. Vnde ſi non eſt eſſentiale, nec erit naturale.

Sed contra hanc ſolutionem eſt replica. Ariſt. loco citato diſtinguit vocem à quolibet alio ſono penes hoc, quod eſt ſignificatiua: ergo eſt illi eſſentiale, quia id, per quod vna res eſſentialiter diſtinguitur ab alia, eſt illi eſſentiale, ſicut quia homo eſſentialiter diſtingitur ab equo per rationalitatem, rationalitas eſt illi eſſentialis: ergo ſi vox diſtinguitur à ſono per ſignificationem, ſignificatio erit illi eſſentialis, ac per conſequens naturalis.

Nec valet, ſi dicas, quod ibi loquitur Ariſt. de ſignificatione vocis, qua ſignificat ſuum prolatorem, nam etiam ſonus ſignificat ſuam cauſam: ergo loquitur de ſignificatione ad placitum, ac per conſequens hæc eſt eſſentialis, & ſic naturalis.

Vnde pro ſolutione argumenti notandum eſt, quod ſignificare ad placitum ſtat dupliciter. Vno modo in potentia, alio modo in actu. In potentia dicitur ſignificare vox ad placitum, quia poteſt imponi ab hominibus, & quia illa habet capacitatem naturalem: eſt enim compoſita à ſyllabis, & prolationibus, ratione quarum eſt diſtincta ab alia voce, & ſimiliter eſt capax ad ſignificandam rem, ſi ab hominibus imponatur: & hæc ſignificatio in potentia eſt eſſentialis voci, & ſimiliter naturalis, & dicitur ſignificatio ad placitum potentialis, & de hac loquitur Ariſt. & per eam diſtinguit vocem à ſono: nam ſonus non habet hanc capacitatem, vt imponatur ab hominibus ad ſignificãdum: at verò vox dearticulata, qualis eſt, quæ componitur ex ſyllabis, illam habet.

Alio modo ſumitur ſignificatio ad placitum actualiter, & eſt, quando iam vox eſt ab hominibus impoſita, & hæc eſt omninò accidentalis voci, vt ſuprà diximus, quia poteſt eſſe, & non eſſe in illa, manente integra voce, ſicut albedo eſt accidentalis homini, quia manente homine poteſt eſſe, & non eſſe in illo.

Sed obijcies: Saltem nomen, & verbum eſſentialiter ſignificant: ergo naturaliter. Antecedens probo: nam ablata ſignificatione, non remanet nomen: ergo ſignificatio eſt illi eſſentialis. Conſequentiam probo: nam ex eo colligebamus voci eſſe accidentalem ſignificationem, quia ablata ſignificatione ab hac voce, *Homo*, v.g. remanet vox, *Homo*, integra: ergo ſi ablata ſignificatione à nomine, non remanet, ſequitur, quod ſit illi eſſentialis, ac per conſequens quod ſit naturalis.

Ad hoc argumentum reſpon. concedendo, quod ſi auferatur ſignificatio à nomine, non remaneat: Ergo eſt illi eſſentialis, concedo. Ergo naturalis, nego conſequentiam, nam naturale ſumitur dupliciter. Vno modo, prout opponitur accidentali, qua ratione cathedræ figura eſt illi eſſentialis, quia non eſt illi accidentalis. Alio modo ſumitur naturale. prout eſt idem, quod à natura datum, qua ratione homini cõuenit naturaliter, quod ſit animal rationale, quia à natura hoc habet. Vnde reſpondemus ad conſequentiam, quod nomini conuenit eſſentialiter ſignificare, non tamen naturaliter, quia hæc ſignificatio, non conuenit illi à natura, ſed ab hominum impoſitione, qua ratione figura, & inſtructura domus, aut cathedræ eſt illi eſſentialis, non tamen naturalis, quia illi data eſt ab artifice: vnde ſignificatio nominis eſt illi eſſentialis, & ſic eſt aliquo modo naturalis, inquantum opponitur accidentali, non tamen dicitur naturalis, hoc eſt, à natura data, & noſtra concluſio, quando dicimus voces ſignificare ad placitum, & non naturaliter, intelligitur de naturali, quod eſt datum à natura.

Sed quæres, quæ differentia verſatur inter vocem, & nomen? Reſp. quod vox eſt materia nominis, & ſignificatio eſt forma. Vnde nomen includit vocem, & ſignificationem: at verò vox ſolum dicit ſonum dearticulatum, hoc eſt, ſonum cum ſyllabis, & prolationibus, quare nomen eſt quaſi quid artificiale, quia ſignificatio nominis eſt ab hominibus inuenta: at verò vox eſt quid naturale, eſt enim effectus virtutis interpretatiuæ, & ſecundũ hanc rationem vox naturaliter ſignificat ſuam cauſam, ſicut fumus ignem, & veſtigium animal.

Sed dices: Omnis vox ſignificat cõceptum, omnis conceptus ſignificat naturaliter: ergo omnis vox ſignificat naturaliter. Conſequentia eſt legitima, quia eſt ſyllogiſmus in *Barbara*. Antecedens eſt verum: ergo & conſequens.

Ad hoc argumentum reſpondetur, quod ſyllogiſmus peccat in multis. Primò, nam medium, quod eſt conceptus, non eſt ſubiectum in maiori, ſed potiùs prædicatum. Secundò,

Digitized by Google

cundò, verbum, *Significat*, ſumitur diuerſimodè in maiori, ac in minori: nam in maiori ſumitur ad placitum, in minori naturaliter. Tertiò illud *Significans*, incluſum in verbo, *Significare*, quod eſt prædicatum, ponitur ter in ſyllogiſmo, quod eſt maximum vitium. Vnde concedimus antecedens & negamus cõſequentiam, quia eſt mala rationibus dictis.

Sed dices: Si voces ſignificant ad placitum, maximè quia ſignificant aliquid, vel aliqua; ſed ſunt plures voces, quæ nec aliquid, nec aliqua ſignificant: ergo doctrina Authoris eſt falſa, & noſtra concluſio ruit. Antecedens probo. Iſtæ voces *Cæcitas*, *tenebræ*, *nil* & aliæ, non ſignificant aliquid, nec aliqua, quia ſignificant priuationem, quæ nihil eſt: ergo.

Ad hoc argumentum reſpon. negando antecedens: nam iſtæ voces ſignificant aliquid, quia priuationes, ſeu negationes reducuntur ad ſuos habitus: vnde, *Cæcitas*, ſignificat aliquid, quia viſus, quo priuat, eſt aliquid. Similiter, *Tenebræ*, quia lux, qua priuat, eſt aliquid. Similiter *Nil*, quia poſitiuum, quod eſt ens, ſignificat aliqua, ideò *Nihil*, ſignificat aliqua.

Dices: Si aliqua vox ſignificaret aliquid, maximè, *Petrus*, & ſi aliqua vox ſignificaret aliqua, maximè, *Homo*; ſed *Petrus* ſignificat plures Petros, & *Homo* tantum ſignificat naturam humanam: ergo nec Petrus ſignificat aliquid, nec homo aliqua.

Ad hoc argumentum reſpon. quod Petrus ſignificat plures caſu quodam, & accidentaliter: at verò per ſe, & natura ſua tantum ſignificat vnicam rem & ſic ſignificat aliquid: homo autem ſignificat immediatè naturam humanam: at verò mediatè ſignificat omnia ſingularia hominis, & ſic ſignificat aliqua.

QVÆSTIO II.

Vtrum conceptus ſignificent naturaliter.

IN hac quęſt. eſt primò notandum, quod quando Author dixit. *Quẽmadmodum voces, & ſcripturæ ſignificant res, ita & conceptus*, illud, *Quẽmadmodum*, non ſignificat modum ſignificandi, ſed rem ſignificatam, ita vt ſenſus ſit. Non minus conuenit conceptibus ſignificare res, ac conuenit vocibus, & ſcripturis, non tamen voluit dicere, quod idem ſit modus ſignificandi: nam voces, & ſcripturæ habent ſignificare res ad placitum, vt ſuprà probauimus: at verò conceptus alio modo, vt in præſenti quæſ. dicemus.

Secundò notandum eſt in hac quæſtione, quod talis eſt ordo ſignificandi res in vocibus, ſcripturis, & conceptibus, vt ſcripturæ immediatè

tè ſignificent voces; deinde voces conceptus; denique conceptus res. Vnde ſcripturæ ſignificant, & non ſignificantur; res ſignificantur, & non ſignificant; voces ſignificantur ab ſcripturis, & ſignificant conceptus, & conceptus etiam ſignificantur à vocibus, & ſignificant res.

Quod ſi contra hoc obijcias. Sequitur, quod voces omnes ſint æquiuocæ, conſequens eſt falſum: ergo. Sequelam probo: Plura ſignificant voces ſub diuerſa ratione: nam ſignificant conceptus, & res: ergo ſunt æquiuocæ.

Reſpondetur negando ſequelā: nam vt aliquid ſit æquiuocum debet ſignificare plura immediatè ſub diuerſa ratione, ſicut canis; at verò voces ſignificant plura, mediatè: immediatè conceptus: res verò mediatè, & ſic non ſunt æquiuocæ.

Quod ſi obijcias. Voces non ſignificant conceptus: ergo falſum eſt, quod diximus. Antecedens probo. Nam ſi illos ſignificarent, pro illis ſupponerēt in propoſitione, ſicut quia ſignificant res, ſupponunt pro rebus, ſed non ſupponunt voces pro conceptibus: ergo non ſignificant illos. Minorem probo, ſcilicet quod non ſupponant pro illis: nam ſi ſupponerent, hęc propoſitio: Homo eſt animal, faceret hunc ſenſum: Conceptus hominis, eſt conceptus animalis, quod eſt omninò falſum: ergo non ſupponunt pro conceptibus, & ſic nec eos ſignificāt, ac per conſequens doctrina authoris eſt falſa.

Reſpondetur concedēdo, quod voces non ſupponant pro conceptibus: Ergo non ſignificant illos, nego conſequentiam: nam nō eſt neceſſarium, quod voces ſupponant pro omni illo, quod ſignificāt, ſed pro vltimo, & pro principaliori: tale eſt res, & hic ſupponit pro illa.

Vltimò notandum eſt in hac quæſtione, quod ſignificare naturaliter, de quo loquimur in præſenti quæſtione, eſt prout datum eſt à natura, non verò prout eſt idem, ac eſſentiale, qua ratione diximus in præcedenti quæſtione, quod ſignificatio nominis, & figura cathedræ, v. g. eſt eſſentialis, & aliquo modo naturalis, prout diſtinguitur ab accidentali: de hoc naturali nō loquimur hic, ſed de naturali, quod à natura datur.

His ſuppoſitis ſit concluſio. Cōceptus ſignificant naturaliter; Hanc concluſionem tenet noſter author in hoc c. 8. Primæ partis terminorū: eam etiam omnes Summularum authores, nec non etiam Ariſt. 1. lib. de Interpretatione, capite primo.

Et probatur ratione dicta concluſio. Conceptus ſunt naturales ſimilitudines rerum; ergo ſignificant

cant res naturaliter. Probo conſequentiam, nam naturalis ſimilitudo rei, dicit naturalem proportionem cum re, cuius eſt ſimilitudo: ergo per ſimilitudinem naturaliter venimus in cognitionem rei, ac per conſequens naturaliter ſignificant.

Secundò probatur. Significatio tantùm eſt duplex, aut naturalis, aut ad placitum, non enim poteſt dari medium: ergo vel conceptus ſignificant naturaliter, aut ad placitum; Non ad placitum: ergo naturaliter. Minorem probo. Significare ad placitum, eſt ſignificare ex libera hominum impoſitione, ſed conceptus in ſua ſignificatione non dependent ab hominibus: ergo ſignificant naturaliter. Hanc minorem probo; Quia ſemel facto conceptu, impoſſibile eſt non ſignificare rem, ſicut facta imagine Cæſaris, impoſſibile eſt non repræſentare Cæſarem, quãuis homines id nolint: ergo ſimiliter conceptus, quia ſunt naturales imagines rerum.

Sed contra hanc concluſionem eſt primum argumentum. A libera hominum voluntate pendet facere, vel formare conceptus, quia quando ego volo hominis conceptum formare, illum formo, & ſi nolo, non formo: ergo conceptus hominis eò ſignificat hominem, quia ego eum liberè formo: ergo dependet à mea voluntate, quod ſignificet hominem, ac per conſequens ſignificat ad placitum, & ſic concluſio eſt falſa.

Ad hoc argumentum reſpon. concedendo à voluntate hominis dependere, quod formetur, vel non formetur, negamus tamen cõſequentiam, ſcilicet quod in ſua ſignificatione dependeat ab hominibus, quia ſuppoſito, quòd iam conceptus eſt factus, non poteſt non eſſe imago rei, & ſic non poteſt non ſignificare rem naturaliter, ſicut liberè poſſum ego depingere imaginem Cæſaris, tamen illa depicta, quamuis ego nolim ſignificabit Cæſarem, quia eſt naturalis ſimilitudo illius: at verò quia voces ſignificant ad placitum, illis formatis, & factis, poſſunt ſignificare, & non ſignificare, quia ab hominibus poſſunt deponi à ſua ſignificatione.

Sit ſecundum argumentum. Si propter aliquam rationem conceptus ſignificarent naturaliter, maximè quia ſunt idem apud omnes, vt Ariſt. fatetur 1. lib. de Interpretatione, cap. 1. hac enim vtitur ratione ad probandum, quod conceptus ſignificent naturaliter, ſcilicet, quia voces non ſunt eædem, ſed diuerſæ apud homines, quia alij vtuntur hac voce, *Homo*, ad ſignificandũ hominem, Græci, & Arabes, alijs diuerſis, ideò inquit Ariſt. *Voces ſignificant ad placitum, at verò conceptus*, inquit, *ſunt idem apud omnes homines*, quia

 de

de homine non poſſum formare, niſi vnicum conceptum, & ſic de alijs rebus, ideò ſignificant naturaliter; ſed conceptus non ſunt idem apud omnes: ergo non ſignificant naturaliter. Minorem probo: Nam vnus poteſt formare conceptum de homine, in quantum eſt animal, alius alium conceptum, in quantum eſt rationale: ergo conceptus non ſunt idem, ac per conſequens non ſignificant naturaliter.

Ad hoc argumentum reſpond. concedendo totum antecedens, ſcilicet. Conceptus ſignificant naturaliter, quia ſunt idem apud omnes; negamus tamen minorem, ſcilicet. Sed non ſunt idem. Et quando dicis. Alius format vnum conceptum de homine, in quantum eſt animal, cōcedo; & alius alium, in quantum eſt rationale, concedo. Ergo non ſunt idem, nego conſequentiam; quia de eadem re ſecundum eandem rationem non poteſt formari, niſi vnus conceptus apud omnes, ſecundum diuerſas rationes tamen non eſt inconueniens: nam vt conceptus ſint idem apud omnes ſufficit, quod de vna re ſecundum eandem rationem non poſſit formari, niſi vnus conceptus; at verò eadem res ſecundum eandem rationem diuerſis vocibus ſignificatur apud diuerſas rationes. Et hæc de hac quæſtione, & capite.

Finis primæ partis terminorum.

SEQVI-

Digitized by Google

SEQVITVR EXPOSITIO IN SECVNDAM PARTEM PRIMI LIBRI Summularum.

CAPVT DE TERMINO ſignificatiuo, & non ſignificatiuo.

CIRCA hoc caput nihil conſideratione dignũ eſt, niſi circa diuiſionẽ qua diuidit author terminũ in ſignificatiuum, & non ſignificatiuum, quod diuiſum eſt terminus in communi, prout comprehendit terminum ſecundum ſententiam Ariſtotelis, & prout comprehendit terminum ſecundum ſententiam Sophiſtarum, & iſte terminus in communi diuiditur in ſignificatiuum, vt homo, animal, &c. qui eſt terminus ſecundum Ariſtotelem, & in non ſignificatiuum, vt Blitiri, qui eſt terminus ſecundum Sophiſtas non tamen ſecundum Ariſtotelem, vt diximus.

DISPVT. I.

Super caput de termino mentali.

INtentum Authoris in hoc cap. eſt agere de termino mentali, vocali, & ſcripto. Diuiditur in tres partes. In prima diuidit terminum in communi, in mentalem, vocalem, & ſcriptum, explicatque quid ſit terminus mentalis. In ſecunda aliquas diuiſiones conceptus adducit. In tertia denique, & vltima, tria colligit, & quid terminus vocalis, & ſcriptus ſit, docet. Ad primam partem deuenientes, &c.

Digitized by Google

QVÆST I.

Vtrum definitio termini mentalis ſit optima.

PRimò notandum eſt in hac quæſtione diuiſum diuiſionis, qua diuidit author, eſſe terminum in cõmuni, prout comprehendit terminum ſecundum Ariſtotelem, & ſecundum Sophiſtas, & ſic diuiſio apud Ariſtotelem eſt generis in ſpecies: nam terminus ſecundum Ariſtotelem diuiditur in mentalem, vocalem, & ſcriptum, nec non etiam apud Sophiſtas eſt generis in ſpecies. Vnde ſenſus diuiſionis eſt. Terminus in communi, ſiue ſignificet, vt apud Ariſtot. alius, mentalis, vocalis, & ſcriptus, &c. ſiue non ſignificet, vt apud Sophiſtas. Si ſumatur ſecundum Ariſt. genus eſt *terminus ſignificatiuus*, ſpecies ſunt *mentalis, vocalis, & ſcriptus*. Si ſecundum Sophiſtas, genus eſt: *Signum ponibile in propoſitione mentali, &c.*

Secundò notandum eſt duos eſſe conceptus, alium obiectiuum, alium formalem. Conceptus obiectiuus eſt res cognita, formalis eſt cognitio; qua cognoſcitur talis res. v. g. quando ego cognoſco hominem, habeo duplicem conceptum, alium formalem, qui eſt cognitio, qua cognoſco ipſum hominem, alium obiectiuum, qui eſt ipſe homo cognitus.

His ſuppoſitis ſit concluſio. Definitio termini mentalis eſt optima, & eſt deſcriptiua. Concluſionem hanc tenent omnes expoſitores noſtri authoris nemine dempto: nullus enim audet dicere, eſſe quidditatiuam. Et probatur concluſio ratione. Definitio quidditatiua illa eſt, quæ vero genere, & vera differentia conſtat, ſi illã habere poſſit, qua ratione definitio hominis eſt quidditatiua, ſcilicet: *Animal rationale*, quia conſtat vero genere, & vera differentia; & ſi veram differentiam, ſcilicet: *Rationale*, non haberet, non eſſet quidditatiua: ergo ſimiliter hæc definitio termini mẽtalis, cum poſſet habere veram differentiam, ſcilicet: *Terminans propoſitionem mentalem*, & illam non habet, quidditatiua non eſt: illa enim particula: *In animo exiſtens*, non eſt vera differentia, ſed proprietas quædam, quia conuenit alijs, quæ non ſunt terminus mẽtalis, ſcilicet ſpeciebus intelligibilibus, quæ nulla ratione ſunt terminus mentalis; ergo dicta definitio eſt deſcriptiua.

Secundò probatur concluſio, ſcilicet, quòd ſit optima. Illa eſt bona definitio deſcriptiua, quæ conſtat vero genere, & aliqua proprietate pro differentia; qua ratione hæc eſt optima definitio deſcriptiua hominis: *Animal aptum ad ridendum*, genus eſt, *Animal*, & eſt verum genus, & differentia eſt, *Riſibilitas*, quæ eſt apti-

Digitized by Google

aptitudo ad ridendum, ſed hæc definitio termini mentalis conſtat vero genere, & paſſione loco differentiæ: ergo. Imprimis, quod conſtet paſſione pro differentia, patet: nam, *In animo exiſtere*, eſt paſſio termini mentalis, quia in alio, quam in intellectu minimè eſſe poteſt, quod autem conſtet vero genere ſic probo. Nam *conceptus formalis eſt* verum genus, nam extenditur ad plura, quam definitum: nam aliquis eſt conceptus formalis, qui non ſit terminus mentalis, ſcilicet ille, qui actu non terminat propoſitionem mentalem. v. g. quando ego cognoſco hominem, cognitio illa eſt conceptus formalis, & tamen non eſt terminus mentalis, quia non terminat propoſitionem mentalem, donec intellectus cognoſcit hominem eſſe animal, & facit propoſitionem dicendo. Homo eſt animal; ergo conceptus formalis eſt genus verum, quia eſſentialiter reperitur in omni termino mentali, quia omnis ille eſt conceptus in animo exiſtens: ergo dicta definitio eſt optima.

Contra dictam concluſionem eſt argumentum. Ad plura ſe extendit conceptus communis, quam ad obiectiuum, & formalem, immò cõprehendit omnes terminos mentales; & conceptus formalis illos nõ comprehendit: ergo genus in dicta definitione non eſt conceptus formalis, ſed potius ille conceptus, qui eſt communis ad obiectiuum, & formalem. Antecedens probo. Nã conceptus obiectiuus eſt terminus mentalis, quia eſt conceptus in animo exiſtens obiectiuè, ſed iſte non continetur ſub conceptu formali in communi: ergo conceptus formalis non eſt genus.

Pro ſolutione huius argumenti notandum eſt, quod triplex eſt conceptus. Vnus formalis, qui eſt cognitio, alius obiectiuus, qui eſt res cognita, alius communis ad hos duos. Iſte communis non poteſt eſſe genus, quia eſt quid analogum, nam conceptus formalis eſt qualitas, quę eſt accidens, & obiectiuus poteſt eſſe ſubſtantia: ad accidens autem, & ad ſubſtantiam non poteſt dari aliquid vniuocum: vnde ille conceptus communis non poteſt eſſe genus, quia vniuocus eſſe nequit: nec conceptus obiectiuus poteſt eſſe terminus mentalis: quia non terminat propoſitionem mentalem, quia propoſitio mentalis non componitur ex obiectiuis conceptibus, quia iſti ſignificantur per conceptus formales, qui componunt propoſitionem mentalem. Vnde reſp. ad arg. in forma. Conceptus formalis in communi non comprehendit omnes terminos mentales: nego antecedens; & quando dicis, Obiectiuus conceptus eſt terminus mentalis nego minorem. ſi dicas, Exiſtit in

animo, hoc eſt in intellectu obiectiuè, concedo; ſed hoc non ſufficit ad componendam propoſitionē mentalem, quia exiſtere obiectiuè, non eſt vox exiſtens in animo.

Contrà. Sicut eſt propoſitio formalis, ita eſt propoſitio obiectiua: ergo ſicut propoſitio mentalis formalis componitur ex terminis mētalibus, qui ſunt conceptus formales, ita obiectiua propoſitio componetur ex terminis mentalibus, qui ſunt conceptus obiectiui.

Ad hanc replicam reſpondetur negando; quod ſit propoſitio obiectiua: nam ex eo quod res cognitæ repræſententur per conceptus formales, qui ſunt in propoſitione mētali, ideò non poteſt fieri propoſitio ex conceptibus obiectiuis, ſicut, v. g. in propoſititione vocali, non quia res ſignificentur per voces, ideò ex ipſis rebus ſignificatis per voces dicimus fieri propoſitionē, quia hoc dicere eſt abſurdum, cum propoſitio ſit oratio ſignificatiua, quod ſolis vocibus conuenit, & non rebus, adhuc prout ſignificantur per voces: ergo ſimiliter non eo, quod cōceptus obiectiui ſignificentur per propoſitionem formalem, ideò ex obiectiuis fit aliqua propoſitio obiectiua: ergo nec conceptus obiectiuus erit terminus mentalis, ac per conſequens conceptus formalis in communi comprehendit omnes terminos mentales, & ſic poteſt eſſe verum genus in definitione termini mentalis.

Secundum argumentum, ſit cōtra dictam concluſionem: *In animo exiſtens*, non conuertitur cum termino mentali: ergo non ponitur in illa, vt differentia. Antecedens probo. Nam non valet: Exiſtit in animo, ergo eſt terminus mentalis: nā conceptus formalis, qui non componit actu propoſitionem mentalem, exiſtit in animo, & tamen non eſt terminus mentalis: Similiter ſpecies intelligibiles, ſunt in animo, & non ſunt termini mentales: ergo non eſt differentia: *In animo exiſtens.*

Ad hoc argumentum reſpon. quod illa particula: *In animo exiſtens*, non ponitur vt vera differentia, & ſic non eſt neceſſarium, quod conuertatur cum definito: quod eſt terminus mentalis, ſicut quando definitur terminus, illa particula: *Propoſitionis*, quæ ponitur loco differentiæ, quia non eſt vera differentia, ſed poſita loco illius, non conuertitur cum termino, quia non valet. Propoſitio eſt terminus, nec. Terminus eſt propoſitio. Sic ſimiliter in noſtro argumento.

Tertiò ſic argumentor. Datur aliquis terminus mentalis, qui non ſit exiſtens in animo: ergo definitio authoris eſt mala, & noſtra concluſio falſa. Antecedens probo. Senſatio, quæ eſt cognitio ſenſus.

Digitized by Google

v. g. ſenſatio ſenſus interni, eſt cognitio ſenſitiua, & eſt mentalis, quia reducitur ad intellectum, cuius participatione fit propoſitio in tali ſenſu, vt videbimus Deo dante 3. de anima cap. 1. & 2. & talis cognitio ſẽſitiua in ſenſu, & non in intellectu reperitur, & exiſtit: ergo.

Ad hoc argumentum reſpon. negando dari terminum mentalem, qui non exiſtat in intellectu: & quãdo dicis Senſatio eſt terminus mentalis, nego; quia in ſenſu non reperitur verè propoſitio, & ſic, nec verè terminus mentalis, quia in ſenſu interno per participationem reperitur propoſitio, vt quando fit ſonus, tamen non eſt propriè, ſed impropriè, & ſic nec propriè reperitur terminus propoſitionis mentalis: ſolum ergo reperitur in ſenſu terminus ſenſationis, hoc eſt terminus, qui terminet actionem, non verò qui terminet propoſitionem, & ille terminus largo modo dicitur terminus, qua ratione vltimum ligni dicitur terminus.

QVÆSTIO II.

Vtrum diuiſiones conceptus, quas author adducit ſint optimæ.

IN hac quæſtione primò ſit certum, conceptus ſignificantes priuationes, aut negationes, ſignificare aliquid, vel aliqua, ſicut diximus de vocibus eaſdem priuationes, aut negationes ſignificantibus, quia priuationes reducuntur ad res, quibus priuant.

Secundò ſit certum, diuiſum in diuiſione, qua diuidit author conceptum in vltimum, & non vltimum, eſſe conceptum formalem in communi, quia eſt vocis, aut rei ſignificatæ per vocem, & obiectiuus eſt ipſa vox, aut res cognita: vnde iſte obiectiuus non eſt diuiſum in dicta diuiſione.

His poſitis ſit concluſio. Diuiſio, qua diuidit author conceptum in vltimum, & non vltimum, eſt exacta, & eſt ſubiecti in accidentia. Hanc concluſionẽ ſic probo. Eadẽ vox modo poteſt eſſe ſignificatiua, & poſteà non ſignificatiua, vt vox, *Homo*, ſi deponatur à ſua ſignificatione: Ergo accidit, quod eius cognitio ſit vltima, & non vltima. Cõſequentiam probo; nam cognitio huius vocis, *Homo*, quando eſt ſignificatiua, eſt non vltimus, & ſi deponatur, tunc manet eadem vox, & & eius cognitio eſt conceptus vltimus, quia non eſt vocis aliquid ſignificantis: ergo eſt diuiſio ſubiecti in accidentia.

Sed contra hanc concluſionem eſt argumentum: Nullus eſt conceptus vltimus: ergo dicta diuiſio eſt mala: quia non eſt bimembris. Antecedens probo: Si aliquis eſſet vltimus, maximè huius vocis *Blitiri* aut conceptus rei ſignificatæ per vo-

vocem; ſed harum conceptus non eſt vltimus: ergo nullus eſt. Minorem probo. Conceptus vltimus eſt ille, in quo vltimò ſiſtit intellectus: ſed in vocibus nihil ſignificantibus, aut in rebus ſignificatis per voces, non vltimò ſiſtit intellectus: ergo. Minorem iterum probo: nam per voces nihil ſignificantes, v. g. per *Blitiri*, cognoſcimus ſuum prolatorem, & per res ipſas, cum creaturæ ſint, cognoſcimus creatorem: ergo non vltimò ſiſtit intellectus in illis: ac per conſequens non eſt conceptus vltimus earum cognitio, imò etiam per cognitionem Dei cognoſcimus creaturas: ergo nullus eſt conceptus vltimus.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando, quod non detur conceptus vltimus: & quando dicis: Vltimus dicitur quia vltimò ſiſtit intellectus, concedo: tamen non eſt hæc definitio, ſed etymologia; definitio enim conceptus vltimi hęc eſt: *Eſt cognitio rei ſignificata per vocem.* Vnde conceptus vltimus eſt rei, quæ terminat ſignificationẽ vocis: quare quamuis aliqua res ſignificetur per aliam, eſt conceptus vltimus, quia vt ſit conceptus non vltimus, debet eſſe vocis ſignificantis, ita ꝙ requiritur ad conceptum non vltimum, quod ſignificet, vt vox, tùm etiam, quod ſignificet rem. Vnde quamuis *Blitiri*, & aliæ res, vt fumus, nec non etiam creaturæ omnes ſignificent alias res, non tamen earum cognitio eſt conceptus non vltimus, quia non ſignificant tanquam voces, ſed vt effectus naturales: & ſic eſt conceptus vltimus, quia ſi non eſt non vltimus, erit vltimus, Et quando dicis: In re ſignificante, vt in fumo, non vltimò quieſcit intellectus, concedo: ergo non eſt vltimus, nego, quia ab etymologia ad rem non valet conſequentia, ſicut non valet: Lapis dicitur à lædendo pedem, ergo omne, quod lædit pedem, eſt lapis, quia poteſt eſſe lignũ; ſic non vltimus conceptus dicitur ab hoc, quod vltimo non ſiſtit intellectus: ergo omne id, in quo non vltimò ſiſtit intellectus, erit conceptus non vltimus, non valet conſequentia; ſed à definitione valet: Nõ vltimò ſiſtit intellectus in aliquo, quia eſt vox ſignificatiua rei: ergo eſt conceptus nõ vltimus: valet quidem conſequentia, quia eſt à definitione ad definitum: at verò in ſignificante, vt fumus, aut blitiri, non valet: Non vltimò ſiſtit intellectus: ergo eſt conceptus non vltimus, quia deficit definitio, ſcilicet quod ſit cognitio vocis ſignificantis rem. Vnde cognitio fumi, Blitiri, & omnium rerum quamuis ſignificantium, ſiue ſiſtat intellectus, ſiue non ſemper eſt vltimus, quia eſt rei ſignificatæ per vocem, & ipſæ non ſignificant tanquam voces.

Sit ſecunda concluſio. Diuiſio, qua

Digitized by Google

qua diuidit Author conceptum in rectum, & reflexum, eſt optima, & eſt generis in ſpecies, & diuiſum eſt cóceptus formalis in cómuni. Hanc concluſionem ſic probo. Et primò quod ſit generis in ſpecies: nam cóceptus rectus terminatur ad rem, vel ad vocem, conceptus reflexus ad cognitionem: ergo differunt in ſpecie, quia conceptus ſpeciem ſumunt ab obiectis: ergo cum cognitio ſit ſpecie diuerſa à re, vel à voce, ſequitur, quod conceptus ſint diuerſi in ſpecie.

Secundò probatur: Nam ſi huiuſmodi diuiſio eſſet ſubiecti in accidentia, vt aliqui aſſerunt, eadem cognitio poſſet eſſe conceptus rectus, & reflexus, ſicut idem conceptus poteſt eſſe vltimus, & non vltimus, quia eadem vox poteſt ſignificare, & non ſignificare, & ex eo dicimus, quod illa diuiſio eſt ſubiecti in accidentia; ſed vna, & eadem cognitio non poteſt eſſe reflexa, & recta: ergo hæc diuiſio non eſt ſubiecti in accidentia. Minorem probo. Vna cognitio non poteſt habere pro obiecto immediato, modo rem, modò verò cognitionem, quia ſunt obiecta omninò diuerſa: ergo non poteſt eadem cognitio eſſe recta, & reflexa. Conſequentiam probo, quia vt ſit recta, debet determinari ad rem, ſeu vocem, vt autem ſit reflexa ad cognitionem, quia eſt cognitio cognitionis: ergo vna cognitio non poteſt eſſe recta, & reflexa, ac per conſequens non eſt diuiſio ſubiecti in accidentia, ſed generis in ſpecies.

Sed contra hanc concluſioné eſt argumentum. Nullus eſt conceptus reflexus: ergo dicta diuiſio non eſt optima. Antecedens probo. Si datur conceptus reflexus, aut eſt vltimus, aut non vltimus; ſed nec eſt vltimus, nec non vltimus: ergo nullus eſt. Minorem probo. Si datur, eſt cognitio cognitionis, & ſic nec eſt rei ſignificatę per vocem, nec eſt vocis ſignificantis rem: ergo non eſt vltimus, ac per conſequens dari nequit.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens quoad maiorem propoſitionem, negando tamen minorem, ſcilicet quod nec ſit vltimus: nec non vltimus: eſt enim vltimus, quia eſt cognitio cognitionis, quæ quidem cognitio cognita eſt res quædam; & ſic cognitio eius eſt vltima, quia vltimus cóceptus.

Contrà: Cognitio cognita ſignificat rem, aut vocem, quia eſt conceptus: ergo cognitio illius non eſt vltima. Conſequentiam probo, quia non vltimo ſiſtit intellectus in ea: ergo non eſt conceptus vltimus illa ſecunda cognitio, qua cognoſcitur prior cognitio.

 Ad

Digitized by Google

Ad hoc reſp. concedendo antecedens, & negando conſequentiam, Et quando dicis: Cognitio cognita ſignificat, concedo: ergo non vltimò ſiſtit intellectus, tranſeat: ergo eſt non vltimus conceptus, nego conſequentiam: nam ad hoc, vt ſit conceptus non vltimus (vt ſuprà diximus) non ſufficit, quod intellectus non vltimò ſiſtat, ſed etiã quod ſit vocis ſignificantis rem, vt patet ex definitione conceptus non vltimi tradita ab Authore.

Secundum argumentum ſit contra dictam concluſionem. Conceptus reflexus non eſt cognitio cognitionis: ergo nullus eſt talis. Antecedens probo. Cognitio, qua noſter intellectus cognoſcit ſe ipſum eſt reflexa, nam flectitur ſupra ſe, & tamen intellectus non eſt cognitio: ergo cognitio, qua cognoſcit ſe, nõ eſt cognitio cognitionis, & tamen eſt reflexa, vt omnes fatentur: ergo dicta definitio Authoris eſt mala.

Ad hoc argum. reſpond. concedendo totum antecedens, quod cognitio, qua intellectus cognoſcit ſe ipſum, ſit reflexa, & ſimiliter quod non ſit cognitio cognitionis, negamus tamen conſequentiã, ſcilicet: ergo definitio eſt mala: nam ſic eſt intelligenda. Conceptus reflexus eſt cognitio cognitionis, ſiue alterius exiſtentis ad intra, ad quod cognoſcendum non requiritur ſpecies. De hoc amplius in libris de anima.

Tertiò ſic argumentor aduerſus id, quod docet Author, *Voces poſſe cadere à ſua ſignificatione.* De eſſentia nominis eſt ſignificare, v. g. huius nominis, *Homo*: ergo non poteſt cadere à ſua ſignificatione, quia variata eſſentia, res non manet: ergo, &c.

Ad hoc argum. reſpond. diſtinguẽdo antecedens. De eſſentia nominis eſt ſignificare, diſtinguo: ſignificare hanc rem in particulari, nego: ſignificare abſolutè, concedo: *Et cadere à ſua ſignificatione*, eſt, quod permaneat eadem vox, ſeu idẽ nomen, & quod non ſignificet eandem rem in particulari, ſicut contingit in hoc nomine, *Homo*, ſi auferatur à ſignificatione hominis.

Vltimò ſic argumentor. Saltem conceptus non vltimus poteſt cadere à ſua ſignificatione: ergo falsò docet Author, conceptus non poſſe cadere à ſua ſignificatione. Antecedens probo. Si hæc vox *Homo*, imponatur modo ad ſignificandum lapidem, iam idem conceptus huius vocis manet, & non ſignificat vocem, ſicut anteà, quia anteà ſignificabat vocem ſignificantem hominem, & modò eandem ſignificantem lapidem: ergo conceptus cadit à ſua ſignificatione.

Ad hoc argumentum reſpondetur, negando quod maneat idem cõceptus: nàm eo ipſo quod mutetur ſignificatio vocis, mutatur eius conceptus

Digitized by Google

ceptus: nam diuerſus eſt conceptus huius vocis, *Homo*, prout ſignificat lapidem: vnde quia non manet idem conceptus, non cadit à ſua ſignificatione. Et hæc de hac quæſtione, & capite.

CAPVT. III.
De termino ſyncategorematico.

IN hoc capite duo tantum occurrunt conſiderationeidigna. Primum eſt circa hoc nomen Categorema, quod deriuationem habet ab hoc verbo Græco, *Categoreo*, quod eſt idem ac prædicare: vnde terminus categorematicus idem eſt ac terminus prædicatiuus, & ſyncategorematicus idem eſt ac comprædicatiuus, id eſt cum alio prædicatus, vt: Senſitiuum eſt omne animal, illud, *Omne*, eſt ſyncategorematicus, quia ſimul cum animali prædicatur.

Secundò aduertendum eſt, quod quando Author dixit verbum, *Eſt*, eſſe categorema, officio tantùm, quia poteſt eſſe integrum extremũ in propoſitione, non loquitur ex propria ſententia, ſed refert diuiſionem illam ſecundum Sophiſtas, vt ipſe fatetur per illa verba: *Categorema triſariam à Sophiſtis diuidi conſueuit.* Et ne hoc ad libitum dictum appareat, videatur Author in lib. 7. Animaduerſionum in terminos ſuper animaduerſiones in ſecundam partem terminorum in quartam conſiderationem, vbi arguit noſter Author contra Naueros admittentem cum Sophiſtis huiuſmodi diuiſionem, & probat expreſſis verbis, verbum *Eſt*, non eſſe categorema officio tantùm, & conficit hoc efficaciſſimum argumentum. Nam aut *Eſt*, ſumitur ratione ſui; & ſic non eſt extremum, ſed copula, & ſi vt ſic, ſumeretur, vt extremum, iam illa propoſitio eſſet ſine copula, imò non eſſet propoſitio, quia de ratione propoſitionis eſt, quod conſtet copula. Si autem ſumatur ratione participij incluſi, non eſſet categorema officio tantum, ſed potiùs officio, & ſignificatione ſimul. Hoc argumentum expreſsè conficit noſter Author: noſtra ergo ſolutio non ad libitum, ſed ex viſceribus doctrinæ noſtri Authoris deprompta haberi debet.

CAPVT. IV.
De termino complexo, & incomplexo.

DE termino complexo plura in cap. de oratione, vbi etiã diximus, qua ratione ab oratione diſtinguatur: nũc breuiter dicã, quomodò à termino compoſito. In eo ſita eſt differentia, quod complexus plures habet dictiones per modum pluriũ. vt *Homo albus*, compoſitus autem plures includit dictiones, vt * Egniferus*, &c.

Caput

Capvt V.

De termino abſoluto, & denominatiuo.

Qvæst. Vnica.

Vtrum definitio termini denominatiui ſit optima.

PRimò ſit certum in hac quæſtione, diuiſum in illa diuiſione, qua Author diuiſit terminum in abſolutum, & denominatiuum eſſe terminum ſignificatiuum.

Secundò ſit certũ, non eſſe idem terminum denominatiuum, & concretum: non homo eſt terminus abſolutus, & eſt concretus: nam etiam ſunt idem terminus abſolutus, & abſtractus, vt patet in exemplo adducto. *Homo*, eſt abſolutus terminus, & non eſt abſtractus, ſed potius concretus, vt vidimus.

In hac difficultate ſunt duæ oppoſitæ ſententiæ. Prima eſt aliquorum expoſitorum noſtri Authoris, qui eius doctrinam, aut mentẽ minimè percipientes aſſerunt, dictam definitionem non eſſe optimam, quia deficiunt illi aliqua verba, ſcilicet, *Significat formam per modum alteri adiacentis*, ita quod tota definitio debeat eſſe hæc: *Terminus denominatiuus eſt ille, qui ſumit denominationẽ ab alio, à quo ſolo caſu differt, & ſignificat formam per modum alteri adiacentis*. Argumenta, quibus hanc ſententiam probant, inferius adducemus, vt eorum concomitanter ſolutiones ponantur.

Sed hæc ſententia eſt omnino falſa, & contra noſtrum Authorem, quod vt inconueniens nõ reputant iſti authores, tamen reputare debent, quod ſit contra Ariſt. ipſum, quem tanquam philoſophiæ principem, omnes tam Theologi, quam philoſophi ſequuntur. Et quod ſit contra Ariſt. ex eodem clarè, & apertè probatur in Anteprædicamẽtis, eiſdem prorſus verbis terminum denominatiuum definiente.

Ratione etiam probatur eſſe falſam: nam iſta opinio confundit cõcretum, & denominatiuum, quia ſignificare formam per modum alteri adiacentis, eſt de ratione concreti, & de eius definitione: ergo non eſt, nec debet poni in definitione denominatiui, ac per conſequens opinio eſt falſa.

Secunda opinio huic oppoſita eſt, definitionem termini denominatiui, vt traditur à noſtro Authore, eſſe optimam. Quæ opinio habenda eſt à nobis tanquam concluſio reſponſiua quæſtioni. Quam probo in primis Authoritate Ariſto. loco citato, necnon noſtri Authoris in hoc cap. Deinde ratione. Tota ratio termini denominatiui conſiſtit in hoc, quod ſumat denominationem ab alio, à quo caſu ſolo differt; ſed hoc totum explicatur, per illam definitionem: ergo

ergo eſt optima. Antecedens probo: nam ſi aliquid aliud includeret, maximè ſignificare formã per modum alteri adiacentis, ſed hoc non ad denominatiuum, ſed ad concretum terminum pertinet, vt ſuprà probauimus: ergo ſufficienter dicta definitio eſſentiam termini denominatiui explicat, & ſic eſt optima.

Sit primum argumentum contra concluſionem. Album eſt nomẽ denominatiuum, ab albedine enim ſumit denominationem; ſed ab illa non ſolo caſu differt, ſed realiter, quia concretum realiter diſtinguitur ab abſtracto: ergo definitio eſt mala, & concluſio falſa.

Pro ſolutione huius argumenti, & aliorum, quæ inferius ponemus, notandum eſt, quod differre terminũ ſolo caſu, eſt quod habeat eaſdẽ literas in principio, & diuerſas in fine, vt album, & albedo differunt caſu, vel homo, & humanitas. Nota etiam, quod denominatiuum poteſt eſſe triplex, vnum nomine tantum, & eſt illud, quod non denominatur à forma ſignificata per vocem, cum qua conuenit in primis literis, vt ſtudioſus denominatur quantum ad vocem ab ſtudio, tamen reuera ſtudioſus denominatur à virtute. Aliud eſt denominatiuum ſecundũ rem tantum, vt ſtudioſus, qui denominatur à virtute, tamen non ſignificatur per vocem, quæ habet eaſdẽ literas in principio, & ſic eſt denominatiuum ſecundum rem tantum. Denique aliud eſt denominatiuum ſecundum rem, & ſecundum nomẽ ſimul, quod denominatur à forma ſignificata per voces habentes eaſdem literas in principio, diuerſas tamen in fine, vt rationale à rationalitate.

Vnde reſpondetur ad arg. quod Author, quando dicit: *A quo ſolo caſu differt*, loquitur ex parte vocis, non tamen ex parte rei. Vnde album, & albedo, quantum eſt ex parte vocum, non differunt, niſi tantum caſu, & quod ex parte rei ampliꝰ differant, nihil inconuenit ad terminum denominatiuum.

Secundum argumentum: Homo ſecundum ſententiam Authoris eſt abſolutus, & tamen conuenit illi definitio termini denominatiui, quia ſumit denominationem ab humanitate, à qua ſolo caſu differt: ergo.

Ad hoc arg. reſp. quod homo eſt denominatiuus ſecundum rem, non tamen ſecundum vocem, quia homo, & humanitas non habent eaſdem literas initiales: & ſic non ſolo caſu differunt: Author autem definiuit denominatiuum ſecundum rem, & nomen, aut rationem.

Tertiò ſic argumentor contra concluſionem. Mulier grammatica denominatur à grammatica, & tamẽ nõ differunt vltimis literis: ergo non differt caſu, reſpondetur, quod

hoc eſt per accidens, quia contingit in his nominibus caſu quodam, tamen in alio ſubiecto, ſcilicet in homine iſtud denominatiuum, *Grammaticum*, ſolo caſu differt.

Capvt. VI.

De termino primæ, & ſecundæ intentionis.

IN præſenti cap. illud ſolum eſt aduertendum, quod terminus primę intentionis eſt idem, quod terminus primæ impoſitionis, & ſignificat rem, aut accidens illius, vt homo, riſibile, album. Primò enim homines impoſuerunt nomina ad res ſignificandas, & deinde impoſuerunt nomina ad ſignificādas voces, v.g. hanc vocem, Ridet appellarunt verbum, & hanc, *Homo*, vocarunt nomen, & huiuſmodi termini ſecundæ intentionis, hoc eſt, ſecundæ impoſitionis. Similiter nomina ſignificantia accidentia rationis, ſunt nomina ſecundæ intentionis, quia nec rem, nec accidens rei ſignificant; vt genus, ſpecies, ſubiectum, & prædicatum ſunt accidentia rationis, quia fiunt per intellectum.

Quod ſi dicas. Natura humana eſt ſpecies, & animal eſt genus: ergo huiuſmodi nomina ſignificant accidens rei, ac per conſequens ſunt nomina primæ intentionis. Reſpōdetur ad hoc, concedendo quod ſint accidentia, tamen non ſunt realia, ſed rationis, & ideò nomina, quæ illa ſignificant, non ſunt primæ intentionis, quia ad hoc requiritur, quod ſit accidens reale: nam prima impoſitio ad res ſignificandas fuit.

Capvt. VII.

De termino vniuoco, & æquiuoco.

IN hoc capite aduertendum eſt primò, Ariſt. in Anteprædicamētis fusè egiſſe de æquiuocis, & vniuocis, de quibus plura dicemus. Solum aduerte, quod ex Ariſt. videtur colligi, quod nomen æquiuocum non ſit verè æquiuocum, ſed ſignificatum illius, Nam Ariſt. ſic definiuit æquiuocum: *Eſt nomen commune, ratio verò diuerſa*: ergo hæc ratio ſola debet eſſe æquiuoca, & non nomen. Reſpondetur tamen, quod quamuis ratio ſit æquiuoca, tamen nomen ſupponit pro illa, & ſic nomen dicitur æquiuocum.

Quòd ſi dicas. Æquiuoca non poſſunt definiri: ergo nomen æquiuocum non poteſt definiri. Reſpondetur, quod æquiuocum nomen reſpectu aliorum nominum æquiuocorum habet rationem vniuoci, & ſic poteſt definiri. v. g. nomē, *Æquiuocum*, continet ſub ſe hoc nomen, *Canis*, & ſimiliter hoc nomen, *Homo*, quatenus ſignificat viuum, & pictū, & hæc nomina vniuocè conueniunt in hoc, quod eſt ſignificare plura ſub diuerſa ratione,

Vlti-

Digitized by Google

Vltimò notandũ eſt, quod idem nomen poteſt eſſe vniuocum, & æquiuocum, vt, *Homo*, reſpectu hominum viuorum, eſt nomen vniuocum, & reſpectu viui, & picti, eſt æquiuocum.

Capvt VIII.

De termino communi, & ſingulari.

NOta primò, quod nomen cõmune, ſeu terminus communis, ſignificat naturam communem immediatè, & mediatè plura ſingularia, quæ talis natura poteſt habere, & non eſt neceſſarium, quod actu illa habeat, ſed quòd poſſit habere.

Quòd ſi dicas: Sol eſt nomen cõmune, ſimiliter mundus. Et quod ſint nomina communia, patet, quia de Sole eſt ſcientia, & de mundo; vt videbimus in libris de cœlo, & non eſt ſcientia de ſingularibus, ſed de communibus: ergo ſunt communia nomina, & tamen ſignificant plura ſingularia: ergo.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia Sol, & mundus, quamuis actu non habeant ſingularia, tamen poſſunt illa habere, quia Deus poteſt plures Soles, nec non etiam plures mundos creare.

Argumentor ſecundò. Nomen ſingulare non poteſt definiri, quia de ſingularibus non eſt ſcientia: ergo malè noſter author definiuit terminum ſingularem. Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens, ſcilicet quod de ſingularibus non ſit ſcientia. Negamus tamen conſequentiam: Ergo malè author definiuit terminum ſingularem: nam terminus ſingularis prout continet ſub ſe omnes terminos ſingulares, eſt quid commune, & ſic poteſt definiri. Dices: Ergo eſt cõmunis: ergo nullus eſt ſingularis. Reſpondetur negando ſequelam, nam communis dicitur, quia ſignificat naturam communem, & ſingularis, quia naturam ſingularem, tamen iſte in ordine ad terminos ſingulares dicitur aliquo modo communis.

Aduerte, quod terminus infinitus, vt, *Non homo*, nõ eſt tranſcendẽs, quia non dicitur de omnibus rebus: nam *Non homo*, non dicitur de ipſo homine, at verò tranſcendentia dicuntur de omnibus rebus.

Capvt. IX.

De termino finito, & infinito.

CIrca quod illud ſolum conſiderandum occurrit, quod terminus infinitus conſtat negatione iuxta ſe poſita: vnde negatio, quæ in copula ponitur, negat propoſitionem,

Digitized by Google

& non reddit prædicatum infinitum, quia non eſt illi immediata.

Capvt X.

De termino collectiuo, & diuiſiuo.

ADuertendum eſt in hoc capite, quod, *Populus, ciuitas*, poſſunt conſiderari reſpectu populorum, aut ciuitatum, & ſic ſunt termini diuiſiui, quia prædicantur de ſingulari diuiſione, & ſic dicimus. Hic populus eſt populus: Hæc ciuitas eſt ciuitas, alio modo poſſunt conſiderari in ordine ad ciues, & ſic ſunt collectiui termini, & prædicantur de illis in numero plurali. Ciues ſunt, ciuitas. Gentes ſunt populi.

Dices, *Homo*, ſecundum authorem, eſt terminus diuiſiuus, & tamen in numero ſingulari exiſtens prædicatur de multis: nam dicimus. Petrus, & Ioannes ſunt homo: ergo doctrina authoris eſt mala.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo, quod homo ſit terminus diuiſiuus, & ſimiliter, quod prædicetur in numero ſingulari de pluribus. Ergo definitio collectiui eſt mala, nego conſequentiam: nam collectiuum ita prædicatur in numero ſingulari de multis, vt nulla ratione de quolibet ſingulari dicatur, quia non dicimus. Vnus ciuis eſt ciuitas: nec. Vnus homo eſt populus, at verò homo ita prædicatur de multis, vt de quolibet etiam ſingulari dicatur, quia valet. Petrus eſt homo, &c.

Capvt. XI.

De terminis in numero plurali.

CIrca quod huius loci difficultas propria non eſt, nam de oppoſitione contraria, & de alijs oppoſitionibus, quas author in hoc capite tangit in lib. 2. longo ſermone agemus.

Solum ergo id aduertamus, oportet, dici: *Terminos pertinentes*, quia inter ſe aliquam connexionem, aut repugnantiam habent, impertinentes autem, quia omninò illa carent.

Finis ſecundæ partis terminorum.

SVPER

SVPER TERTIAM PARTEM TERMINORVM.

SApienter ſatis ſicut in ſuperioibus, noſter author doctrinę ordinem inſectando, incipit iã de termini proprietatibus ſermonem inſtituere: nam eſſentia explicata, & diuiſionibus terminorum traditis, quid cõmodius, quam eorum paſſiones indagare.

DISPVT. I.

De ſuppoſitione.

IN hoc capite intendit author agere de ſuppoſitione, & diuiditur in tres partes. In prima quatuor enumerat termini proprietates. In ſecunda diuiſiones ſuppoſitionis ſupponit. In tertia denique, & vltima ſuppoſitionem communẽ in quatuor diuidit membra.

QVÆST I.

Vtrùm quatuor propoſitiones enumeratæ ab authore ſe habeant tanquam ſuperiùs, & inferiùs.

IN hac quæſtione ſupponendum eſt tanquàm certum, has proprietates, non eſſe proprietates quarto modo, ſicut riſibile eſt proprium hominis, quia proprietas hac ratione cõuertitur cum re, cuius eſt proprietas; benè enim valet. Eſt homo: ergo eſt riſibile. Eſt riſibile: ergo eſt homo, tamen huiuſmodi proprietates non conuertuntur cum termino: nam non valet. Significat: ergo eſt terminus, quia, *Homo*, extra propoſitionem ſignificat, & non eſt terminus, & ſimiliter eadem vox, homo, extra propoſitionem accipitur, & non eſt terminus. Similiter *Adam*, in hac propoſitione. Adã eſt,

Digitized by Google

eſt terminus, & tamen non ſupponit: nec verificatur: ergo non ſunt, proprietates in rigore, ſicut riſibilitas, ſed largo modo.

Secundò ſit certum; quod quando author dixit, ſignificationem, & acceptionem conuenire terminis extra propoſitionem, loquutus eſt de terminis in actu ſecundum Sophiſtas, & in potentia ſecundum Ariſtot. nam apud illum extra propoſitionem nullus eſt terminus in actu.

Tertiò ſit certum, non eſſe quæſtionem vtrum ſe habeant dictæ propoſitiones, tanquam ſuperius, & inferius in recta linea, qua ratione animal eſt ſuperius homini in recta linea, & ſic animal prædicatur de homine, dicendo. Homo eſt animal, ſed quæſtio eſt vtrum ſe habeant tanquam ſuperius, & inferius, quantum ad illationem, ita quod ſeruent modum ſuperioris, & inferioris in hoc, quod valeat conſequẽtia de vna proprietate ad aliam: non tamen è contra. Si enim eſſent verè vna ſuperior ad aliam in recta linea, valeret conſequentia, Acceptio eſt ſignificatio, ſed non valet: ſignũ ergo eſt non ita ſe habere in recta linea.

Quod ſi dicas. Album prædicatur de homine, & tamen album non eſt in eadem linea prædicamentali cum homine: ergo ratio, ex qua colligimus, has proprietates non ſe habere, vt ſuperius, & inferius in recta linea, nulla eſt.

Sed reſpondetur breuiter, quod album pro materiali dicit corpus, quod eſt in recta linea cum homine, & ratione illius prædicatur: Nam albedo ſola non poteſt prædicari, quia non valet: Homo eſt albedo.

His ſuppoſitis ſit concluſio. Dictæ proprietates ſe habent tanquam ſuperius & inferius. Hanc concluſionem tenet noſter author in præſenti capite claris, & expreſſis verbis. Nec admitti debet exceptio aliquorum dicentium, authorem non protuliſſe, talem propoſitionẽ vniuerſalem, ſed indefinitam, ita quod non intelligatur de omnibus, ſed de aliquibus; hoc enim meo iudicio ſine fundamento aliquo eſt aſſertum, cum ex verbis authoris, non magis de vna, ac de alia intelligi debeat: ergo de omnibus author eſt intelligendus.

Et ratione probatur concluſio. Nam illa ſe habent, vt ſuperius, & inferius, in quibus de vno ad aliud valet conſequentia, & non è contra, qua ratione, *Homo*, & *Animal*, ſe habent. Nam valet. Eſt homo, ergo eſt animal, non tamen è contra, ſed ſimiliter valet. Verificatur, ergo ſupponit: Supponit, ergo accipitur, Accipitur, ergo ſignificat: non tamen valet conſequentia, è contra. Ergo habent ſe tamquam ſuperius, & inferius.

Sed

Sed contra hanc concluſionem eſt primum argumentum aliquorum aſſerentium, ſignificationem, & acceptionem non ſe habere tanquam ſuperius, & inferius, ſed tamquam æquales, ita quod conuertantur interſe. Si propter aliquam rationem non conuertuntur, maximè quia voces, aut termini ſignificant conceptus, & tamen non accipiuntur pro illis, ſed hæc ratio eſt nulla, quia poſſunt accipi, nullum enim ſequitur inconueniens, quod accipiantur: ergo concluſio eſt falſa.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, nàm ſi voces acciperentur pro conceptibus, hęc propoſitio eſſet vera. Homo eſt animal, id eſt; Conceptus animalis eſt conceptus hominis, ſed eſt falſa, vt omnes fatentur: ergo non accipiuntur termini pro conceptibus. Probo conſequentiam, quia ex eo quod accipìuntur voces pro rebus eſt vera propoſitio. Homo eſt animal; ergo Similiter ramus ſignificat vinum vendibile, & tamen non accipitur pro vino: ergo.

Quod ſi dicas ramus æquiualet huic propoſitioni. Hic venditur vinum, & ſic accipitur pro vino; ergo ſolutio eſt falſa.

Ad hanc replicam reſpondetur, quod quamuis æquiualeat, *Ramus*, illi propoſitioni: Hic venditur vinum, non ex eo ſequitur, quod accipiatur pro vino, ſed quod ſignificet vinum vendibile.

Sed eſt argumentum. Si aliquando terminus ſignificat, & non accipitur, maximè, quando profertur vox à puero neſciente diſtinguere inter vocemt & rem ſignificatam, vt poſſit illam vocem pro re accipere; nec non etiam, quando profertur vox à pſittaco eadem ratione; ſed in his caſibus etiam accipitur vox, vel terminus pro re: ergo ſemper quod ſignificat, accipitur, ac per conſequens noſtra concluſio eſt falſa. Probo conſequentiam: nam etiamſi puer, aut pſittacus, neſciat diſtinguere inter rem, & vocem, vt accipiatur, ſufficit, quod diſtinguatur, vel à dicente, aut ab alio.

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo antecedens. Nam ſi, qui profert vocem, non diſtinguit inter ipſam, & rem, minimè poteſt accipere vocem pro re, quia debet duo concipere, & id, quod accipitur quod eſt vox, & id pro quo accipitur, quod eſt res; Vnde puer ſignificat, rem per vocem, nec non pſittacus: tamen non accipitur, quia nō diſtinguit ea. Et quando dicis. Sufficit, quod alius audiens diſtinguat nego; quia iam audiens, qui diſtinguit, accipit vocem pro re, non tamen ille, qui profert; ergo vox, vt prolata à puero ſignificat, & non accipitur, ac per conſequens noſtra conclu-

concluſio eſt vera, quod ſe habet vt ſuperius, & inferius, quia non valet. Significat, ergo accipitur.

Sed objicies. Acceptio & ſuppoſitio ſunt idem, ergo non ſe habent tanquam ſuperius, & inferius. Antecedens probatur, nam accipere vocem pro re, eſt vti illa pro ipſa re; hoc idem, eſt ſupponere: ergo.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens. Et quando dicis. Acceptio eſt vti voce pro re, diſtinguo. Quantum ad oſtendendam rem, concedo; Quantum ad oſtendendũ ipſam rem, vt de illa affirmemus, aut negemus aliquid de illa in aliqua temporis differentia, nego. Et in hoc conſiſtit ſuppoſitio.

Conſtat igitur qua ratione iſtæ proprietates ſe habeant tanquam ſuperius, & inferius: de ſignificatione, acceptione, & ſuppoſitione, iam conſtat, de verificatione autem non minùs, quia terminus, *lapis*, in hac propoſitione; Homo non eſt lapis ſupponit, & tamen non verificatur; ergo habent ſe ſicut ſuperius, & inferius.

QVÆSTIO. II

Vtrùm definitio ſuppoſitionis ſit vera.

PRimò notandum eſt in hac quæſtione, omnes diuiſiones ſuppoſitionis, quas communiter adducunt aliqui expoſitores, quamuis diuerſis terminis illas explicent, contineri in diuiſionibus à noſtro Authore adductis. Prima eſt. Diuiſio, vna materialis, alia formalis; Materialis eſt, qua ſupponit terminus pro ſe ipſo, & hæc eſt impropria. Formalis eſt, qua ſupponit terminus pro re, quam ſignificat, & hæc duplex. Propria, vt qua homo pro homine ſupponit; Alia impropria, qua terminus pro re, quam per tranſlationem ſignificat, vt Nero pro crudeli.

Formalis propria, alia ſimplex, ſeu immobilis, qua ſupponit terminus pro communi, ſeu immediato ſignificato, vt homo in hac propoſitione; Homo eſt ſpecies. Alia eſt perſonalis, & eſt, qua ſupponit terminus, pro mediato ſignificato, ſcilicet pro ſingularibus, vt quando dicimus: Omnis homo eſt corruptibilis; aut; Albus, ſupponit pro ſingularibus, quia illis ſolis conuenit corrumpi, aut habere albedinem. Alia eſt ſuppoſitio communis, & eſt, qua ſupponit terminus pro ſignificato communi, & immediato, vt homo, cum dicimus. Homo eſt animal.

Secundò notandum, vt aſſignemus ſingulas ſuppoſitiones terminorum, quot ſint genera ſignorũ; nam ratione iſtorum attenditur præcipuè ſuppoſitio, & dicendum quod ſignum eſt dupicx, vnum vniuerſale,

uerſale ſcilicet *Omnis, nullus, quilibet, cunctus: totus, vniuerſus, quicumque, ſemper, vterque, nemo, nunquam, nullibi, neuter*, Inter coniunctiones, & eſt quaſi vniuerſalis affirmatiua, quia confundit terminos, vt quando dicimus, Pariſijs, & Romæ, venditur piper, *Piper* ſupponit confuſè etiam. Aliæ coniunctiones copulatiuæ habent eandem vim, nec non etiam quando dicimus. Ter, vel bis, cantaui miſſam, *Miſſa* ſupponit cõfusè. Etiam reducuntur ad hæc ſigna aliqua verba, quæ non applicant ſuum ſignificatum ad rem determinatam, vt *promitto, requiritur*, confundunt terminos ſequentes, ſicut ſigna vniuerſalia, quæ terminum mediatum faciunt confusè ſupponere, vt quãdo dicimus. Promitto tibi librum; &. Ad equitandum requiritur equus, *liber*, &, *equus* ſupponunt confusè, & ſic eſt in alijs ſimilibus.

Aliud eſt ſignum particulare vt, *aliquis, nonnullus, alter, aliquando, alicubi, nonnumquã*, ſecundũ prædicta ſigna attendenda eſt ſuppoſitio.

Sit ergo primò certum in hac quæſtione, quod in his propoſitionibus. Semper homo currit. Vbicumque homo currit, terminus *homo* ſupponit confusè, quia faciunt hunc ſenſum: In omni tempore homo currit; In omni loco homo currit, cum afficitur ſigno vniuerſali affirmatio mediatè; Si verò ſigna ſint negatiua vt *nunquam, nullibi*, ſupponent diſtributiuè.

Sit ſecundò certum Verbum *differt*, & comparatiua, & ſuperlatiua diſtribuunt, vt quando dicimus. Homo differt à leone, eſt ſenſus ab omni leone. Leo eſt fortior animaliũ, id eſt omni animali. Dictio etiam exceptiua diſtribuitur, niſi ſit in ſubiecto, quia tunc determinat, vt cum dicimus. Omne animal præter brutum eſt rationale, brutum ſupponit diſtributiuè. Si autem dicamus. Tantùm homo eſt animal rationale: homo ſupponit determinatè, rationale diſtributiuè, quia facit hunc ſenſum, ſolus homo, & nihil aliud eſt rationale. Illud etiam maximè conſiderandum eſt, quod quoties in aliqua propoſitione eſt ſignum vniuerſale in ſubiecto, & particulare in prædicato, ſignum particulare impeditur, & eſt quaſi non eſſet. Ratio eſt, quia vniuerſale, ſignum eſt maioris efficaciæ quam particulare: vnde in hac propoſitione. Omnis homo eſt aliquod animal, ſupponit confuſe animal, quia particulare ſignum impeditur. Similiter verbum *requiritur*, poteſt impedire ſignum particulare, vt cũ dicimus. Aliquis equus requiritur ad equitandum, tam equus quam equitandum ſupponunt confuſè, quia eſt illud verbum *requiritur*. Aliter fiet ſi ponatur ſignum negatiuum, tunc omnia ſunt diſtributiua,

ua, vt ſi dicamus Nullus equus requiritur ad equitandum.

His ſuppoſitis ſit concluſio. Definitio ſuppoſitionis eſt optima. Hanc concluſionem tenent omnes expoſitores noſtri authoris. Et probatur ratione; quia *ſupponere*, eſt, quod terminus gerat vicem rei ſignificatæ, ſed gerere vicē eſt, quod id, quod rei attribuimus, termino attribuatur; ſed hoc ſolum eſſe poteſt in propoſitione: ergo terminus ſupponit in propoſitione, & etiam non poteſt terminus aſſumi pro re non exiſtenti, quia pro eo, quod nō eſt, ſubſtituere nequit; ergo requiritur quòd ſit res tempore importato per copulam: totum hoc exactè explicatur dicta definitione; ergo eſt optima, & noſtra concluſio vera.

Contra hanc concluſionem: Ante mundi creationem erat verū dicere: Homo eſt animal rationale: ergo iam terminus ſupponit quando res non exiſtit tempore importato per copulam, ac per conſequens concluſio eſt falſa.

Ad hoc argumentum reſpondetur quod verbum, *eſt*, poteſt referre eſſentiam, & exiſtentiam: Si referat eſſentiam, propoſitio eſt vera, & termini ſupponunt, quia tunc homo erat per eſſentiam; ſi referat exiſtentiam, eſt falſa, & termini non ſupponunt.

Secundò ſic argumentor. In hac propoſitione; Homo eſt lapis, *homo* ſignificat rem, tempore importato per copulam, & eſt in propoſitione, non autem ſupponit: ergo definitio eſt mala.

Ad hoc argumentum reſpōdent aliqui, quòd terminus in propoſitione falſa non poteſt ſupponere: putant enim omnes propoſitiones falſas, eſſe de ſubiecto non ſupponenti; ſed hæc doctrina eſt omninò falſa. Primò, quia ſi, *homo*, non ſupponit in dicta propoſitione pro homine, non poſſet propoſitio eſſe falſa; quia falſam eſſe propoſitionem, eſt aliquid affirmare de re, quod illi non conuenit, vt quando dicimus: Homo eſt lapis; ergo ſi, *homo*, non ſupponeret pro homine, nō intelligeretur affirmari de homine, ac per conſequens non eſſet falſa propoſitio.

Secundò. Si non ſupponeret terminus in propoſitione falſa, ſequeretur, quod numquam poſſet eſſe ſuppoſitio ſine verificatione, ac per conſequens non ſe haberent tamquam ſuperius, & inferius: nam in propoſitione vera, ſemper, quod terminus ſupponit, verificatur: ergo.

Vnde nos aliter reſpōdemus negando antecedens, ſcilicet: Terminus in propoſitione falſa non ſupponit, nego antecedens; nam potius id requiritur, vt propoſitio ſit falſa, ſicut diximus, & ſic datur terminus, qui ſupponat, & nō verificetur, quia

Digitized by Google

quia in propoſitione vera, & affirmatiua ſolum verificatur terminus; ſupponit autem in quacumque propoſitione, dum res ſignificata ſit tempore importato per copulam. Et hæc de hoc capite.

DISPVT. II.

Super caput de aſcenſu.

INtentum Authoris in hoc capite eſt agere de aſcenſu & deſcenſu. Diuiditur in tres partes claritatis gratia. In prima duas adducit argumentandi formas, quas *aſcenſum & deſcenſum* vocat. In ſecunda, vtramque in quatuor diuidit membra. In tertia denique, & vltima quomodo ſub quolibet termino ſit aſcendendum, vel, deſcendendum, docet.

QVÆST I.

Vtrum ad probandam veritatem, vtendum ſit aſcenſu; ad falſitatem vero deſcenſu.

IN hac quæſtione primò præſupponenda eſt definitio aſcenſus, & deſcenſus, nec non eorum explicatio. Aſcenſus definitio, talis. *Eſt argumẽtatio in qua ex ſingularibus ſufficienter enumeratis vniuerſale colligimus*: Genus eſt *Argumentatio*, quia extenditur ad ſyllogiſmum, enthymema, exemplum. Per illam particulam *ex ſingularibus*: differt à ſyllogiſmo, in quo ex ſingularibus nihil colligitur; nec non ab enthymemate, in quo tantum eſt vnum ſingulare, aut vna propoſitio pro antecedẽti: etiam ab exemplo, in quo non eſt neceſſariũ, ſint pro antecedenti plura ſingularia, per ſe enim vnũ ſufficit: at in aſcenſu omnia ſingularia ſufficienter enumerata per ſe requiruntur: non minus differt à deſcenſu, quia in hoc ex vniuerſali, aut cõmuni ſingularia; in aſcenſu autem è contra ex ſingularibus vniuerſale. Additur illa particula *Sufficienter*, tum ad denotandũ, aliquando ſufficere numerare aliqua ſingularia, vt quando volumus in cõſequenti colligere propoſitionem particularem, ad cuius veritatẽ ſufficit aliqua pars vera: & tunc ſi numerentur duo, vel tria ſingularia, ſufficienter enumerantur, quia ſufficiunt ad veritatem: ſemper tamen requiritur, ad minus, enumerare duo ſingularia ad faciendam formam aſcenſus, quæ conſiſtit in colligendo commune ex ſingularibus. Quamuis ergo aliquando ſufficiat vnum enumerare ſingulare, ad veritatem; tamen ad formam requiritur, duo ad minus enumerẽtur. Tum etiam additur illa particula ad ſignificandum eſſe aliquando neceſſariũ omnia ſingularia numerare, quando colligenda eſt vniuerſalis propoſitio, q̃ requirit oẽs eius partes veras. Et quia omnia ſingularia eſt impoſſibile numerare, additur illa particula. *In cæteris ſimili modo*, & ſingularia contenta in illa particula

Digitized by Google

cognoſcuntur optimè, quia cum ſint eiuſdem rationis, ſufficienter cognoſcuntur per ſimilitudinem ad enumerata.

Secundò notandum eſt, quod aſcenſus non eſt argumentũ euidens, ſed ꝓbabile, qui innititur in cognitione ſingularium, quæ ſenſu cognoſcuntur, & quia ſenſus poteſt falli, ideò eſt probabile: non ex hoc dico, non cognoſci etiam ab intellectu, ſed quia cognitio, qua cognoſcit ſingularia, dependet à ſenſu, qui poteſt falli, ideò aſcenſus eſt argum. probabile.

Quod ſi obijcias. In aſcenſu ex vniuerſalibus poteſt colligi aliud vniuerſale: ergo definitio aſcenſus eſt mala: Antecedens probatur: Hic eſt optimus aſcenſus; Omnis homo ſentit, omne brutum ſentit: ergo omne animal ſentit.

Ad hoc reſpondetur, quod quando in definitione aſcenſus dicimus: *Ex ſingularibus*, intelligitur, vel ex minus communibus, & illæ propoſitiones: Omnis homo, &; Omne brutum, ſunt minus communes, & ideò reputantur vt ſingulares.

Tertiò notanda eſt definitio deſcenſus, quæ talis eſt: *Eſt argumentatio, in qua ex vniuerſali, ſeu communi colligimus ſingularia*, In qua definitione, *Argumentatio*, eſt genus; reliquæ particulæ ſunt differentia; nam per illas differt deſcenſus ab aſcenſu, quia in aſcenſu ex ſingularibus colligimus vniuerſale, in deſcenſu autem ex vniuerſali colligimus ſingularia.

Si dicas. Si ergo aſcenſus, & deſcẽſus diſtinguuntur in ſpecie, quare Author lib. 5. cap. 2. quando numerauit ſpecies argumentationis, nullam fecit mentionem de deſcenſu. Reſpondetur facilè colligi ex aſcenſu, quia contrariorum eadem eſt ratio. Vnde quia *aſcenſus eſt argumentatio, in qua ex ſingularibus* vniuerſale colligimus, &c. facilè colligitur, deſcenſum fieri, & eſſe contrario modo.

His ſuppoſitis ſit concluſio. Aſcenſu vtendum eſt ſemper ad veritatem propoſitionis probandam, deſcenſu verò ad probandam falſitatẽ; Hanc concluſionem expreſsè tenet noſter Author in hoc capite, & cõmunes eius expoſitores, nemine dempto, quem ego viderim: nec exiſtimo eſſe controuerſiam aliquam in hac concluſione: Tota ergo difficultas eſt in aſſignãda ratione quare ſit vera concluſio.

Aliqui exiſtimant rationem eſſe: nam in aſcenſu argumentamur ab antecedenti ad conſequens, & ſic dicimus. Antecedens eſt verum, ergo & conſequens, quia ex vero non niſi verum; & non dicimus benè: Antecedens eſt falſum, ergo & conſequens, quia ex antecedenti falſo poteſt ſequi conſequens verum: Vnde aſcenſu non poſſumus vti ad

ad probandam falſitatem, ſed ad probandam veritatem; in deſcenſu autem argumentamur à conſequẽti ad antecedens, dicendo: Conſequens eſt falſum, ergo antecedens.

Sed hæc ratio quamuis vera ſit, non tamen eſt ſufficiens: nam ab illis, qui præbent hanc rationem, inquiram ego: Quare in aſcenſu argumentamur ab antecedenti ad conſequens, & non in deſcenſu: Nam ſicut dicimus in aſcenſu: Antecedens eſt verum, ergo & conſequens, ita ſimiliter poteſt dici in deſcenſu; Antecedens eſt verũ, ergo & conſequẽs; ergo nõ eſt ratio hęc ſufficiẽs.

Vnde vera ratio eſt, quia in aſcenſu per ſingularia probamus vniuerſalem, ſiue communem propoſitionem, taliter quod ex veritate ſingularium colligimus veritatem vniuerſalis, ſiue communis propoſitionis: & quia in aſcenſu aſſumimus ſingularia pro antecedenti, ideò argumentamur ab antecedenti ad cõſequens: & quia ſi antecedens eſt verum; ſemper conſequens eſt verum: non tamen, ſi antecedens eſt falſum, ſequitur quod conſequens ſit falſum, quia ex falſo poteſt ſequi verum, ideò aſcenſu vtimur ad probandam veritatem, non tamen falſitatem, nam ſi hanc probaremus per aſcenſum, ſic eſſet dicendum. Antecedens eſt falſum: ergo & conſequẽs, quod non valet, vt diximus.

Si dicas. Quare in aſcenſu non poſſumus dicere: Conſequens eſt falſum: ergo & antecedens? Reſpondeo, quia principium, per quod aliqua propoſitio probatur, priùs aſſumitur vt ex illo colligamus probandam propoſitionem. Vnde quia propoſitio vniuerſalis, ſiue communis, quæ in aſcenſu probatur, ponatur in conſequenti, ideò ab illa non eſt arguendum, ſed ab antecedenti, in quo ſunt ſingularia tanquam principium, per quod probatur concluſio. Vnde ab antecedenti debemus arguere in aſcenſu, quia in eo eſt principium, per quod probatur conſequens. V. g. ſi velimus probare, quod Petrus ſit animal, per hoc principium, quod ſit homo. Petrus eſt homo, ergo eſt animal, non dicemus conſequens eſt verum, ſed antecedens eſt verum, ſcilicet quod ſit homo, quia eſt principium, per quod probamus, quod eſt animal, quia non valet, eſt animal ergo eſt homo. In deſcenſu autem argumentamur à conſequenti ad antecedens, quia in conſequenti eſt principium, per quod probamus antecedens, quia in conſequenti ſunt ſingularia, per quæ probamus tamquam per principium propoſitionem vniuerſalem, ſiue communem, quæ eſt in antecedenti, & quia ſemper valet: Conſequens eſt falſũ, ergo & antecedens, quia ex falſo poteſt ſequi verum, ideò per deſcenſum probamus falſitatem.

Digitized by Google

Vnde patet, neceſſarium eſſe ſẽper vti aſcenſu ad veritatem probandam, deſcenſu verò ad falſitatem: & hoc ex ratione formali, & intrinſeca bonitatis conſequentiæ, quæ in aſcẽſu, & deſcenſu reperitur.

Vnde etiam colligitur falſum eſſe id, quod aliqui affirmant, quod quãdo Author dixit: *Aſcenſu vtimur ad probandam veritatem, deſcenſu ad probandam falſitatem*, ſic eſſe intelligendum, vt etiam poſſit falſitas per aſcenſum, & veritas per deſcenſum ꝓbari, quia qui primũ dicit, nõ negat ſecundum. Sed hæc interpretatio ad libitum eſt, & ſine aliquo fundamento. Secundo id repugnat optimo modo argumentandi in aſcenſu, & deſcenſu, vt probauimus.

Sed contra dictam concluſionem eſt primum argumentum. Aſcenſus non eſt optima conſequentia: ergo per illum non poſſumus probare veritatem propoſitionis. Antecedens probo. In aſcenſu procedimus ab ignoto ad magis notum: ergo eſt mala conſequentia. Minorem probo: nam in antecedenti ponitur illa particula, *In cæteris ſimili modo*, loco ſingularium, quæ non enumerantur, ſed iſta, quæ non enumerantur, non cognoſcuntur aſcenſu: ergo antecedens eſt ignotum, ac per conſequens eſt arguere ab ignoto, & ſic eſt mala conſequentia.

Ad hoc argumentum reſpondetur negando antecedens: nam ſingularia, quæ non enumerantur, ſunt eiuſdem rationis cum cognitis, & enumeratis: vnde quia cognoſcuntur aliqua, etiam omnia vt cognita habentur.

Secundò in aſcenſu argumentamur à non diſtributo ad diſtributum: ergo eſt mala conſequentia, & ſic nec per eam veritatem poſſumus probare. Antecedens probatur, quia in antecedenti omnia ſunt ſingularia, in conſequenti ponitur aliquando vniuerſalis propoſitio: ergo argumentum eſt à non diſtributo ad diſtributum.

Ad hoc argumentum reſpondetur, diſtinguendo antecedens, ſcilicet: In aſcenſu argumentamur à non diſtributo ad diſtributum, diſtinguo. Non connumerando omnia ſingularia ſufficienter, nego; & ſic eſt optima conſequentia. Argumentari autem à non diſtributo, non numerando omnia ſingularia contenta ſub vniuerſali, & diſtributiuæ propoſitionis, eſt mala conſequentia.

Tertiò. Aſcenſus eſt argumentatio, in qua argumentamur ab eodem in idem: ergo eſt mala conſequentia. Antecedens probatur, quia omnia ſingularia ſufficienter enumerata, æquiualent vniuerſali: ergo idem eſt vniuerſale, ac ſingularia omnia, ac per conſequens: argumẽtamur ab eodem in idem.

Ad

Ad hoc argumentum reſpondetur concedendo, quod omnia ſingularia æquiualeant vniuerſali. Et quando dicis: Ergo argumentamur ab eodem in idem, nego conſequẽtiam, quia diſtinguuntur formaliter; quia in antecedenti ſunt plures propoſitiones ſingulares, in conſequenti autem vna tantùm vniuerſalis, aut communis; vnde antecedens, & conſequens diſtinguuntur formaliter, & ſic aſcenſus eſt optima conſequentia. Et quod æquiualeant ſingularia, nihil inconuenit: nã propoſitio conuertens, æquiualet conuertenti, & tamen eſt optima conſequentia conuerſio, nec illam vllus negauit. Similiter non inconuenit, quod ſint conuertibilia, nam etiam riſibile, & homo ſunt termini conuertibiles, & tamen eſt optima conſequentia: Eſt homo, ergo eſt riſibile: Eſt riſibile, ergo eſt homo: & hæc eſt formalis, & optima conſequentia, ergo.

QVÆSTIO. II

Vtrum aſcenſus, & deſcenſus, debeant fieri ſub terminis eo ordine, quo docet noſter Author.

PRimò notandum eſt in hac queſtione quod aſcenſus, diſtributiuus, & diſiunctiuus, ſe habent tãquam ſuperius, & inferius, in hoc ſenſu; Semper quod ſub aliquo termino fit aſcenſus, vel deſcẽſus diſiũctiuus, poteſt etiã fieri diſiũctus: nõ tamen ſub termino, ſub quo fit aſcenſus, vel deſcenſus diſiunctus, poteſt fieri diſiunctiuus, quia ſtrictior eſt aſcenſus diſiunctiuus, quam diſiunctus. Vnde in hac propoſitione: Aliquis homo eſt animal, poſſumus dicere; Hic homo, vel hic homo, vel hic homo, eſt animal: at verò in hac propoſitione: Omnis homo eſt animal, ſub hoc termino, *animal*, qui ſupponit confusè, non poſſumus dicere: Omnis homo eſt hoc animal, vel hoc animal, vel hoc animal. Ratio eſt, quia *animal* in aſcenſu diſiunctiuo ſupponit determinatè, & ad veritatem determinatam plurimum requiritur: at verò in aſcenſu diſiuncto, ratione illius particulæ, vel ſupponit confusè, & ad veritatem propoſitionis confusè nõ tantum requiritur: Et quando dicit author, *quod termino ſupponenti determinatè debetur aſcenſus vel deſcenſus diſiunctiuus* intelligitur, ita quod ſtrictior aſcenſus, qui debetur, ſit iſte, non tamen negat poſſe illi dari diſiunctum.

Secundo notandum eſt, quod quando dicit author. *Prius eſt aſcendendum, vel deſcendendum, ſub termino ſupponenti determinatè, deinde ſub diſtributiuo, & deinde ſub confuſo* intelligitur quod in præſentia determinati, non fiat aſcenſus confuſi, nam facto aſcenſu aut deſcen-

deſcenſu ſub termino, qui ſupponit determinatè, non remanet terminus confuſus nec diſtributus.

His ſuppoſitis ſit concluſio. Omnes regulæ traditæ ab authore ſunt optimæ. Hæc concluſio nulla alia ratione probari poteſt, quam per ſingulas diſcurrendo, in quibus, ſi non obſeruentur præcepta authoris, antecedens verum, & cõſequens falſum dari neceſſe eſt in aſcenſu, & deſcenſu faciendo; hoc eſt maximum inconueniens: ergo.

Sed contra hanc concluſionem eſt argumentum. Aliquando poſſumus aſcendere prius ſub termino ſupponenti diſtributiuè, quam ſub determinato: ergo falſa eſt regula authoris, nec non noſtra concluſio. Antecedens probo. In hac propoſitione. Aliquis homo non eſt animal; *animal* ſupponit diſtributiuè, & poſſumus ſub illo ſic prius deſcẽdere; Ergo aliquis homo non eſt iſtud animal, & aliquis homo non eſt iſtud animal, conſequens eſt falſum, & etiam antecedens, ergo eſt optimus deſcenſus.

Ad hoc argumentum reſpondetur quod iſte deſcenſus non eſt optimus ratione formæ, quia in ſimili forma datur antecedens verum, & conſequens falſum, ſi prius aſcendamus ſub termino diſtributo, quã ſub determinato, vt patet in hac propoſitione; Aliquis homo eſt omne animal, ſi dicamus. Ergo aliquis homo eſt iſtud animal, & aliquis homo eſt iſtud animal, quæ ſunt veræ, & antecedens erat falſum, ergo

Dices. In hac ꝓpoſitione omnis homo eſt animal, *animal* ſupponit confuſè, & tamẽ poſſumus prius ſub illo aſcendere, q̃ ſub *homo*, qui ſupponit diſtributiuè: ergo reg. author. eſt falſa. Antecedens probo: nam poſſumus dicere: Omnis homo eſt iſtud animal, vel iſtud animal: ergo omnis homo eſt animal.

Ad hoc argumentum reſpon. concedendo antec. & neg. conſequentiam, ſcilicet quod doctrina autoris ſit falſa. Nam propoſitio illa, qua dixit *Prius eſt aſcendendum ſub termino determinato, & deinde ſub confuſo*, intelligitur indefinitè. Quod colligitur ex inconuenienti, quod Author poſuit. Nam, inquit, aliàs dabitur antecedens verum, & conſequens falſum, & ſic ſufficit, quod hoc ſequatur, vel quia aſcendimus ſub diſtributiuo, vel quia ſub confuſo. Vnde vt propoſitio ſit vera, ſufficit, quod detur antecedens, eo quod aſcendimus ſub diſtributiuo.

Tertiò argumentor. Author docet, quod terminus, qui in antecedenti confuſè ſupponit, etiam in conſequenti debet ſupponere confuſè. Contrà eſt, quia ſequeretur, quod nullus eſſet deſcenſus bonus, quia

Digitized by Google

quia ſic ſemper dicimus. Omnis homo eſt Philoſophus: ergo hic homo eſt Philoſophus, &c. eſt optimus deſcenſus, & terminus, *Philoſophus*, ſupponit in antecedenti confuſè, & in conſequenti determinatè: ergo regula Authoris eſt falſa.

Ad hoc arg. reſpondetur, quod debet intelligi, quando in antecedenti, & conſequenti manet idem ſignum confuſionis, vt in hac propoſitione: Omnis equus requiritur ad equitandum; non dicemus: ergo omnis equus requiritur ad hanc equitationem, ſed dicemus: Ad hanc, vel illam equitationem. Et etiam ſi dicamus: Iſte equus, vel iſte equus requiritur ad equitandum: equus ſup ponit confuſe ratione illius particulæ, *Vel*. Quod ſi aliquando contrarium ad hoc fiat, non erit ratione formæ.

Id tamen obſeruandum eſt, quod quando Author poſuit hanc regulam, adduxit exemplum in hac propoſitione: Cuiuslibet hominis oculus non eſt oculus, quæ eſt falſa, quia facit hunc ſenſum: Nullius hominis oculus eſt oculus: & etiam conſequens eſt falſum: ergò iſte hominis oculus non eſt oculus, quia facit hunc ſenſum: Ergo nullus hominis oculus eſt iſte oculus: tamen ipſe docet eſſe veram, quia loquitur ſecundùm ſententiam Sophiſtarum, vt ex eius verbis colligitur.

Necnon eſt etiam aduertendum, cò non poſſe fieri aſcenſum, nec deſcenſum ſub termino ſupponenti immobiliter, quia talis terminus, vt ſic, non habet inferiora, quibus cõueniat prædicatum, vt: Omnis homo eſt ſpecies.

Nec prætermittenda eſt alia regula, qua docet Author, quod non poſſumus aſcendere ſimul ſub duplici termino, quia dabitur antecedens verum, & conſequens falſum: vt ſi dicamus: Hic homo eſt hoc animal, & : Hic homo eſt hoc animal, & in cæteris ſimili modo: ergo omnis homo eſt hoc animal. Tamen ſi duo termini ſupponant eodem modo, poſſumus ſub quolibet aſcendere, vt in hac: Aliquis homo eſt aliquod animal. Diuerſa tamen eſt ratio in propoſitionibus hypotheticis conditionalibus, vt in hac propoſitione: Si nullum alimentum ſuppedites, omnis homo morietur, *Alimẽtum*, & *Homo*, ſupponunt eodẽ modo, tamen non poſſumus ſub quolibet prius aſcendere: nam prius debemus aſcendere ſub illo termino, *Homo*, dicendo: Hic homo morietur, ſi nullum alimentum ſuppedites, & in cæteris ſimili modo: ergo. Si tamen aſcendamus prius ſub illo termino, *Alimentum*, dicendo: Si hoc alimentũ non ſuppedites, omnis morietur: ergo ſi nullum alimentum, &c. datur antecedens verum, & conſequens falſum: ergo non poſſumus in hac propoſitione

hypothetica ſub quolibet aſcendere.

Sed quæres, quare liceat ſub quolibet termino in categorica aſcendere ex his, qui ſupponunt eodem modo, non tamen in hypothetica. Reſpondetur, quia in hypothetica vna propoſitio categorica dependet ex alia: & in dicta, quod omnis homo morietur, non pendet ex eo, quod non detur hoc alimentū, ſed ex eo, quod nullum detur.

Vltimò nota, quod ſigna aduerbialia debent prius exponi, quàm quod aſcenſus fiat, vt *Semper*, exponitur, id eſt, in omni tempore: *Aliquando*, id eſt, in aliquo tempore: *Vterque*, id eſt, duorum ambo: *Alter*, duorum vnus. Similiter: B ſcantaui Miſſam, ſic probatur: Hoc tempore cantaui Miſſam, & hoc tempore: ergo b.s. Romæ, & Pariſijs venditur piper. Romæ venditur piper, & Pariſiis venditur piper: ergo, &c.

Caput de relatiuis.

IN hoc capite præter ea, quæ docet Author in litera, nihil aduertendum occurrit.

DISPVT. III.

Super caput de Ampliatione.

INtentum Authoris in hoc capite eſt agere de ampliatione. Diuiditur in tres partes. In prima tres ponit termini proprietates. In ſecunda præcepta ampliandi, & reſtringendi. In tertia, & vltima tres alias refert proprietates.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum ea, quæ docet Author in hoc capite, vera ſint.

IN qua quæſt. notandum eſt, quod hæc copula de præſenti, *Eſt*, dupliciter poteſt intelligi, vel pro eſſentia, vel pro exiſtentia. Si ſumatur ſecundum quod eſſentiam ſignificat, vt quando dicimus: Homo eſt animal, id eſt, Eſſentia hominis eſt, quod ſit animal, tunc ampliatur ad omnes temporis differentias, quia de eſſentia hominis præſentis, ſiue futuri, ſiue præteriti, eſt, quod ſit animal, & ſic eſt vera. Si verò dicat exiſtentiam, tantum ſignificat vnicam temporis differentiam, & ſolum hominem, qui in tempore præſenti eſt.

Secundò notandum eſt, quod iſtæ tres proprietates ſolum conueniunt termino, qui eſt in propoſitione ſupponenti: nam ſuppoſitio ingreditur in definitione harum proprietatum.

Tertiò notandum eſt, quod quando Author dixit: *Copula de præterito, & de futuro ampliant terminum ad duas temporis differentias*, intelligendum eſt terminos antecedentes, non tamen ſubſequentes,

Digitized by Google

tes, quia hi ſubſequentes potius reſtringuntur. Et ratio eſt, quia actio terminatur ad ſubſequentes terminos, vt quando dicimus: Iuſtus fuit ſapiens, *Iuſtus*, ſupponit pro iuſto, qui eſt, vel fuit ſapiens, & non ſolùm pro eo, qui ſapiens fuit. Copula autem de præſenti non ampliat, quia non includit alias temporis differẽtias: præteritum autem aliquando fuit præſens, futurum aliquãdo erit præſens: & hæc eſt ratio, quare præſens copula non amplietur, aliæ verò amplientur.

His ſuppoſitis fit concluſio. Ea omnia, quæ Author docet in hoc capite, ſunt vera. Concluſio ratione alia minimè probari poteſt, quam per ſingula diſcurrere, & diſcurrenti apparebit, necnon etiam conſtabit, ſi argumẽtis diſcutiantur, & eorum ſolutionem adducamus.

Sit ergo primum argũmentum contra id, quod docet Author de termino in ſtatu. *Quod* inquam, *ſtet terminus, quando eſt coniunctus copulæ de præſenti.* Iſte terminus, *Homo*, in hac propoſitione: Homo albus currit, eſt cum copula de præſenti, & tamen non eſt in ſtatu, ſed potius eſt reſtrictus, quia homo ſolum ſignificat omnes homines, & cum illo adiectiuo albus non ſignificat tot, ac antea: ergo eſt reſtrictus, ac per cõſequens doctrina Authoris eſt falſa, & noſtra concluſio.

Pro ſolutione huius arg. notandum eſt, quod terminus poteſt tripliciter ampliari, necnon reſtringi. Primò in ordine ad tempus, penes hoc, quod ad plures, aut pauciores differentias temporis extẽditur. Secundò in ordine ad ſignificata, ſecundum quod plura modo, & poſtea pauciora ſignificat. Tertiò in ordine ad formas, quas res ſignificata habere poteſt, vt, v. g. homo poteſt habere albedinem, & nigredinem, ſi dicamus: Habuit albedinẽ, & nigredinem, ampliatur: ſi poſtea dicamus: Habet, & habuit nigredinem, iam reſtringitur in ordine ad formas.

Vnde reſp. ad hoc arg. Terminus, *Homo*, eſt coniunctus copulæ de præſenti, concedo. Et non ſtat, ſed potius reſtringitur, diſtinguo. Non ſtat in ordine ad differentias temporis, nego. Non ſtat in ordine ad ſignificata, concedo, quia in ordine ad illa reſtringitur, quia poterat cum tali copula ſignificare omnia ſua inferiora: & quia ratione adiectiui illa non ſignificat, reſtringitur. Similiter, Homo eſt, vel fuit, ampliatur in ordine ad tempus, quia extenditur ad duas temporis differentias, tamẽ reſtringitur in ordine ad ſignificata, quia homo abſolutè ſignificat omnes homines, abſtrahendo à tempore præſenti, ſiue futuro, & ratione copulæ, de præterito, reſtringitur ad ſignificandos ſolos homines, qui ſunt, & qui fuerunt.

Digitized by Google

Quodſi obijcias: Ergo idem terminus ſimul poteſt eſſe ampliatus, & reſtrictus: & ſi poteſt, darentur duæ contradictoriæ ſimul veræ, quia ſequeretur, quod eſſet ampliatus, & non eſſet ampliatus: ergo.

Reſpondetur, quod idem terminus ſimul ſit ampliatus, & reſtrictus: ergo dantur duo cõtradictoria, nego: quia non poteſt eſſe ampliatus, & reſtrictus ſimul reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum: nam poteſt ampliari in ordine ad tempus, & reſtringui in ordine ad ſignificata: & vt darentur duo contradictoria ſimul vera, deberent eſſe ſimul reſpectu eiuſdem. Vnde, *Adam*, in hac propoſitione, Adam fuit, ſtat quantum ad ſignificationem, non tamen ampliatur in ordine ad verbũ, quia verbũ ſignificat duas temporis differentias. Similiter idem eſt dicendum in hac propoſitione, Antichriſtus erit, terminus, *Antichriſtus* ſtat in ſignificato, & ampliatur ratione verbi. Et hęc ſint ſatis pro hac quęſt. & cap.

Caput de Appellatione.

IN hoc capite id ſolum conſiderandum occurrit, quod quando Author docet in hac propoſitione: Petrus magnus eſt Philoſophus, prædicatum, *Philoſophus*, appellare ſupra Petrum, non ſupra magnum: ſolum hoc habet verũ ex communi vſu ita accipiendi, non tamen quod in rigore id ſit verum. Similiter in illa propoſitione, Vidi Papam, Papã vidi: quare intelligatur in rigore, non inuenio rationem, niſi apparentiam quandam. Nec ob id affirmo, Authorem ſine fundamento fuiſſe loquutum, quia in rebus ita parui momenti non requiritur maius fundamentum, quam quod Author adducit,

Finis tertiæ partis terminorum.

ADDV-

ADDVCITVR BREVIS EXPLICATIO EORVM, QVÆ PRO CONTRADICTORIIS DOCVIT AVTHOR.

Antequam accedamus ad aliqua dubia explicanda, oportet breuiter regulas omnes in omni oppoſitione ſeruandas referre.

Primò ſunt conſtituendæ conditiones ad oppoſitionem in communi, deinde requiſitæ ad quamlibet in particulari.

Primò conſideranda eſt definitio oppoſitionis, quæ talis eſt, *Affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem*. In qua definitione, ſi rectè inſpiciatur, omnes continentur conditiones ad oppoſitionem.

Prima conditio eſt, *Ad oppoſitionem in communi requiritur, quod ſint duæ propoſitiones*, quia affirmatio, & negatio ſimul eſſe non poſſunt in vna, & eadem propoſitione: ergo ad oppoſitiones requiruntur duæ propoſitiones.

Secunda conditio eſt, *Quod vna ſit affirmatiua, alia negatiua*, vt, Homo eſt animal: Homo non eſt animal, quia ad affirmandum, & negandum vnum prædicatum de eodem ſubiecto neceſſarium eſt, quod vna propoſitio ſit affirmatiua, & altera negatiua.

Tertia conditio eſt, *Quod ſint eiuſdem de eodem*, hoc eſt, quod habeant idem ſubiectum, & idem prędicatum. Nam oppoſitio eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de codē ſubiecto: & ad hoc requiritur, quod in vtraque propoſitione ſit idem ſubiectum, & prædicatum.

Quarta conditio eſt, *Quod in negatiua propoſitione negatio debeat eſſe in præcipua copula*, alias propoſitio non eſt negatiua, vt cum dicimus: Petrus, qui non legit, audit, eius oppoſita non eſt, Petrus, qui legit; audit, ſed hæc: Petrus, qui non legit,

non audit, quia pręcipua copula eſt, *Audit*, & in hac debet eſſe negatio; illa autem negatio, *Qui non legit*, fit pars ſubiecti, & ſic in vtraque manet, eodem modo.

Alia autem conditio, *Quod ſeruetur eadem ampliatio, reſtrictio, & eadem ſuppoſitio*, non eſt ſecundum mentem Authoris, ſed à Sophiſtis adducta, & non eſt omninò vera quamuis aliquid veritatis contineat. Et quod non ſit ſecundum mentem authoris eo patet, quia ipſe fatetur his verbis, *Aliam conditionem adducunt Sophiſtæ*: ergo non eſt ad mentem authoris.

Secundò notandum eſt, quod prædicta oppoſitio eſt triplex, contradictoria, contraria, & ſub contraria: & inter has numerat author propoſitiones ſubalternas, quia vtroque participant extremo, in quo ſimilitudinem aliquam habeant cum oppoſitis.

Oppoſitio contradictoria eſt maior inter omnes, quia in nulla materia poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ. In his obſeruanda eſt duplex ratio. Prima; lex; ſecunda modus enuntiandi. Modus eſt; quod vna ſit vniuerſalis, alia particularis; vna affirmatiua, alia negatiua eiuſdem de eodem, vt, Omnis homo eſt animal, Aliquis homo nõ eſt animal: & ſi vna eſt ſingularis, alia debet eſſe ſingularis, vt Petrus currit, Petrus nõ currit. Lex eſt, quod ſi vna eſt vera, alia debet eſſe falſa: hæc eſt falſa: ergo alia debet eſſe vera.

Secunda oppoſitio eſt contraria, & modus enuntiandi in contrarijs eſt, quod ambæ ſint vniuerſales: vna affirmatiua, alia negatiua eiuſdem de eodem: vt Omnis homo eſt animal: Nullus homo eſt animal: lex autẽ eſt, quod poſſint ſimul eſſe falſæ, non tamen ſimul veræ. Hoc tamen, quod ſint ſimul falſæ, intelligendum eſt in materia contingentium in naturali, aut remota id cõtingere non poteſt. Vnde in contrarium valet. Hæc eſt vera, ergo altera falſa, quia ſimul veræ eſſe nequeunt in aliqua materia: non tamen: Hæc eſt falſa, ergo altera vera, quia ſimul falſas eſſe non repugnat.

Tertia oppoſitio eſt ſubcontraria, & vt ſint ſubcontrariæ, requiritur tamquam modus enuntiandi, quod ambæ ſint particulares: vna affirmatiua, & altera negatiua eiuſdem de eodem, v. g. Aliquis homo eſt animal, Aliquis homo non eſt animal; lex earum eſt, quod poſſint ſimul eſſe veræ, non tamen ſimul falſæ. Simul veræ, in materia contingenti intelligi debet, non tamen in naturali, aut remota. Vnde in his valet: Vna eſt falſa; ergo altera vera, quia ſimul falſæ eſſe nequeunt: non tamen valet: Vna eſt vera, ergo altera falſa, quia ſimul veræ eſſe poſſunt.

Circa

Digitized by Google

Circa ſingulas contradictorias, quæ fieri poſſunt nonnulla ſunt aduertenda, vel obijcienda. Primum eſt. Huiuſmodi propoſitiones, ſcilicet. *Omnis homo eſt albus, Hic homo non eſt albus* ſunt contradictoriæ, & tamen ſunt ſimul falſæ, ſignificato homine albo in ſingulari: ergo eſt falſum, quod diximus. Reſpondetur negando quod ſint contradictoriæ, quia illa propoſitio, *Homo non eſt albus*, non habet quantitatem: & quando vna ex contradictorijs eſt vniuerſalis, alia debet eſſe particularis: hæc autem non eſt, niſi ſingularis.

Secundò eſt aduertendum, quod iſtæ propoſitiones: *Vterque oculus requiritur ad videndum, Alter oculus non requiritur ad videndum*, ſunt verè contradictoriæ: & prima eſt vera: quia facit hunc ſenſum, *Vterque oculus requiritur ad hanc, vel illam viſionem*, quamuis vterque non requiratur ad hanc determinatè, & ſic eſt vera. Secunda eſt falſa, quia facit hunc ſenſum: *Alter oculus non requiritur ad hanc, vel illam viſionem*, quod eſt falſum, quia dexter requiritur ad viſionem dexteram, & ſiniſter ad ſiniſtram.

Tertiò aduertendum eſt, quod iſtæ propoſitiones ſunt contradictoriæ: *Nullus equus requiritur ad equitandum, Aliquis equus requiritur ad equitandum*. Prima eſt falſa, & probatur per deſcenſum: *Ergo hic equus non requiritur ad equitandum*, & eſt falſa, quia facit hunc ſenſum, *Hic equus ad nullam requiritur equitationem*, quod omninò eſt falſum: & antecedens, ſcilicet, *Nullus equus requiritur ad equitandum*.

Quartò notandum eſt, quod iſtæ etiam ſunt contradictoriæ.

Omnis homo fuit Adam.

Aliquis homo fuit non Adam.

& negatiua eſt falſa, quia eo tempore, quo fuit vera prior, fuit falſa negatiua, quia quando erat ſolus Adam in mundo, erat falſum dicere: *Aliquis homo non eſt Adam.* Similiter quando dicimus has propoſitiones: *Adã fuit omnis homo, Adam non fuit omnis homo*, ſunt verè contradictoriæ, quia prima eſt vera, eo quod aliquo tempore Adam fuit ſolus in mundo: & ſecunda eſt falſa, quia facit hũc ſenſum: *In nullo tempore Adam fuit omnis homo*, quod eſt falſum.

Iſtæ autem non ſunt contradictoriæ.

Omne animal rationale falſum eſt,

Aliquod animal rationale falſum non eſt,

Quia illud *Omne*, fit pars extremi, & ſic debet manere in vtraque propoſitione. Vnde contradictoria eſt,

Omne animal rationale eſſe falſũ non eſt.

Eadem

Digitized by Google

Eadem ratio eſt in his:

Petrus eſt omne animal,

Petrus non eſt aliquod animal.

Non ſic eſt dicendum, ſed: *Petrus non eſt omne animal*, quia omne impeditur per nomen ſingulare, & ſit pars extremi. Similiter iſtæ:

Quilibet homo videt quemlibet equum ſuum.

Aliquis homo non videt aliquem equum ſuum.

Non ſunt contradictoriæ, quia in ſecunda debet eſſe Quemlibet equũ ſuum, quia ſit pars extremi. Vnde iſtæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, ſuppoſito, quod quilibet homo habeat duos equos, & vnum videat, alterum non. Sic prima eſt falſa, & ſecunda vera.

Non minus ſunt contradictoriæ iſtæ.

Hæc propoſitio eſt falſa,

Hæc propoſitio non eſt falſa.

Quod ſi dicas. Prima propoſitio ſignificat ſe ipſam, & ſic eſt vera. Secunda affirmat, quod ſignificet ſe ipſam: ergo ſunt veræ ambæ. Reſpondetur, quod quamuis prima ſignificet, ſemper eſt falſa.

Circa iſtas eſt aduertendum. Cuiuſlibet contradictionis ſi vna pars eſt vera, alia eſt affirmatiua alicuius contradictionis: non, ſi vna pars eſt vera, alia affirmatiua.

Prima ſine dubio eſt vera: ſecunda etiam videtur vera, quia, ſupponamus, quod ſit vera, Petrus currit, & non currit. Hoc ſuppoſito eſt verum dicere, *Quod alicuius contradictionis non, &c*, Reſp. quod ſuppoſito vno impoſſibili non eſt mirum, quod aliud ſequatur, quia impoſſibile eſt, ſimul Petrum currere, & non currere: & ſi hoc ſupponatur, non eſt mirum; quod detur aliud impoſſibile, ſcilicet dari 2. contradictorias ſimul veras.

Deinde etiam iſtæ ſunt maximè conſiderandæ:

Omne coloratum aliquo colore eſt coloratum.

Aliquod coloratum aliquo colore non eſt coloratum.

Videntur ſimul veræ. & ſunt quidem, tamen iſta ſecunda non eſt contradictoria primę, ſed debet eſſe iſta: *Aliquod coloratum nullo colore debet eſſe coloratum*. Vnde prima eſt vera, & ſecunda falſa.

In his autem illud eſt conſiderandum; quod ſuppoſito, quod omnis propoſitio eſt falſa, iſtæ erunt ſimul veræ:

Omnis propoſitio eſt falſa,

Aliqua propoſitio non eſt falſa.

Tamen nullum ſequitur inconueniens, quia eo ipſo, quod ſupponamus omnes propoſitiones eſſe falſas, ſupponimus etiam, quod duæ contradictoriæ ſunt ſimul falſæ.

Nullum animal eſt omnis homo,

Aliquod animal eſt omnis homo.

Videntur ſimul veræ. Primam certum eſt eſſe veram, & ſecundam etiam.

Digitized by Google

etiam, quia *Animal rationale* eſt aliquod animal, & eſt omnis homo: ergo ſunt veræ ſimul. Reſpondetur primam eſſe veram, ſecundam verò eſſe falſam, quia quando dicimus, *Aliquod animal*, non ſumitur pro animali in communi ad omnes homines, ſed pro aliquo animali in particulari.

Caput quiuis homo habet.
Quoduis caput aliquis homo non habet.

Iſtæ videntur veræ: nam prima facit hunc ſenſum. *Quiuis homo habet caput*. Secunda etiam eſt vera, quia quoduis caput non reperitur in quocunque homine. Reſpondetur primam eſſe veram: nam bona venia noſtri authoris ille terminus, *Caput*, nō ſupponit determinatè, vt autor affirmat, ſed cōfusè, quia q̄uis ponatur poſitione ſubiecti, tamen in rei veritate, caput eſt prædicatum, & ſic ſenſus eſt; *Quiuis homo habet caput*, & ſic contradictoria eſt *caput aliquis homo non habet*, id eſt aliquis homo non habet caput, quæ eſt falſa.

Omnis homo eſt omnis homo
Aliquis homo non eſt omnis homo.

Iſtæ videntur ſimul veræ. Reſpondetur non eſſe contradictorias, quia in prima parte, terminus *homo* ſupponit copulatim; facit enim hunc ſenſum, *omnes homines ſunt omnes homines*, & ſic eius contradictoria eſt: *Omnis homo, non eſt omnis homo*, quæ eſt falſa.

Impoſsibile eſt omne animal eſſe hominem,
Poſsibile eſt aliquod animal non eſſe hominem.

Videntur iſtæ ſimul veræ: ſed reſpondetur primam eſſe falſam, quia omnia bruta poſſunt mori, & tunc omne animal eſt homo: ergo eſt falſa illa propoſitio, & ſecunda eſt vera, quia poſſibile eſt eſſe brutum.

Vltimò nota quod vt ſubcontrariæ ſint ſimul veræ, non poſſunt eſſe eiuſdem de eodem, quia idem homo non poteſt currere, & non currere. Et hæc de contradictorijs.

De arte inueniendi medium.

De hoc nihil amplius dici poteſt, quam quod autor docet, & videatur attentè ab eo, cuius interſit: nam quidquid omnes dicunt, vt autorem explicent, potius confunduntur, & ideò prætermittere interpretationem duxi.

De ſyllogiſmo.

Suppoſita definitione ſyllogiſmi nec non diuiſione illius in perfectum, & imperfectum, & quod tantum ſint tres figuræ, eſt quæſtio.

Kkk *Vtrum*

Digitized by Google

QVÆST. IV.
Vtrum quantitas diſtinguatur à re quanta. fol. 254.
QVÆST. V.
Quales ſint diuiſiones quantitatis adductæ ab Ariſt. in hoc cap. fol. 255.
DISPVT. II.
De ſpeciebus quantitatis continuæ. fol. 258.
QVÆST. I.
Vtrum linea, ſuperficies, & corpus ſint ſpecies quantitatis continuæ. fol. 258.
QVÆST. II.
Vtrum locus ſit ſpecies quantitatis diuerſa à ſuperficie. fol. 261.
QVÆST. III.
Vtrum tempus, & motus ſint ſpecies quantitatis cõtinuæ. fol. 265.
DISPVT. III.
De ſpeciebus quantitatis diſcretæ. fol. 269.
QVÆST. I.
Vtrum numerus ſit ſpecies quantitatis diſcretæ. fol. 269.
QVÆST. II.
Vtrum numerus ſit ſpecies infima, vel potius ſubalterna. fol. 276.
QVÆST. III.
Vtrum oratio ſit ſpecies quantitatis diſcretæ. fol. 277.

Circa caput de relatione.
DISPVT. I.
De natura, & proprietatibus relationis in communi. fol. 283.
QVÆST. I.
Quæ ſit natura relationis, quæ ponitur in hoc prædicamento. fol. 283.
QVÆST. II.
Quæ ſint proprietates relatiuorũ. fol. 290.
QVÆST. III.
Quæ conditiones requirantur ad relationem realem huius prædicamenti. 292.
QVÆST. IV.
Quale fundamentum requiratur ad relationẽ realem huius prædicamenti. fol. 295.
QVÆST. V.
Vtrum relatio diſtinguatur à ſuo fundamento. 300.
QVÆST. VI.
Vtrum relatiua referantur ad aliud extremum, vt abſolutum, vel vt reſpectiuum. fol. 304.
QVÆST. VII.
Vnde ſumatur diſtinctio inter relationes. fol. 309.
DISPVT. II.
De ſpeciebus relatiuorum. fol. 312.

ſubijcibilis, & qualiter ſe habeant.fol.124.

QVÆST. III.

Vtrum definitio ſpeciei prædicabilis ſit exacta.fol.127.

QVÆST. IV.

Vtrum ſpecies componatur ex genere, & differentia, & qualis ſit hæc compoſitio.fol.129.

DISPVT. II.

De indiuiduo. fol.134.

QVÆST. VNICA.

Vtrum indiuiduum benè definiatur à Porphyrio.fol.134.

Circa caput de differentia.

DISPVT. VNICA.

De differentia, quæ eſt tertiũ prædicabile. fol.142.

QVÆST. I.

Qualis ſit diuiſio differentiæ in communem, propriam, & propriiſſimam. fol.142.

QVÆST. II.

Vtrum hæc differentia rectè definiatur à Porphyrio.fol.149.

QVÆST. III.

Vtrum differentiæ includant in ſuo conceptu genus.fol.155.

QVÆST. IV.

Vtrum differentia inferior formaliter includat differentias ſuperiores.fol.158.

QVÆST. V.

Vnde ſumatur genus, & differentia tam in ſubſtantijs quàm in accidentibus.fol.161.

Circa caput de proprio.

Quæſt. vnica in hoc capite, vtrum propria paſſio realiter à ſubiecto dimoueri poſſit.fol.169.

Circa caput de Accidenti.

Diſputatio vnica de ratione accidentis, tam realis quàm rationis fol.175.

QVÆST. I.

Quid ſit accidens reale, & an benè definiatur à Porphyr.fol.175.

QVÆST. II.

Quæ ſit eſſentia, & natura accidentis realis.fol.181.

Circa anteprædicamenta.

DISPVT. I.

De analogia in communi.fol.187.

QVÆST. I.

Quid ſit vniuocum, æquiuocum, & analogum.fol. 187.

QVÆST. II.

Quotuplex ſit analogũ, & qualiter diſtinguantur inter ſe.190.

QVÆST. III.

Vtrum analogia attributionis neceſſario reperiatur coniuncta cum analogia proportionalitatis.fol.194.

QVÆST. IV.

Vtrum analogũ dicat vnum cõceptum

ſus à modo primæ figuræ, niſi tantùm in poſitione terminorum, aut propoſitionum, nam eadem concluſio infertur, in *Ferio*, ſolo ſitu mutato propoſitionum; Antecedens probo, quia hæc concluſio *Aliquis lapis non eſt animal*, infertur etiam in Ferio ex eiſdem propoſitionibus mutatis ex minori in maiorem, & ex maiori in minorem, hac ratione.

Nullus homo eſt lapis
Aliquod animal eſt homo:
Ergo aliquod animal non eſt lapis.

Ergo ſolum variatur in modo ponendi propoſitiones, ac per conſequens non eſt conſtituenda quarta figura.

Et hæc ſint ſatis pro toto tractatu terminorum.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google